**Medicina rationalis ad recentiorum mentem observationibus adaucta constitutionem epidemicam partis anni 1733, atque integrorum annorum 1734, 1735, 1736 in Cremonensi civitate complectens ... Cui accessit aurea methodus veteribus incognita, ad profligandas expeditissime febres tertianas tum intermittentes / tum per subingressum continuas brevissime lucubrata a Florentis Augustino Gallarato.**

### Contributors

Valcarenghi, Paolo, -1780.
Gallaratus, Florentius Augustinus.

### Publication/Creation

Cremonae : Apud P. Ricchini, 1737.

### Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/byx8cccb

### License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

56,003/C

# MEDICINA RATIONALIS.

# MEDICINA RATIONALIS.

# MEDICINA RATIONALIS.

# MEDICINA RATIONALIS

## AD RECENTIORUM MENTEM OBSERVATIONIBUS ADAUCTA

*Constitutionem Epidemicam partis anni* 1733., *atque integrorum annorum* 1734. 1735. 1736. *in Cremonensi Civitate complectens*


AUCTORE

PAULO VALCARENGO

MEDICO CREMONENSI


*Cui accessit*

AUREA METHODUS VETERIBUS INCOGNITA

*Ad profligandas expeditissime Febres Tertianas tum intermittentes, tum per subingressum continuas*

Brevissime lucubrata

*A FLORENTIO AUGUSTINO GALLARATO*

*Ex Colleg. Nobil. Phys. Papiae, ibique in Reg. Caesar. Universitate Practicae Primario.*


CREMONAE MDCCXXXVII.

Apud Petrum Ricchini. *Superiorum permissu.*



D. Luigi Tonggiandi

# MEDICINA RATIONALIS

## AD RECENTIORUM MENTEM OBSERVATIONIBUS ADAUCTA

AUCTORE

PAULO VALCARENGO

MEDICO CREMONENSI

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

# EXCELLENTISSIMO VIRO DOMINO COMITI DON CAROLO PERTUSATO

EX INTIMIS CONSILIARIIS SUAE REG. CAES. CATH. MAJEST. MEDIOLANENSIS STATUS MAGNO CANCELLARIO, REGENTI, ATQUE EXCELLENTISS. EJUSDEM SENATUS PRAESIDI, CASTRI FERRI REGIO FEUDETARIO &c.

PAULUS VALCARENGUS
P. F.

*TUAE ne, Excellentiſſime Vir, excelſae dignitatis, atque inſignium honorum, quibus nuper Auguſtiſſimus Caeſar Te ſpeciatim decoravit, an omnigenae doctrinae tuae, caeterarumque virtutum, quibus apprime enites, cauſa*

*contigiſſe dicam, ut quum primum de tuo Mediolanum reditu fama undique perſonavit, excuſſis vix vix belli terroribus, atque praegreſſarum calamitatum fere immemores facti, Primates omnes, & Populus inſolito gaudio ſummopere exultaverint? Siquidem maxima utrinque ad id prodibant incitamenta, quae quiſque pro ratione ſua vario modo attendens, nec ſatis admirari, nec ſatis plaudere unquam poterat. Porro ſublime in Te decus laeto omnes animo venerabantur, dum te in excelſo hoc Solio conſtitutum ſpectabant. Hoc tamen quid ſublimius longe omnibus videbatur, quum Te ſelectioris doctrinae lumine undecunque coruſcantem perſpicerent; ac ſi dignitates tuae, caeteroquin ampliſſimae, majus a Te ipſo nanciſcerentur decus, majoremque proinde ab omnibus venerationem mutuarentur. Quamobrem eo ſpeciali quorumcunque applauſu, tantaque laetitia exceptus es, quantum in animis Hominum recte ſentientium tot eximiae dignitates, maxime virtuti tuae merito tributae, potuerunt excitare. Iccirco non merito tantum, ſed peculiare ipſius Principis oblectamento, totiuſque Reipublicae maximo bono, Te ad ſummum hoc honorum culmen evectum dixerim. Quippe quod* vetus inter Graecos adagium eſt, & a Platone non praetermiſſum, Sapientum congreſſu Principes ſapere. *Quod ſi ex ejuſdem*

Caeſ. Rhodig. lect. antiqu. lib. 12. cap. 19.

*Phi-*

*Philoſophi oracula verum ſit*, beatas fore Reſpublicas, ſi eas vel ſtudioſi Sapientiae regerent, vel earum Rectores ſtudere Sapientiae contigiſſet: *Quis non videt, qualianam, quantaque commoda cuique derivari a Te poſſint, dum in altiſſimo hoc gradu dignitatis, & auctoritatis collocatus, omnium augendae felicitati, ſervandis bonis, promovendae virtuti, perquam ſapiens praeſides? Qui bene ſapit, bene imperat, bene judicat. Novit enim & ipſe romanus Orator, quod* ad Rempublicam plurima veniunt commoda, ſi moderatrix omnium rerum praeſto eſt ſapientia· *Enim vero, ſi de juſtitia praeſertim ſermo ſit, quae Reipublicae incolumitati, & Populorum tutamini diſtincte proſpicit: haec profecto, quae, pro munere tuo, ſpecialiter Tibi commiſſa videtur, non in alio equidem melius, non aequius, quam in Te regnare poterat. Alias omittam animi tui praeclariſſimas dotes; prudentiam nempe, pietatem, humanitatem, liberalitatem, integritatem, & fortitudinem, quas fere per traducem ad Te derivatas augere, atque decorare magis, magiſque in dies ſatagis, tuo non magis evehendo decori, quam Reipublicae ditandis bonis omnifariam conſulens. Etenim, cum Tibi naſci contigerit ex nobiliſſima, generoſa, & equeſtri Pertuſatorum Familia, in qua ſemper verus honor, & ſplendor*

Boet. de Cõſol. Phil. lib. 1.

Cicer. 1. de Invent.

*virtutis effulſit: excelſa ſemper petis, ampla, illuſtria, plena dignitatis, & gloriae, quo Te ſemper a prima tua pueritia maxime vocaverunt Majorum tuorum nitidiſſima exempla, quorum nomina nulla dies extinguet, nulla obſcurabit oblivio. De hiſce enim quamplurima extant Alexandriae monumenta, quae innumeros pene clariſſimos Viros, omni virtutis genere, atque praecipue munifica magnificaque pietate illuſtres, collegiali juris prudentiae Judicum laurea, patriciiſque Decurionum honoribus, atque integerrima ampliſſimorum Magiſtratuum adminiſtratione decoratos, Toga demum, & Sago per quinque ſaecula inſignitos recenſent, atque magnificentiſſimis laudibus commendant. Verum cur a longe excelſum antiquiſſimae, nobiliſſimaeque Familiae tuae decus expetam? Huc adſit Nicolaus Pertuſatus ex Praefectis Cubiculo potentiſſimi Caroli II. Hiſpaniarum Regis. Huc adſit Chriſtophorus Pertuſatus inter Proceres a Cubiculo, & in ſecretis expeditionibus in Aula Leopoldi I. Caeſaris politica dexteritate conſpicuus. Huc adſit ampliſſimus Pater tuus Lucas, qui ab anno* 1682. *uſque ad annum* 1717. *excellentiſſimi Mediolanenſis Provinciae Senatus Princeps praeſedit, cujus praecipuis, atque innumeris enarrandis dotibus diſertiſſimus nullus nunquam ſufficiet Orator. Nobis autem e memoria nunquamexcidet vigilantiſſimus*

Bartolom. Cort. Notizie Iſtoriche.

*quondam*

*quondam Cremonenſis Eccleſiae Antiſtes Carolus Octavianus Guaſcus avunculus tuus; cujus eximiae pietatis, atque munificentiae, pro communi Civium noſtrorum ſalute, aeternum exhibent teſtimonium magnificentiſſimae AEdes, ipſius juſſu, & aere conſtructae, congruiſque redditibus decoratae, ut idoneus ſacris obeundis exercitiis locus cuique ſemper ibidem pateat. Nec minor eſt vigilantia, atque ſolicitudo religioſiſſimi Praeſulis Franciſci Pertuſati Fratris tui, cui, ceu ſolidiſſimo ſingularis ſapientiae, & pietatis fulcro, Papienſis Eccleſia feliciſſime innititur. Quod de ſapientia, religione, pietate, aliiſque dotibus, quibus quamplurimi ex nobiliſſima Familia tua emicarunt, hic obiter attigimus, idem & de ſtrenuiſſimis tot aliis Viris dicendum venit, quorum illuſtria bellica geſta, atque conſpicua munera, non interituris glorioſis lauris, & palmis ſtemma tuum pluries cumularunt. Vivit adhuc generoſus Comes Chriſtophorus Frater tuus, qui, Majorum ſuorum martialia geſta, non ſequi tantum, ſed illuſtrare magis, & ſemper quaerens, ſub Auſtriaca Aquila inter Primates ſtrenuiſsime pugnat. Aſt quid plura? Tantum enim abeſt, ut a Majoribus, & Conſanguineis tuis, multiplici virtutum nitore affluentibus ad Te ornandum quidquam haurias, ut etiam in Te clare fulgeat, quod ad illos redundet, ipſorumque ſplendorem*

*niti-*

*nitidiorem reddat. Fruſtra ideo aliunde petenda tibi laus eſt, ſi omne ex Te ſolo fundamentum mutuatur.*

Ovid. Metamor. lib. 13.

Nam genus, & Proavos, & quae non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

*Tu enim ſolus immenſum Tibi ipſi decus praeſtas, magiſque in dies praeſtiturus es, cujus glorioſa veſtigia ſequitur praeclariſſimus Filius tuus, Magiſtratus Quaeſtor ſapientiſſimus, ad majora ſemper abiturus. Tibi itaque maxime Socraticum illud*

Cael. Rhodig. Lect. antiq. lib. 16. cap. 12.

*effatum arridet,* unicum eſſe bonum ſcientiam. *Quare & cum Cicerone ſemper teſtaris, quod* ſa-

Cicer. 2. Offic.

pientia nihil eſt optabilius, nihil praeſtantius, nihil Homine dignius. *Hinc non equidem ſum veritus, quin Tibi, in ſupremis negotiis ſummopere occupato, quae Auguſtiſsimus Caeſar tuae fidei, ſapientiae, diligentiaeque mandavit, atque indeſinenter committit, lucubrationes heae meae, tamquam maximi obſequii erga Te mei teſtimonium, futurae eſſent non omnino contemnendae. Nam, etſi magna Tibi eſt graviſsimorum negotiorum impoſita moles, quam Tu ſumma tua cum laude, omniumque admiratione ſuſtines: tamen in ipſa hac indeſinenti occupatione ita Te litterarum tractatio delectat, omnigenaeque doctrinae ſplendor evehit, atque allicit, ut in ſcientiarum ſelectiſsima ſtudia, quaſi in hortum amoeniſsimum,*

Te

*Te ſemper divertas, alioſque ſimul ad ſtudium continuo excites, atque ſtudioſos humaniter ſemper excipias. Tamen non eſt credibile, quantum ad illam ipſam animi erga Te mei voluntatem addiderit praeſtantiſsimi Praeſulis noſtri Alexandri Littae praedicatio: cujus multi, & egregii de tua laude ſermones me, jam antea commotum, impulerunt, ut opuſculum hoc cum tui ampliſsimi nominis inſcriptione divulgarem. Hinc & ipſi maxime, ob id, praeter caetera innumera in me collata beneficia, me ſemper obſtrictum fore profitear. Meos itaque labores ne ſpernas, obſecro, Excellentiſsime Vir, meque excelſo patrocinio tuo ad majora ſemper excitare, non omittas. Etenim donec vixero, quoquo modo potero, aliorum ſaluti ſedulo incumbam, non ſolum ut AEgrotos mihi commiſſos ad priſtinam valetudinem redigam: verum etiam ut ex iteratis obſervationibus novas ſemper, medendo, hauriam cognitiones, quarum ope rationalem Medicinam in dies magis, magiſque augere valeam. Attamen id, & alia etiam plurima, eo libentius, eo accuratius perficere in poſterum quaeram: quo magis novero, me ſub fauſtiſsimis auſpiciis tuis haud incaſſum litaturum. Interim, cum neutiquam ignores,* eſſe animi praecelſi, ac prorſum regii, munuſcula, vel ab infimae fortunae Hominibus collata, communicatave, non aſper-

Cael. Rhodig. lec. antiq. lib. 7. cap. 36.

aſpernari; *Opuſculum, hoc qualecunque illud ſit, meae in Te reverentiae, & obſequii argumentum habere, atque humaniſsime excipere, non renues: ſi ſaltem animum, non rem ipſam ſpectaveris. Vale Excellentiſsime ſapientiae Heros, teque pro Reipublicae felicitate, atque ſcientiarum tutela, & augmento diutiſsime ſoſpitet Deus.*

*Dabam Cremonae VI. Non. Maji*
*Anno MDCCXXXVII.*

DE mandato Reverendiſſimi Patris Hermenegildi Todeſchini Sacrae Theologiae Magiſtri, & Inquiſitoris Generalis in Civitate, & Dioeceſi Cremonae, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis; Ego infraſcriptus legi Librum, cui titulus eſt – *Medicina Rationalis ad Recentiorum mentem obſervationibus adaucta &c. Auctore Paulo Valcarengo Medico Cremonenſi*; Cumque in eo nihil deprehenderim, quod Catholicae Fidei, morumque diſciplinae opponatur, poſſe Typis donari cenſeo, ſi ita iis ad quos ſpectat videbitur. In quorum &c.

Dat. in Conventu noſtro S. Patris Franciſci Cremonae die 29. Auguſti 1736.

*Fr. Joſeph Antonius Fontana Sac. Theol. Magiſter,*
*Ex Generalis Ord. Minorum Conventualium,*
*ac Sanctae Cremonae Inquiſit. Conſultor.*

---

DE mandato Reverendiſſimi Patris Hermenegildi Todeſchini Inquiſitoris Generalis Civitatis, & Dioeceſis Cremonae &c. Attente legi Librum inſcriptum – *Medicina Rationalis ad Recentiorum mentem obſervationibus adaucta &c.* Auctore Excellentiſſimo D. Paulo Valcarengo Phil. & Medic. Doct. celeberrimo; & cum in illo Fidei orthodoxae, boniſque moribus nihil contrarium invenerim, quinimmo ad tuendam valetudinem utiliſſimum exiſtimaverim, ne tanto opere Viri adeo eximii Univerſa Litteraria Reſpublica privetur, Typis mandari cenſeo.

Dat. Cremonae VI. Nonas Octobris Anno 1736.

*Alexander Boſſii Philoſ., & Medic. Doctor,*
*nec non Inclyti Cataphractorum Regiminis*
*Veterani Caeſ Cath. Majeſt. Medicus*
*Ordinarius, & Libror. Reviſor*
*Sancti Officii Cremonae.*

Die

Die 10. Octobris 1736.

Attentis ſupraſcriptis Atteſtationibus

IMPRIMATUR

Fr. Hermenegildus Todeſchini Inquiſitor Generalis Cremonae.

---

Vidit Joannes Antonius Caſtillionaeus Vicarius Praetorius Viceſgerens.

INDEX

# INDEX
## SECTIONUM, ET CAPITUM

### DISSERTATIO PRAEVIA

De hodierno Medicinae ſtatu, ejuſdemque neceſſario augmento ab obſervationibus maxime petendo, ubi & totius Operis idea, & ſcribendi occaſio proponitur.

### SECTIO I.


Conſtitutio Epidemica partis anni 1733.

CAP. 1. *Febris tertiana exquiſita.* pag. 1.

CAP. 2. *Febris tertiana ſpuria.* pag. 9.

CAP. 3. *Febris tertiana perniciosa, ubi & de quartana.* pag. 18.

CAP. 4. *Febris tertianae generalis cauſa, & aliorum morborum, juxta anni temporum vicisſitudines.* pag. 46.

CAP. 5. *Lymphatici varii morbi.* pag. 53.


### SECTIO II.


Conſtitutio Hyemalis anni 1734.

CAP. 1. *Lymphaticorum morborum, & Pectoris maxime cauſa perenditur, ſimulque Pleuritidum generales differentiae proponuntur.* pag. 61.

CAP. 2. *Pleuritis lymphatica ſimplex, ubi & de Pleuritico cortice, & ratione emittendi ſanguinem in hiſce morbis.* pag. 70.

CAP. 3. *Pleuritis lymphatico-bilioſa, ubi de variis Pulmonum cum Pleura, aliiſve Pectoris partibus adhaeſionibus; de Pleuritico cortice iterum; de Pſeudo-polypis, de Pleuritidum diverſa ſede, atque exitu vario; de earundem ſymptomatibus, & curatione.* pag. 86.

CAP. 4. *Pleuritis lymphatico-ſanguinea, ubi de variis puris excretionibus in quibuſcunque Pectoris*

*toris ſuppurationibus; & praeſertim in Empyemate; item de diverſis abſceſſibus in hiſce morbis occurrentibus; de uſu Veſicantium, atque Balſami de Copaiba &c.* pag. 107.

CAP. 5. *Pleuritis ſanguinea ſimplex, ubi de Eryſipelatode, & Phlegmonode Pleuritide agitur &c.* pag. 141.

## SECTIO III.

Conſtitutio partis anni 1734. a Vere incipiens, atque uſque ad AEſtatem ſequentis anni 1735. protracta, ubi diſtincte de febre petechiali tunc communiter graſſante.

CAP. 1. *Hujus Febris petechialis hiſtoria; de peculiaribus ejuſdem ſymptomatibus, de critica alvi excretione, obiter de ſudore, de urina, ejuſque inſpectione, de Haemorrhagia, de veriſimili Petechiarū origine, de earundem differentia a maculis Scorbuticorum, de Oedematoſis extremitatum tumoribus haſce febres comitantibus &c.* pag. 159.

CAP. 2. *Hujus Febris cauſa; & curatio; praeſertim de ſanguinis emiſſionis, & purgationis ratione, atque uſu Veſicantium in hujuſcemodi Febribus &c.* pag. 194.

CAP. 3. *Peculiares hujus Febris obſervationes.* pag. 238.

## SECTIO IV.

Conſtitutio partis anni 1735. ab AEſtate incipiens, integrum quoque annum 1736. reſpiciens. Agitur iterum de Febrium tertianarum cauſa, tum & de modo, quo China China eaſdem febres evincit. pag. 255.

# DISSERTATIO PRAEVIA
## DE HODIERNO MEDICINAE STATU
### Ejuſdemque neceſſario ulteriore augmento ab obſervationibus maxime petendo, ubi & totius operis idea & ſcribendi occaſio proponitur.

QUotieſcunque mecum ipſe ſeria magis accurataque attentione in praeſtantiſſimae Artis noſtrae infauſtam ſortem animum intendo : ipſam quo magis nobilem atque ab omnibus jure merito æſtimandam , tanquam utilem quammaxime totique Orbi neceſſariam , eo magis frequentiuſque variis temporum atque animorum de ipsa temere ſentientium viciſſitudinibus obnoxiam ſemper miſere fuiſſe , noſtroque pariter hoc aevo non minus jactatam eſſe vehementer doleo . Non defuerunt enim tranſactis ſaeculis non modicae exiſtimationis nonnulli Viri , (1) qui re minus aequo penſitata , atque maleſano forſan livore obcaecati audaciter publiceque docuerint , Medicam Artem tanquam inutilem non ſolum , verum & tanquam noxiam condemnandam prorſus fuiſſe , atque ab Orbe ipſo penitus eliminandam : quod quidem , licet ipſius ſplend rem haudquaquam obumbrare potuerit , debitae tamen ejuſdem venerationi minus conſonum fuiſſe , nemo inficiabitur. Hinc mirum nemini unquam videbitur , qui cordatiores hujuſce Artis Profeſſores iiſdem perſaepe iniquae ſortis legibus peſſime obnoxios fuiſſe pluries attenderit , dum par utplurimum Sapientium ac Inſipientium ratio apud pleroſque non raro habita fuit . Id autem ex eo tanquam primario fonte ſemper emanavit , quod cujuslibet Medentis præſtantia non ab ipſius doctrina atque peculiari in Arte peritia , ſed a ſolis Morborum eventibus peſſime judicari ſolita fuerit . Sola enim inviolabilis Supremi Numinis lex nulli prorſus indiſcriminatim parcens , quae cuique mortalium ſive praemature ſive tardius terminum ſtatuit : Illa inquam ſola lex non rite perpenſa ſapientiſſimis expertiſſimiſque non raro Medicis debitam exiſtimationem auctoritatemque injuſte derogavit : cum quis lethali contumacioreque aegritudine detentus non ob Medentis imperitiam , ſed ob peculiarem Morbi vim potentiora quaeque praeſidia medica penitus eludentem è vivis



(1) *Plin. Hiſt nat. lib. 29. cap. 1. & alibi.*
*Franc. Petrar. lib. 5. Epiſt. rer. Senil. 4. & alibi. Thom. Bovi. flagell.*

miſere diſceſſit: idque non nativae aegritudinis indoli, occurentiumve ſymptomatum violentiae, ſed agentis Medici incuriae aut imperitiae irrationabiliter adſcriptum fuit. De hoc autem jure merito Divinus ipſe Senex Hippocrates ſic doluit (2) *Quaecunque neceſſitatem habent, ut fiant in Morbis, ac vulneribus mala ſupra mala, ea ubi fiunt, in Medicum culpam rejiciunt, & neceſſitatem talia fieri cogentem non agnoſcunt.* Ob eandem rationem quamplures contra videre Medicos contigit (quorum fides Hominum potius maleſana opinione, caecove neſcio quo praejudicio, quam ipſorum doctrina aut vera experientia firmabatur) felicibus ſub auſpiciis tam amicae ſortis ſemper militantes, ut, ſi quidpiam ipſis minus fauſtum in exercenda praxi occurreret, nil prorſus ipſorum honorem convelleret: cum ſatis & ultra ipſis eſſet, ſtatutum AEgrotantibus nullo modo protrahendum terminum illico indicare, ut imperitiae ſuae, atque inani medendi methodo decus atque venerationem conciliarent, indeque conſuetas effugerent obtrectationes, inter primates ſemper nihilominus habiti. Id etiam noſtris temporibus ubique locorum pariter evenire nemo non noſcit: dum Medentium quorumlibet fama a vulgi utplurimum opinione non a Sapientum judicio derivatur: quod quidem ideo facilius occurrit, quia ſolis ſagacioribus Medicis atque in omnibus ad Artem Medicam ſpectantibus apprime verſatis, qui certe perpauci ſunt, (3) non autem inexpertis quibuslibet, quorum maximus eſt numerus, de Medentium praeſtantia juſto ſentire datum eſt, atque tuto judicare unice, & quidem merito competit.

Niſi ſupremum ineluctabile decretum illud perſaepe obſtaret, ſanioribuſque Medentibus conceſſum eſſet ſaevientis Mortis promiſcuos furores compeſcere, lethaleſque ictus pro libito ac praecipue pro majore ipſorum peritia ſemper retundere: omni certe jure a Morborum quibuslibet eventibus, fortuitiſque omnibus eorundem tranſmutationibus de Medicorum excellentia quilibet è Populo judicare primo vix intuitu poſſet. Profecto tunc quilibet rudiore licet ratiocinio praeditus genuinos Medentium quorumvis characteres attingeret, certoque certius perſpiceret, quiſnam inter ipſos ſolidiore doctrina fretus abditiores Morborum cauſas intime magis pervadens AEgrotantes ab Orci faucibus facilius eriperet: quis citius tutiuſve ipſis opitularetur: quiſve turpi tantum lucrandi cupiditate, non autem ſufficientis doctrinae lumine ductus in nobiliſſimae Artis noſtrae cancellos ſeſe audacter intrudens Hominum vitae manifeſte inſidiaretur, dum ipſorum ſaluti congruam ſe ferre poſſe opem, temere praeſumeret, eorundem periculis caeteroquin diſcens. Tunc ideo congrua Sapientibus laus emergeret, ipſorumque decus non tam debili ſtaret pede, inſipientibus quibuslibet a ſelectiore Medentium coetu prorſus ablegatis, communique non debita ipſis exiſtimatione omnimode fraudatis.

Verum cum hoc contra eveniat, lethaleſque mortis impetus nemo effugere

(2) *Hippocrat. lib. 1. de Morbis.* (3) *Idem lib. de lege.*

gere ſemper queat, quamvis expertis utens Medicis ad potentiora confugiat Artis adminicula laudabiliore methodo uſurpata; hinc corruit non raro, hinc conculcatur peſſime Sagaciorum Medicorum ſapientia, atque inanes imperitorum nugae uſque ad Sydera univerſali plauſu aliquando attolluntur: maxime cum fauſto ipſis omine res quomodolibet cedat, ob nativam potius Morbi indolem, quam ob agentis Medici ſolertem induſtriam. Attamen id eo frequentius, eo facilius, eo turpius in Arte noſtra contingere, compertum ſatis habetur; quia peſſimo neſcio quo fato praeſto ſemper ſunt malignantes mutuae Medentium eorundem aemulationes ab invido tantummodo furente animo pullulantes, quorum mordacibus atque ſcindentibus intime dicteriis praeconceptae a Vulgo de agente caeteroquin ſapienter Medico falſae opiniones foventur atque magis magiſque firmantur, aut ſaltem lepidis jocis amaro ſale doloſe conditis, praemiſſis perſonatis laudibus, ne dicam acerbioribus ſcommatibus, arrepta dextere occaſione ſuſcitantur; propter quod omni jure a Vander Linden ſtatutum eſt, (4) *Quod non magis invidet Mendicus Mendico, quam Medicus Medico: eſt Medicus invidum Animal, ſi quod aliud.*

Hinc nil mirum cuipiam fortaſſis erit, ſi paucos admodum invenerit, qui indefeſſis ſtudiis, atque non interruptis diligentioribus obſervationibus omnem Medici attentionem requirentibus Artem noſtram ulterius extendere atque ditare ſatagant. Deſunt enim ipſis congrua ad ulteriores labores incitamenta: dum non aequa lance a fortuito tantum AEgritudinum exitu fauſto, vel infauſto, aut ab alia quavis incongrua cauſa tum Medicorum, tum Pſeudo-Medicorum ſtatus promiſcue perpenduntur, indeque expetitis, debitiſque honoribus illi fraudantur, ad quos, faventibus magis patrociniis, quam neceſſariis dotibus iſti perveniunt.

Cæterum haec omnia Medicus prudens animoſe contemnat, atque falſa haec caducae ſortis munera generoſe ſpernens vulgares hujuſcemodi opiniones flocci faciat, ut Sapientibus dumtaxat Viris ſatisfacere ſtudiis ſuis quaerat, quid de ipſo ſentiant iſti, aut ſentire unquam poſſint ſcrupuloſe attendendo. Quamobrem pro certo ſemper habeat, quod, licet inſipientibus, aut invidis ſic non arrideat, conſcientiae ſuae debito nunquam deficiet, ut idoneus magis proprio muneri evadat ad Artis ſimul, ſuique ipſius decus firmandum, atque in dies ultro magis magiſque promovendum. Non aliunde enim violatam jam nobiliſſimae Arti huic noſtrae exiſtimationem debitamque famam reſtituendam melius eſſe, ullus credat, quam vera Medentium doctrina, cujus ope priſtinus illico antiquiſſimus ſplendor tum ipſi tum Profeſſoribus conciliabitur, quem jure meritoque ob eorundem ignorantiam obumbratum penitus fuiſſe divinus olim Senex ſic acriter doluit: (5) *Omnium profecto Artium Medicina nobiliſſima. Verum propter eorum, qui eam exercent ignorantiam, eorumque, qui temere de his*

 *judicant*

(4) *Vander Linden Sel. Med. exerc.* 12. (5) *Hippocr. lib. de Lege.*

*judicant, omnibus Artibus jam longe inferior habetur.* De quo autem potiſſimam hinc ſubdit rationem, quam, utpote rei noſtrae perquam faventem, ab eodem Praeceptore hic fideliter tranſcribere neceſſarium arbitror. *Cujus quidem erroris iſta mihi potiſſimum eſſe cauſa videtur, quod ſoli Arti Medicae nulla in Urbibus, praeterquam ignominiae praefinita poena eſt, quae eos, qui ex ea conſtant minime attingit. Qui quidem perſonarum, quae in tragaediis producuntur maxime ſimiles eſſe videntur. Quemadmodum enim illi quidem formam, habitum, & perſonam Hiſtrionis referunt, neque tamen Hiſtriones ſunt. Licet Medici nomine quidem multi, re ipſa perpauci.*

Omnibus itaque viribus atque ſolertiore omne induſtria contendere quilibet deberet Medicus, ut neceſſariis potitus ſcientiis ad ſummum Medicinae culmen pervenire poſſet, ut inde & ſibi glorioſum maxime nomen conciliaret, ſimulque ipſi Arti denegatam penè ex toto venerationem adderet, atque majorem ultrò promoveret: quae quidem maximo certè jure ipſi debetur, utpote a Deo ipſo promanatae, propter quod non immerito Apollinem ejuſdem inventorem ſtatuit Ovidius, eum ſic loquentem proponens.

(6) *Inventum Medicina meum eſt, opifexque per Orbem*
*Dicor, & herbarum eſt ſubjecta potentia nobis.*

Nullis idcirco laboribus, ſtudio, atque ſolicitudini parcendum unquam eſſet, ut expetito perfecte fine potiri quilibet poſſet. Quo namque in ſublimi magis, atque in aprico loco ſedem ſuam Medicina poſuit, unde magis ſuſpicienda merito eſt: eo indefeſſam magis Studentium ſolertiam atque operam omnem expoſcit, ut intima ejuſdem ſacra penetralia aliquando ſubeant, ad quae pleriſque acceſſus denegatur. Ab omnibus enim acceptum omni jure eſt (7) *Vix unum eſſe ex Artis ſapientibus, qui moriendo Artis tyrocinia penitus exuiſſe nedum glorietur. Quantum enim dives & altus eſt Naturæ fundus, inexplebile tantum Medentis officium, cui quo propius aut intimius Naturam intueri datur, eo inexhauſtam magis aut minima ſua parte revelatam ſentiet.*

Si laudabilis hæc addiſcendi cupiditas Medicorum omnium animis firmiter infixa eſſet, atque nemo ſacratum hoc Apollinis templum pro communi AEgrotantium ſalute coelitus fabrefactum ſubire audacter praeſumeret, niſi congruis antea inſtructus cognitionibus neceſſariiſque dotibus ſufficienter munitus: corruerent illico furentis invidiae maleſani livores, atque in glorioſae aemulationis viciſſitudines ſubito traſmutarentur, propter quas non interrupto ſtudio quilibet Medentis alterius famam aeſtimare atque anteire contenderet, omneſque ſimul non litigioſis, ſed glorioſis contentionibus pro proprio atque Artis decore ſtrenue viriliterque pugnarent.

Semotis hiſce teterrimis Medicinae hoſtibus, lucro nempe atque ab eo pullu-

(6) *Ovid. Metamorph.* (7) *Hequet in prolog. de Med. purg.*

pullulante neceſsario invidia, protinus exſurgeret veluti ex tenebris ſplendidior, atque in dies auctior Medicina; nemo in aliis blaſphemaret ea, quibus ſe carere ignominioſe cognoſceret: quin immo ea quilibet laeto animo ſuſpiciens Poſſeſſorem illius virtutis diligeret, quam ipſe non habet, ſublimique honoris ſtimulo excitatus illum ſibi doctrinae ſplendorem aſciſcere curaret, propterquem aliquos ſuper caeteros longius eminere, laetanter admiraretur, atque nemo tandem niſi ſufficienti ſtudio inſtructus, atque congrua experientia maturus ſatis in Arte redditus, praxim indiſcriminatim exercere cito nimis auderet, quod maxime intereſt.

Hiſce autem praeſertim, qui immature abſque ulla haeſitatione difficiles quaslibet curationes ſibi aſsumunt perficiendas, abditioreſque morborum cauſas intime perſcrutari tentant: ſatis ſit ob oculos ponere id quod de ſe ipſo ingenue fatetur Hippocrates hiſce verbis: (8) *Neque enim ego quantumvis ſenex ad Artis Medicae ſummum perveni.* Quamobrem vitam brevem, atque Artem longam eſse divinus idem Senex merito ſtatuit, ut inde maximam Artis difficultatem cuique indicaret, pro ut aperte ſic demonſtrat Valleſius: (9) *Docet itaque Artem medicam difficilem eſſe & ad inveniendum & ad addiſcendum, uſque adeo ut ad neutrum horum vita videatur eſſe ſatis.*

Jure autem ob utramque rationem Medicae diſciplinae difficultatem oſtendit. Etenim ſi de ipſius inventione ſermo ſit, ſatis ſuperque quilibet ab antiquis tum Medicorum, tum Hiſtoricorum monumentis intelliget, quomodo Medicina primam a caſibus fortuitis originem nacta, ſucceſſive eventuum aliorum diligenti obſervatione nec non fideli accurataque adnotatione quorumlibet ad eam ſpectantium, grandior evaſerit. In hoc autem laborioſum opus innumeri inter antiquos Medicos hinc inde diuturno admodum tempore inſudarunt.

Verum ſi antiquorum illorum Medentium documenta, ſi fieri poſſet, quiſpiam in unum redigeret opus, perfectam ſe inde Medicinae Artem proponere atque firmare, neutiquam gloriari unquam poſset. Ipſe enim perfectior Medicinae primus inſtitutor Hippocrates, licet priorum Veterum Medentium doctrinis innumera poſtmodum a ſe diligenter obſervata veridiciſque innixa experimentis addiderit: incompletum tamen opus, imperfectamque ideo Artem poſteritati tradidit. Attamen hoc tanti Viri debitam exiſtimationem imminuere neutiquam poteſt, ſed maximam tantummodo ad ipſius Artis integrum complementum difficultatem oſtendere; cum & ipſe aperte docuerit, quod, (10) *Medicina ab antiquo exiſtit, & principium & via inventa, & multa, & probe habentia comperta ſunt per multum adeo tempus, & reliqua deinceps invenientur, ſi quis idoneus, & jam inventorum gnarus ex his ad perquirendum procedat.* Nam, ut Galenus merito innuit, (11) *Nemo noſtrum ſatis eſſe poteſt ad Artem ſimul & conſtituendam & abſolvendam: ſed ſatis*

 *ſuperque*

(8) *Hippocr. Epiſt. ad Democr.* (9) *Valleſ. Com. Aphor.* 1. *Sec.* 1.
(10) *Hippocr. de veter. Med.* (11) *Galen. Com. Aphor.* 1. *Sec.* 1.

*ſuperque videri debet, ſi quae multorum annorum ſpatio Priores invenerint Poſteri accipientes, atque his addentes aliquid, illam aliquando compleant atque perficiant.*

Verum enim vero non hoc tantum de Hippocrate aliiſque omnibus veteribus Medicis, verum & de recentioribus quibuslibet uſque in hunc diem dicendum eſt, & ultra etiam de poſteris merito verum comperietur. Ea namque omnia quae diuturnis Veterum ſtudiis ſedulaque longa obſervatione detecta ſunt, ac ſucceſſive Recentiorum omnium ſanioribus ratiociniis, ſolertioreque indagine novis iteratiſque experimentis magna ex parte illuſtrata, licet Artem medicam quammaxime adauxerint, eam tamen omnimode perficere haudquaquam potuerunt.

Nemo ſanae mentis inficiabitur, credo, tum praeſente, tum elapſo ſaeculo maximis plurimiſque cognitionibus partim a Chymia, ab Anatome partim, partim a Mechanica, & ſaniore Phyſica, necnon ab experientia etiam ipſa mutuatis Medicinam locupletatam quammaxime fuiſſe. Haec autem omnia magis eruditum quidem, atque aliquantiſper magis expertum Medicum reddunt, ſed non omnimode ſcientem, quin immo paulo magis curationibus idoneum. Quot quantaque ſunt adhuc circa Morborum genuinas eſſentias, & veras cauſas, ſubitas mutationes, complicationeſque varias &c. quae prorſus neſcimus, nec ulli forſitan in poſterum ſcire datum erit? quae ſi unquam diligentiorum Medicorum ſolertia in propatulo poneret, maximum inde toti Medicinae augmentum, praeſtantiſſimumque decus emergeret, cum citius inde tutiuſque expetitam AEgrotantes ſalutem obtinere poſſent. Si ea omnia quiſpiam in unum redigeret, atque aequa judicii lance perpenderet, propter quae noſtro hoc aevo nitidior Medicina ditiorque undecunque facta majore quam antea in pretio habetur, profecto Moralis Senecae verbis jure merito exclamaret: (12) *Multum adhuc reſtat operis multumque reſtabit: nec ulli nato poſt mille ſaecula praecludetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi.*

Etenim ut de ſingulis paululum diſſeramus: Nemo certe inficias iverit, laborioſis Chymicorum tentamentis atque novis indefeſſis inveſtigationibus Medicinam maxime debere, cum inde novas & innumeras pene remediorum praeparationes Therapia deprompſerit, quibus aliunde potiri melius haudquaquam potuiſſet. Verum remedia haec non raro aut minus operantur quam ipſorum Inventores pleno ore fidentius promittunt: aut violentius quam par eſt pro morbi indigentia atque AEgrotantium tolerantia vim ſuam exerunt; quare utrinque aut inutilia aut nocua ſaepiſſime comperiuntur. Non hinc tamen auſim quamplurimas praecipuaſque praeparationes ex toto reſpuere, atque, tanquam nocuas è regno medico eliminandas penitus eſſe, abſolute ſtatuere. Quamplurima enim medica praeſidia a Chymia petita ſummopere commendo, ipſorumque Inventores, tanquam de Republica Medica optime meritos, laudare nunquam deſinam;

maxime

(12) *Senec. Epiſt. ad Lucil. 64.*

maxime cum hujuſcemodi remediis in quotidiano praxeos exercitio uti paſſim ſoleam, ipſorumque vires utilitatemque admiratus non raro fuerim. Attamen non eoſdem ſemper proſperos eventus, licet in iiſdem penitus morborum atque AEgrotantium circumſtantiis obtinere mihi fauſta ſorte contigit: unde praecipuum chymicorum remediorum opprobrium elicitur. Non enim tam facile tam commode ſat experti Chymiae Artifices ubique locorum praeſto ſunt, qui & ſimplicium Medicamentorum, quibus utuntur, individuales eſſentias, propietates & texturam, ſimulque agentis ignis vires ſatis callentes, opus ſuum ad calcem laudabiliter perducere ſatis ſciant. Cum varii caloris gradus plus minuſve aucti, plus minuſve imminuti, rectaque magis minuſve ratione retardati atque commenſurati primarii agentis, ſeu ignis, momentum vario modo augere, ſolicitare, atque immutare valeant: varia ratione hinc patitur perficiendorum medicamentorum materies, ipſorumque componentes partes varie pariter alterantur, dividuntur, aſſocianturve; unde alienum penitus ab Artificis mente productum non raro emergit, aut nocuum aut ſaltem inutile. Merito itaque hinc ſtatuere quilibet poteſt, quod, cum paucis admodum perfectis Chymiae veris Magiſtris Reſpublica medica gaudeat, pauca etiam è chymico penu remedia in AEgrotantium tutiorem opem ubicunque depromi poſſint, quae quidem & repetitis toties obſervationibus perpendenda rite ſunt, antequam iis promiſſa ab Inventoribus ſuis fides inconſulto nimis adhibeatur.

Quod ſi de Theoricis etiam ſermo ſit: Quae nam quantaeque ſunt ſublimes cognitiones, quas a Chymicorum Elaboratoriis feliciter utiliterque emanaſſe, uno ore depraedicant nimium creduli Chymiae fautores? Sine quibus, nec melius, nec commodius, nec rationabilius veridicam Medicamentorum in Humano corpore agendi vim, praecipuaſque humorum noſtrorum praeparationes, atque ſecretiones, excretioneſque: magis analogas in morbis indicationes, atque certa judicia: quin immo quaeque naturalis OEconomiae arcana, ullum aliunde expetere, atque tutius unquam aſſequi poſſe, abſolute contendunt. Innumera ideo ſalium diverſa genera, varias combinationes, ac diſſolutiones: Liquorum commixtiones, tumultus, fermentationes, philtrationeſque varias: ſublimationes, praecipitationes, omnimodaſque corporum commutationes, atque eorundem conjunctiones, forteſque inde ortas luctas, & ſubſequentes ſeparationes: atque infinita pene tot alia Artis ſuae miracula in medium proferunt, quorum ope nil prorſus ipſis impoſſibile videtur: ſive abſtruſiores Corporis noſtri functiones ſibi aſſumant dirimendas: ſive morborum quorumvis genuina principia enucleare tentent: ſive denique abditiora quaecunque Naturae penetralia ſubire quaerant.

Aſt quam diverſa ſint primigenea Corporum quorumvis ſive animatorum ſive inanimatorum principia ab iis, quae vi ignis extorquere, atque

aſſequi ſe poſſe a quibuſcunque Corporibus fidenter nimis ſibi ipſis illi perſuadent: quilibet intelliget, qui potentiſſimam ignis vim ad ſcindenda quaeque, diſſolvenda, immutanda, atque conſumenda, variaque ex variis de novo facile producenda adamuſſim perpenderit. (13) *Suppoſititia enim ſunt chymiae principia*, (ut appoſite ſatis oſtendit clariſſimus Hequet) *utpote quae prodit una ignis tortura, eadem a tortura imaginationis obtinet Chymiſta recoctus, eo ſucceſſu, ut quae in officinis operabitur, ea in humano Corpore creaverit*. Etenim ubinam adeſt in humano corpore aequipollens furibunda vis illa nullis fere legibus obtemperans, quae adinſtar ignis in cuniculis aeſtuantis, tot varios atque tam diſcrepantes ſales volatiles, ſpiritus penetrantes, ſcindentes, nulliſque compedibus ſatis unquam firmandos, Sulphurea corpuſcula, aliaque tot mirabilia hujuſcemodi ab aſſumptis alimentis elicere, atque violenter emungere queat, nullamque ſolidis continentibus Corporis partibus noxam, neque incongruas humorum immutationes, atque diſſolutiones valeat producere? Fruſtra ideo & Sulphura, & Sales, & Nitrum, & Alchali, & acidum, & fermentationes, praecipitationes, ſublimationes, aliaſve actiones hujuſcemodi manualibus ſuis operationibus analogas caeco praejudicio ducti in Corpore noſtro aſſignant Chymici: unde primaria Morborum germina ſemper deſumentes, abditioreſque eorundem cauſas, ad abſorbentes pulveres, ad oppoſitos ſales, ad praecipitantes potiones, atque ad alia hujuſce generis adminicula confugiendum in curationibus merito ſemper eſſe, certo certius affirmant.

Non hinc tamen quempiam ſuſpicari vellem, me abſolute judicare chymica documenta, necnon inventa quaelibet nil prorſus medicae Arti prodeſſe: ſive ea intelligantur medicamenta non pauca, quae, dummodo ſint rite praeparata, quammaxime AEgrotantibus prodeſſe non raro ego ipſe expertus ſui; ſive ſpectentur peculiares cognitiones, quas ad quamplurima in humano Corpore facilius enodanda phoenomena, morborumque quamplurium cauſas quomodolibet indicandas, non improſpere ſemper ab Alembicis ſuis quoquo pacto extraxerunt nimium creduli chymiae AEſtimatores. (14) *Fucum fecit & dolum invectus in Medicinam Chymiae analogiſmus*: docet praelaudatus Hequet. Hujuſce praeſtantiſſimi Auctoris judicio fretus, non modicam Chymiae utilitatem tum ad Praxim tum ad Theoricam medicam ſemper cognoſcam. Attamen fixum ratumque mihi pariter erit tam expetito Medicinae augmento eam nil penitus aut parum ſaltem contuliſſe: cum praecipuae ab ipſa petitae cognitiones aut parum explicent, aut nimium imponant, atque intime cognoſcendis morbis ſanioribuſque eruendis poſtea indicationibus tutiorem agenti Medico ſemitam oſtentantibus, (quod maximum quidem eſt in Medicina facienda) nil prorſus conducant; quare ad haec aliunde merito mutuandum eſt auxilium.

Sed jam altius, potiore quidem jure, in medium hic Caput extollit

Anatomia

(13) *Hequet de purg. Med. in prolog.* (14) *Hequet ibidem ut ſupra.*

Anatomia innumeris ſolidiſque doctrinis undecunque perfulgens, ut obſcuriores Medicinae tenebras, nitidiſſima, qua pollet luce, ex toto dirimat. Profert haec veridicam internarum externarumque omnium partium noſtri Corporis deſcriptionem, ſive mavis accuratiſſimam Microcoſmi ichonogr phicam cartam. In hac ſingillatim diſtincteque noſcis praecipuorum Viſcerum peculiares effigies, poſitiones, ſtructuras varias, mirabileſque mutuas eorundem cum aliis ingenioſis connexiones. Habes hic tubulorum omnium originem, eorundemque uſque ad minima exiliſſima vaſcula productiones huc illuc tendentes, propter quas itus redituſque ſanguinis mirabiliter perficitur, atque perbelle explicatur. Mechanicam hic attendis Nervorum omnium efformationem, atque ab his ortas Membranarum quarumlibet admirandas ſtructuras: Muſculorum varias configurationes, atque conſtructiones, pro diverſis exercendis partium motibus, ſive naturalibus tantum, ut ajunt, a ſolo arterioſi ſanguinis ordinario motu praecipue derivandis, ſive voluntariis juxta nutum voluntatis peculiari humorum dato tempore moderato influxu peragendis. Miraris hic fiſtuloſa Oſſium corpora ſolidiſſima majora minorave, atque multifariam ex tenuiſſimis lamellis conſtructa ad varios uſus, & praeſertim ad univerſam Corporis Machinam firmiter ſuffulciendam; atque mille tot alia pulcherrima admirabilia ſpectas, quae Omnipotentis Artificis ſapientiam Atheorum pervicaciam atque ſtultitiam omni jure inculpantem, in propatulo ponunt. Adſunt primaria omnia Corporis machinamenta, quibus & objectorum ſpecies in Meningibus, externis opitulantibus ſenſibus imprimuntur, omneſque ratiocinantis Animae functiones peragi ſolent; quibus Aer intra Pectus protruditur, atque ab ipſo variis modis expellitur, tum ad vocem pro libito modulandam, tum ad dilatandas conſtringendaſve, congrua alternatione, veſiculares Pulmonum minimas omnes capſulas, atque ad perennandum Sanguinis circulatorium motum; quibus Ciborum receptio, trituratio, tranſmutatio, atque in ſanguineos tramites trajectio habetur: quibus noxiorum quorumlibet atque inutilium ſive ſolidorum, ſive fluidorum diſcrepantes partes extra Corpus propelluntur: quibus Hominis procreatio arcano profecto mechaniſmo perficitur: quibus tandem Homo movetur, ſentit, atque in omnibus perfecte vivens deprehenditur.

Quid inde? Pulcherima haec omnia inſtructum quidem magis Medicum reddunt, atque optime eruditum, ſed paulo magis AEgrotantibus proficuum, niſi potiſſima etiam a ſolidiore praxi adminicula deſumantur. Praeterquamquod quot nam fortaſſe erunt nobis tanquam vera ab Anatomicis propoſita, quae quantum a veritate utique abſint, nemo unquam ſatis novit? quod appoſite admodum indicat hiſce verbis Celſus: (15) *Ita demum mortui praecordia, & viſcus omne in conſpectum latrocinantis Medici dari: quod neceſſe*

(15) *Celſus in praef.*

*neceſſe ſit tale eſſe, quale mortui ſit, non quale vivi fuit.* Verum, dato etiam, quod ea omnia anatomico cultro in diſſectis accuratiſſima indagine Cadaveribus detecta, talia vere ſint, qualia in viventibus integris corporibus antea extiterunt: omniaque praecipua membra eo vere fungantur officio, quod ab expertiſſimis Anatomicis ipſis aſſignatur (quod profecto de omnibus abſolute abſque ulla haeſitatione concedere nemo poterit); Quis unquam diſtincte indicare ex hiſce poterit, quam nam alterationem Organa illa in peculiaribus quibuslibet morbis patiantur? Quomodo nam quibuſve tutioribus ſignis morboſas eorundem affectiones varias ſola anatomia attingere poterit? Quanam ratione quibuſve efficacioribus tutiſque praeſidiis laborantes partes ad priſtinum naturalemque ſtatum ſint illico reducendae? Quomodo denique tot alia maximi momenti documenta ex ſolis anatomicis doctrinis eruentur, quibus licet nos magnopere debere, liquido conſtet, non ex hiſce tamen ſatis inſtruitur Clinicus Medicus de iis omnibus, quae pro AEgrotantium ſalute neceſſario requiruntur, atque totius Medicae Artis augmento maxime conducere poſſunt? Pro majore autem aſſerti mei explicatione, & confirmatione placet hic perſpicaciſſimum de Moor loquentem ſic proponere. (16) *Quemadmodum Oceanus vincula rerum laxavit ſeris annis, ingenſque tellus patuit, ita in Microcoſmo detectae ſunt regiones, Montes, Flumina, ac perennes fontes, Cerebri inquam, Cordis, Hepatis & Renum ſtructura valde artificioſa, glandulae variae, vaſa lactea, & lymphatica, ductus pancreatici, & ſalivales, denique vitae fons, functionumque ſcaturigo, circulatio ſanguinis. Sunt etiamnum Thyphyes qui carbaſa audent pandere vaſto ponto, & profunda naturae arcana detegere. Laudanda eſt horum diligentia, exercitandum ſtudium. Verum non immerito quis requirat in praxi medica majorem profectum. Multa ſcilicet detegunturcognitu jucunda, ſubtilitate ſpecioſa, & phyſicis inveſtigationibus alendis apta, ad curationem autem morborum non aeque utilia.*

Nec diſſimili certe ratiocinio utendum nobis eſt ſi de Philoſophia omnibuſque praecipuis ipſi famulantibus ſcientiis, quae & in uſum Medicinae revocari non immerito, non infructuoſe ſolent, hic ultro diſſerere velimus. Porro eaedem rationes, atque primaria fere argumenta omnia, quibus indicare breviter curavimus, Chymiam atque Anatomiam, rationalem quidem Medicinam pulcherrimis atque ingenioſis cognitionibus magna ex parte ditaſſe: ipſam autem ex toto, & praecipue in hiſce, quae ad praxim ſpectant, haudquaquam perfeciſse: eaedem inquam rationes de Philoſophia aliiſque ipſi adjunctis doctrinis veritati conſonae comperiri facile poſſunt.

Philoſophiam Medicinae parentem eſſe, ſatis omnibus notum eſt; cum inde Medicum incipere quiſque noſcat, ubi deſinit Phyſicus. Attamen, licet maximum ratiocinii Medici fundamentum a Philoſophia derivari certo credam: non eam tamen Medicinae potiorem utilioremque partem, quae non rationibus, ſed remediis Morbos vincit, & ſanitatem affert, inde tanquam

(16) *Barthol. de Moor Cog. de inſtaur. Med. lib.* 1.

tanquam a primaria genuina parente emanaſſe, unquam concedam. Docet enim Celſus, (17) *Repertis deinde Medicinae remediis, Homines de rationibus eorum diſſerere coepiſſe: nec poſt rationem Medicinam fuiſſe inventam, ſed poſt inventam Medicinam rationem eſſe quaeſitam.* Primo itaque ab obſervationibus atque experimentis Medicina emanavit, quae poſtea famulante Philoſophia ditior grandiorque facta, caput ſublimius extulit, atque magnifico rationum amictu glorioſe cooperta, ſuccinctam, quam primo induerat, perſonam empiricam ex toto dimiſit; unde ſaniorem quidem, non autem utiliorem Medicinam a Philoſophia veluti Matre primario pullulaſſe, multoque minus in poſterum ad perfectum inde maturitatis ſtatum perduci poſſe quilibet intelliget.

Et ut paululum de hiſce arrepta occaſione diſtincte breviterque ſermonem ineamus; concedamus primo Philoſophicas doctrinas illas omnes, quae noſtro hoc aevo in Medicinae ſubſidium fauſto admodum ſydere adductae ſunt, utiles quammaxime Medentibus eſſe; utpote eas, quae non a Peripato chimaericas cavilloſas nimis diſputationes atque ſomniatas mere facultates, energias, ſeu potentias veritatem ipſam obumbrantes potius quam illuſtrantes, deſumunt: ſed a ſenſibus ipſis iteratiſque accuratis obſervationibus atque experimentis ratiocinii ſui firmius fulcrum mutuantur. Extant enim undique experimentalis Philoſophiae ſolidiſſima documenta, quae, doctiſſimo Roberto Boyleo veluti anteſignano meritiſſimo clariorem ſemitam demonſtrante, illuſtrarunt ultro atque ampliora reddiderunt tot praeſtantiſsimi tum tranſacti, tum hujuſce noſtri ſaeculi Viri, quos tanquam totius Theoricae ſanioris Medicinae praeclariſsimos illuſtratores nunquam ſatis commendabit poſteritas. Vides hic illic ingenioſiſſima machinamenta; vides tubos variis modis conſtructos diverſiſque repletos liquoribus, atque ordine diſpoſitos vario, mediis quibus modo Aeris elaſticitas, & gravitas, modo rarefactio & condenſatio, aliaeque non minoris momenti ipſius proprietates patefiunt, quae certe & reſpirationis, & perſpirationis negotium totum, omnemque Aeris in Corporibus noſtris ſive intrinſecus ſive extrinſecus agendi vim, tum ſalutis tum morborum peculiarem fontem, aperte nobis demonſtrant. Hinc liquorum quorumlibet eſſentiae, proprietateſque variae tum a denſitate tum a conſiſtentia unice derivandae, ipſorumque varii motus & momenta exſurgunt: dum aut ob nativam gravitatis propriae vim, aut ob extrinſecam quamvis propellentem diverſo modo potentiam, per varios transferuntur tubos majores minoreſve obtinentes diametros, interioreſque varias ſuperficies plus minuſve laevigatas: qui variis modis, aut horizonti inclinati ſunt, aut ipſi ad perpendiculum inhaerent, varioſque angulos cum aliis efficiunt, aut tamen varia ratione oblique magis minuſve ab anguſto in latum, aut viceverſa tendunt.

Hinc primarias tutioreſque circulantis ſanguinis leges, ipſiuſque viciſſitudines,

(17) *Celſus in praef.*

tudines, aut a conſueta ſemita aberrationes quaſcunque quam proxime attingimus. Vides varias in hiſce tubis liquorum contentorum elevationes, depreſsioneſve, dum aut igni admoventur magis, aut ab ipſo retrahuntur, liberove aeri expoſiti ſunt, a cujus ſpecifica gravitatis vi aucta magis vel imminuta liquores alii in aliis tubis pari ratione attolluntur, habitaque ratione ſpecificae eorundem liquorum gravitatis ad diverſam libellam ſuſtentati manent. Haecque ea ſunt, quae perennem aereae atmoſpherae corpora noſtra undecunque cingentis indefinentem actionem variam ad contentorum humorum omnigenas producendas alterationes, juxta occurrentes temporum viciſsitudines perbelle demonſtrant, atque ſatis indicant obviam magis, & vero magis proximam Epidemicorum morborum ſcaturiginem anni temporum quorumlibet curſibus & tranſmutationibus rigoroſe, caeteris paribus, utplurimum reſpondentem.

Variae adſunt alibi quamplurium globulorum diverſae molis ac materiae ſpectandae ſeries, quae diverſos eorum motus, velocitates, impetuſque varios indicant, dum aut per plana variis modis inclinata vi nativae gravitatis ſuae, aliave qualibet extrinſecus adjuncta feruntur, alioſve in globulos iiſdem occurrentes irruunt, habitaque ratione eorundem renixus, impetuſve directionis, aut immoti manent motum ſuum iiſdem communicando, aut quomodocunque reſilientes, novas adepti directiones ad alias partes motus ſuos adimplent. Quodſi in ſolida alia nativa elaſticitate praedita impetum faciunt, ratione alia vario modo motus ſuos protrahere coacti ſunt.

Reſilientibus corporibus hiſce prope adſunt varii funes, pro diverſa ambientis Aeris conſtitutione, varia ratione tenſi, occutrentia quaevis corpora vario impetu retro pellentes, atque ad priſtinum citius tardiuſve locum redacti, habita ratione impetus validioris aut debilioris, quo inde ſemoti antea fuerant.

Ab hiſce omnibus ultro veridicas motus leges aſſequeris, ut melius noſcas, quanam ratione Sanguis per venoſos arterioſoſve tubulos diverſo modo tendentes celerius tardiuſve excurrere debeat; ſervata ſcilicet ratione tum inclinationis directioniſve canalium, tum primarii a Corde recepti impetus, tum vis reniſus ſeu elaſticitatis, qua praeſertim arteriarum parietes ditati ſunt, tum & craſsitiei majoris minoriſve ſanguinei fluidi, plus minuſve recepto a Corde impetui reſiſtentis, atque continentium tubulorum ſtrictioris amplioriſve capacitatis, quam ſupra attigimus.

Recenſita ultro propoſitorum funium vis elaſtica Nervorum omnium atque Meningum maxime eaſdem undecunque cingentium mirabiles actiones patefacit: dum illi ab externis objectis quomodolibet affecti eadem ratione reſiliunt, adjunctum inde oſcillatorium motum primario eorundem fonti communicando, ad varias ibidem figendas ideas; ſive etiam illi intrinſecus a naturali morboſave cauſa quavis ratione ad motum ſuſcitentur,

& pro-

& proportionato correſpondente impetu reſiliant: in quo primaria ſolidorum vis maxima a laudato toties Hequet tanti non immerito habita unice derivatur & pendet.

Vides Rhombos, Rhomboides, Ellypſes modo per latum decreſcentes dum per longum augentur, modo vice verſa diverſaque trahentes pondera per diametri directionem, cujus alteri extremo vis trahens, ſeu punctum fixum, alteri movendum corpus alligatur. Hiſce adjacent Vectes varii corpora alia majore minoreve velocitate & momento aut elevantes aut trahentes, pro varia diſtantia in qua ſiſtitur vis agens, aut corpus movendum a centro motus, ſeu fulcro. Nil certe hiſce melius ſubjici Medico poterat ad explicandas enormes muſculorum noſtri corporis vires, varioſque motus, qui aut indeſinenter fiunt ex perenni ſanguinis arterioſi affluxu per fiſtuloſas eorundem fibrillas a ſola Circulationis lege pendente: aut identidem fiunt, retardantur, accelerantur, regunturve variis modis juxta voluntatis nutum, cujus imperio arterioſus idem Sanguis modo hoſce, modo illos muſculos concitato magis minuſve motu permeat.

Admirandum ultro magis nobis exhibent ſpectaculum Opticae Camerae, Teleſcopia variis numero & configuratione lentibus conſtructa objecta a longe plus minuſve ampliantia atque oculo appropinquantia nunc inverſo nunc recto, quibus ſuccedunt & microſcopia varia, quorum ope minimorum quorumcunque Corporum ſpatia metimur, interſtitia, texturas, atque alia caeteroquin incomprehenſibilia adamuſsim attingimus. Diaphana hinc habemus corpora, fluidaque varia lucem trajicientia, atque varis modis refringentia, in quibus poſita recta virga, magico quaſi incantamento, fracta ideo videtur magis minuſve habita proportione denſitatis liquorum in quibus partim immergitur, & medii in quo primo tota jacebat: cum è denſo in rarius, & è raro in denſum medium lux trajecta oppoſitam ſemper ſubeat refractionem. Nec minus jucundum porrigunt theatrum diverſae lentes, quae Solis radios pro ſua denſitate & configuratione vario modo colligunt, ut citius tardiuſve in unum coeant; ad quod facilius obtinendum aliae interponuntur lentes juxta indigentiam diverſa ratione collocatae, quae in determinata tantummodo a prioribus diſtantia optatum exhibent effectum, dum alio modo diſpoſitae votis omnimode fruſtratum Spectatorem relinquunt.

Vides etiam ſpecula diſsimiliter conſtituta & inclinata objecta variis modis & poſitionibus repraeſentantia, atque multiplicantia. Priſmata quoque habes triangularia, quae inſtar Iridis verſicolorata objecta quaelibet tibi oſtendunt, dum hinc inde admirabili profecto conſpectu,

(18 *Arva, tubi, ſilvae, meſſes, & prata colores*
*Innumeros induta micant, croceumque virenti,*
*Et rubrum croceo miſcent, roſeoque decori*
*Coeruleum,*

(18) *P. Anton. Chanut. in Parnaſ.*

*Coeruleum, niveuſque coit cum murice fulgor:*
*Purpura candeſcit nivibus, flaveſcit in auro,*
*Frondibus arboreis viret, accenſaeque rubeſcunt*
*Purpureo ſimul igne, ſimul rutilantibus auri*
*Ardeſcunt radiis frondes; ceu Flora per omnes*
*Ingenioſa comas ramorum & gramina laetas*
*Veris opes, varioſque ſinu quos claudit honores*
*Sparſerit:*

Hiſce adjunguntur innumera tot alia, quae attente perpenſa omnes reflexionis & refractionis veridicas leges cuicunque oſtendunt.

Hiſce inſtructus concipis illico & admiraris merito infinitam Supremi Opificis ſapientiam in Oculo conſtruendo, cujus mirificum artificium, atque ingenioſam actionem aliunde nunquam aſſequi melius potuiſſes. Perpendis hinc atque intelligis tutius, cur lucis radii ab objectis ad oculum variis modis pro varia eorundem ſuperficie remiſsi, è rariore ad denſius medium tendentes, ad aqueum nempe humorem, primam ſubeant contorſionem, quae oppoſito modo poſtea occurrit, dum Cryſtallinum pervadunt, indeque Vitreum, donec tandem in datum punctum retropoſitae Retinae ſimul uniantur, in tot nempe apices lucidorum penicillorum, ibidemque ceu in papyro camerae opticae parieti appenſa, occurrentis extrinſecus objecti genuinam depingant imaginem.

Quodque de admirabili Oculi in naturali ſtatu conſtituti artificio hic obiter monuimus, ſatis ſuperque dirigit ad morboſas quaslibet objectorum repraeſentationes in Oculo factas, quotieſcunque ipſe a naturali ſtatu quomodolibet recedit. Quando nempe aut ob Corneae, Cryſtallinive humoris opacitatem radiis ex toto tranſitus praepeditur, ut in Cataracta viſum omnimode auferente: aut ob morboſas humorum denſitates varias non recte radii refringuntur, ut debito modo in unum occurrant; aut, incongrua data Retinae diſtantia a Cryſtallino; quando nempe brevior, quam par eſt, aut longior oculi axis fit, quare tardius aut citius pari ratione, quam exigit Retinae poſitio, in apices penicillorum ſuorum lucis radii uniuntur: ſcilicet vel poſt Retinam, vel ante ipſam, & non in ipſa, quod neceſſarium unice eſt pro objecti repraeſentati icone ibidem clare diſtincteque efformanda; Ideo, ut Myopibus, aut Praesbytis ſuccurramus, congruam inde lentium ſtructuram ſeligimus, quibus idonea perſpicilla provido conſilio ipſis conſtruimus.

Sed me ſero fortaſse nimis ab admirandis hiſce Chymiae, Anatomiae, & Philoſophiae amoenitatibus plus aequo deductum fuiſſe, & ſublimiter abſtractum noſco. Jam jam è diverticulis in viam propero. Haec omnia ſupra recenſita jure, & quidem merito hic erant ſingillatim ſubjicienda, ut commodius oſtenderem, qualem quantamque utilitatem toti Medicinae attulerint veterum, & praecipue recentiorum Medicorum labores; propter

ter quos modo eos Chymiae indeſinentibus experimentis, modo Anatomiae accuratiſſimis perquiſitionibus, modo Philoſophiae abſtruſis ſpeculationibus, obſervationibus, ſupputationibus, aliiſque hujuſcemodi ab hiſce pendentibus ſtudiis indefeſſe occupatos fuiſſe, quammaxime Litteraria tota Reſpublica admirata ſemper fuit.

Me hercle haec omnia ampliaſſe quamplurimum, ditaſſe, atque rationalem ultro Medicinam reddidiſſe quidem conſtat; ipſam tamen perfeciſſe, atque ad optatum tandem maturitatis terminum unquam eſſe perductura, nemo ſatis intelliget, nemo ſatis probabit. Siquis enim philoſophicis hiſce arduvioribus doctrinis inſtructus, ſanioribus Theoricae medicae documentis undecunque potitus eſſet, nil autem, parumve ſaltem de practicis ſolidioribus cognitionibus ſibi comparandis ſolicitus fuiſſet; quamvis hinc ſapientibus loquendo, diſputando, differendoque ſatisfacere potis eſſet: nullos tamen hinc unquam morbos, niſi fortuito curaret, quorum ſymptomata, generaleſque cauſae funditus ipſi perſpecte caeteroquin forent.

(19) *Per varios caſus Artem experientia fecit*
*Exemplo monſtrante viam.*

Sine hac Medicus, etſi optime eruditus, nunquam AEgrotantibus ſatis utilis evadet. (20) *Non enim humani ingenii partus eſt Medicina, ſed obſervationum filia, non arbitrariis inventis, non pompoſis nominibus & medelis decipientibus Homines novitatem affectantes curantur AEgroti, ſed quae aliis profuerunt, remediorum obſervatione & applicatione.*

Hac de cauſa non paucos paſſim clariſſimos Viros videre contingit, qui etſi Theoreticis ſcientiis ſuis ſublimis doctrinae ſale perbelle conditis quorumlibet admirationem ſibi merito conciliare valeant, ſi ex cathedra in primariis Academiis diſputent; antehabitae exiſtimationis decus ex toto fere deperdunt, dum ad AEgrotantes accerſiti de Morbi genuina idea, individualibus cauſis, atque congruentibus ipſi praeſidiis medicis differere coacti ſunt. Quare omni jure in hujuſcemodi Medentium theoricorum opprobrium Silvium De Le Boè ſic locutum eſſe conſtat: (21) *Malim uti Medico empirico, ideſt ſecundum experientiam Praxim exercente, quam theoretico ex ſuis ratiociniis & figmentis Medicinam faciente.* Hujuſcemodi ratiocinia & figmenta, quibus quandoque abſque congrua praxi ad pompam potius, quam ad utilitatem nonnulli gloriantur, ſicuti AEgrorum curationibus fruſtranea penitus evadunt, ita & ipſius Artis decori & augmento non parum obſtant. (22) *Revera tandiu profecit medendi Ars, quandiu ſapientiae addicta, operandi feliciter, non erudite interpretandi rationes quaeſivit; hinc, quod Artificum dedecori vertitur, progredi deſiit Ars, ex quo coepit philoſophari.*

Ad AEgrotantes ideo frequenter & ſedulo eſt accedendum, ut ſolidioribus

(19) *Manil. lib.* 1. (20) *Petr. Ang. Pap. in ſacr. Auct. recent. Crit.*
(21) *Silv. De Le Boè prax. lib.* 2. *cap.* 23. (22) *Hequet de purg. Med. cap.* 17.

dioribus. Praxeos cognitionibus illis potiri poſſimus, a quibus non ſola Morborum ingenioſa explicatio, ſed tutior citiorque ſanatio, in qua unice Medicinae utilitas conſiſtit, derivari vere poteſt. Quamobrem ſano certe conſilio Baglivius expertiſſimus Juvenibus Medicis inculcat, ipſos (23) *Doctiorem librum non inventuros quam AEgrum ipſum, cujus Morbus illis diligenter obſervantibus multa ſcitu digna brevi ac fideliter aperiet, quae moleſta plurium annorum lectio praeſtare forſan non poterit.*

Attamen nemo hinc unquam credat, me tam caeco mentis criterio ductum eſſe, ut phiſiologicas ſagaciores ſpeculationes a Chymia, Anatome, & Philoſophia Matheſi famulante petitas è penu Medico ablegandas eſſe, ſtulte contendam, tanquam vanas, atque ad AEgrotantium ſalutem, ipſiuſque Artis decus & augmentum nil penitus conferentes. Tantum enim abeſt ut a ſublimioribus hiſce doctrinis unquam abhorream, ut eas ſemper pro ingeniolo meo indefeſſis ſtudiis aſciſcere mihi curaverim; utpote qui Empiricorum chimaericas nugas veteratoriis Aſſentatoribus relinquens, a doctiſſimo Celſo ipſo didici (24) *Rationalem quidem Medicinam eſſe debere: inſtrui vero ab evidentibus cauſis, obſcuris omnibus non a cogitatione Artificis, ſed ab ipſa Arte rejectis.* Tanta quippe eſt Praxis ad veram Theoriam, & Theoriae ad ſolidiorem praxim relatio, ut una ex his deficiente, altera prorſus vana & inutilis evadat. Etenim (25) *Ars medendi* (aſſerente expertiſſimo Valleſio) *duobus quaſi Cruribus incedit, experientia & ratione, quae cum altero crurum deficit non poteſt per media opera percurrere: ſed multa omittens neceſſaria, tranſibit, ut quae uni cruri innituntur Animalia.*

Praxis ſeu obſervatio, quae rationis prima jecit fundamenta, a Medicinae uſque incunabulis Theoriae materiam ſuppeditavit, in qua morborum occurrentium characteres varios intime magis pervadendo, & medicamentorum adhibitorum peculiares conditiones varias ſcrutando, haec mutuo comparare potuit: eorum diſcrepantes cauſas perquirere atque diſtincte aſſignare, & tandem ad nova ultro inveniendo aditum ſibi parare, mediis quibus ſucceſſive Theoria Praxi ipſi famulari coepit, atque ultro magis inſerviet, quo uſque Poſteri ratiocinationum ſuarum fundamentum inde deſumant, unde primo ratio emanavit: a repetitis nempe obſervationibus quotidiana praxi ad trutinam optime revocatis. Id ipſum aperte teſtatur doctiſſimus de Moor hiſce verbis: (26) *Experientia varia ſuppeditat ad argumentationes medicas neceſſaria, ratio diſponit; illa colligit, haec dijudicat; utraque autem Artem noſtram perficit. Hac via multa praeclara inventa ſunt, & reliqua deinceps invenientur, ſiquis inventorum gnarus ex his ad perquirendum procedat. Quicunque vero his omnibus rejectis, & repudiatis aliam inventionis viam, aut modum aggreditur, & aliquid ſe inveniſſe jactat, is cum fallitur, tum alios fallit.*

Hinc

(23) *Bagliv. lib. 1. cap. 7.* (24) *Celſus in praef.* (25) *Valleſ. controverſ. lib. 8. in praef.* (26) *Barthol. de Moor Cogit. Med. de inſtaur. Med. lib. 1.*

Hinc ſano profecto conſilio, communibus undecunque clariſſimorum Virorum annuentibus votis, id tanquam certum ab omnibus acceptum eſt: non ſolas obſervationes, etſi diligenter perpenſas, etſi graphice exaratas, atque ad Hippocratis mentem fideliter conſcriptas, rationali efficiendo Medico, Artique ipſi firmandae, ditandae, ampliandaeque ſufficere: cum non paucae ex illis ſub veritatis obſcura ſimulatione quandoque mendacium intrinſecus habeant: quod ſolus clinicus Medicus nihil penitus diſcurrens, ſed tantum videns & adnotans, detegere unquam haudquaquam poterit.

Oportet ideo, ut, antequam Medicus habitis obſervationibus fidem praeſtet, eamque ab aliis immature nimis expetat, eas adamuſſim perpendat, & quidem ſolidiorum rationum congruis adhibitis momentis, quae tum ab Anatomia, tum a Chymia, tum a ſaniore Philoſophia, uno verbo a veridica magis Theoria mutuanda erunt. Tali adminiculo habitas obſervationes cum aliis rite conferet: AEgrorum differentias a varia temperamentorum veridica, aut ſaltem veroſimili ſymmetria tuto deſumet: externas quaslibet, internaſque propoſiti morbi cauſas acri judicio penſitabit: Remediorum praeſertim vires attinget melius, quorum operationes praeconcepta plerumque opinione potius, quam ſana mente perpendi ſolent: ac denique ſic planam magis ſibi parabit viam, ut ad alias obtinendas veridicas obſervationes tutiorem ſibi aditum faciat. Quamobrem jure merito praeſtantiſſimus Fridericus Hoffmannus ſic ſtatuit. (27) *Neque tamen ſufficit practicarum tantum obſervationum uberi inſtructum eſſe apparatu, ſed accedat etiam neceſſe eſt ſolida in anatomicis, Phyſico-Mechanicis, Chymicis ſcientia, ſive vera Theoria Medica, quae clavis hiſtoriarum de morbis, & cauſis diverſiſſimorum phaenomenorum eruendis inſervit &c.* Ad haec porro animum rite intendere, cuique primo neceſſe eſt, qui veridicas ſibi aſciſcere in morbis obſervationes tentet, eas nempe, quibus arrepta occaſione in occurrentibus quibuslibet ſymptomatibus, tum ad certius judicandum, tum ad tutius curandum uti commode poſſit.

Hoc unum tantum ſuper hac re ſedulo animadvertendum cuique propono, & praeſertim quibuslibet vix a Medicinae limine ſapientiam paulatim ſorbentibus: quod Theoricae ſpeculationes, utpote ante dictis amoenioribus ſcientiis innixae, Studentium animos ita alliciunt, ut totum perſaepe Hominem auferant. Qua de re ingenioſis hiſce ratiocinationibus aſſueti, atque diſcurſuum multiplici ſpecioſa varietate attracti, non tam facile ab iis ſe diſcedere patiuntur, ut ad materialia Objecta exteriores potius ſenſus, quam interiores potentias afficientia animum convertant, ad ea nempe omnia, quae ad taedium uſque ab AEgrotantibus, ab Adſtantibus diligenter perquirenda ſunt, atque ſeorſim accuratiſſima patientia perpendenda, ut rectum de occurrentibus morbis



(27) *Frid. Hoffm. Tom. 3. in praef.*

judicium facilius emergat. De hiſce praeſertim appoſiteque admodum Juvenes ſic admonet clariſſimus Lanciſius. (28) *Sedulo tamen cavendum ne (ut ſaepe contigit) ſpecie ac praeſtantia harum diſciplinarum ultra metas Juvenes abripiantur. Non pauci enim dum eorundem pulcritudinem evidentiamque ſectantur in abſtruſas & omnino obſcuras Metaphyſicae, Analyſis, Algebraeque inquiſitiones, & problemata ſeſe abdunt penitus & immergunt. Et ſane qui Geometriam diu tractaverint, ingenium utique acre vividumque efficiunt. Verum tamen imaginandi facultatem ita laedunt atque enervant, ut ineptam pene reddant tot tantiſque genere variis, natura diverſis, quin immo ſaepe contrariis noſcendis, tractandiſque naturalibus rebus, quas Medicus experiundo magis, quam meditando conſequitur.*

Hinc, dum pulcherrimas hiſce ſublimes cognitiones intellectum quammaxime ditare, noſcimus, Medicum certe haudquaquam perficere, non ignoramus. Etenim quo magis quiſpiam omnigena hac ſcientia imbutus clariores Philoſophantes alios loquendo, ratiocinando, atque egregie diſputando antecellit, atque veluti praeſtantiſſimus Philoſophus omnium votis habetur: eo magis potioreque jure ab expertiſſimorum Medentium, agendo magis quam loquendo opem AEgrotantibus ferentium, coetu diſtare credendus eſt: niſi ante dictis multiplicibus cognitionibus completum ſelectiorum obſervationum acervum primo adiunxerit; quod utique nemo brevi vitae noſtrae ſpatio praeſtare unquam ſatis poteſt: cum utrinque tam diuturna, tam laborioſa emergat opera, ad cujus complementum nullus homo etſi maxime longaevus unquam ſufficiet.

Haec ſedulo animadvertiſſe Celſum, adnotare quilibet poteſt, ubi diſtincte docet, (29) *Sapientiae ſtudioſos maximos Medicos eſſe, ſi ratiocinatio hoc faceret; nunc illis verba ſupereſſe, deeſſe medendi ſcientiam.* Ab operibus enim, non a verbis, a medicamentis, non a ratiociniis, ab experto tandem Medico, non a diſertiſſimo Philoſopho ſalutem expetunt AEgrotantes, ipſamque tuto ſperare ipſis datum eſt. Quid autem cuipiam prodeſt excelſum le Philoſophantem accuratiſſimum praeſtare? Dum Medicam Artem ſpecialiter profitendo ipſi ineptus prorſus reperitur, & quidem ineptior tot aliis, qui nec Philoſophia quidem a limine ſalutata, omnibuſque penitus deſtituti ſublimioribus ſcientiis, frequentibus tantum AEgrotantium diligentibus viſitationibus, morborumque practicis ſimplicibus ſpeculationibus, congruo Remediorum ſibi parato promptuario, arrepta occaſione Morborum eſſentias non infructuoſe proponunt, atque ſolis erutis a memoria ſignis, differentias quaſcunque ſatis attingunt, nulloque habito reſpectu ad internas cauſas, quas ipſi ſcrutari penitus neſciunt, analogum remedium proponunt, ac morbos vincunt; unde majore iſti merito in praetio communiter habentur, quam priores Medici, etſi ſapientiam omnigenamque doctrinam undecunque criſpata fronte tumidaque facie fruſtra eructantes.

*Nullum*

(28) *Lanciſius diſſert. de Med. Stud.* (29) *Celſus in praef.*

(30) *Nullum ex his, quae ſola ratione concluduntur, fructum percipere licet, verum ex his, quae operis demonſtrationem habent* (divinus Senex in praenotionibus admonet, & ſubdit) *Fallax enim & ad errorem proclivis eſt aſſeveratio, quae eſt cum garrulitate conjuncta. Quo circa his, quae fiunt in univerſum inſiſtere oportet, & circa ea vel maxime verſari, ſi quis facilem, & eum extra culpam habitum, quem certe Medicinam vocamus, ſibi comparare velit. Maximam enim utilitatem tum AEgrotis, tum iis, qui illorum res adminiſtrant, comparabit. Neque vero pigeat ex Plebeiis ſciſcitari ſiquid ad curandi opportunitatem conferre videatur. Sic enim cenſeo Artem univerſam commonſtratam fuiſſe, quod ſingula ex fine obſervata, & ad eadem aggregata fuerint.*

Haec tutior atque utilior via eſt, quam tanto duce Magiſtro ſequi debemus, ut priſtinum Medicinae reſtituatur decus, atque ultro magis magiſque augeri queat: quod maxime refert pro communi ſalute, Medicorumque propria exiſtimatione, quam certe parvi eos facere, ſupra oſtendimus, quos Polymathiae glorioſus & Medico inutilis pruritus extra Medicinae cancellos miſere ex toto abducit.

Veridicam Sciolorum hujuſcemodi Medentium picturam ad vivum optime delineatam pro aſſumpti mei probatione ab eruditiſſimo Hequet placet hic ultro in proſpectum ponere (31) *Videas non paucos naturalis hiſtoriae rebus inſuccatos, vel Medicinam totos eructantes, nihil tamen minus quam Medicos; Medendi enim peritia vacui ſunt, utpote qui Artis amoenitates venando, utilitates omiſere. Errandi occaſio fuit de Medicina praeconcepta opinio, illam eruditionis titulo habuerunt, qua multa ſcire debet, cum ſapientia ſit, qua multum ſcire convenit. Concedendum interea Medicum non deducere Polymathiam, at illum non facit, adjuvat tantum aptiorem Medicinae reddendo: igitur ut eruditio omittenda Medico non eſt, facienda pluris eſt ſapientia.*

Aurea profecto verba tantoque Viro digna? Veram expetant ſapientiam, qui AEgrotantibus ſalutem vere adferre contendunt. Eruditionem non omittant, eam tamen ſolummodo curando, quae ſatis utiliterque docet, non eam, quae nimis abſque fructu inſtruit. Ex Chymiae, Matheſis, & Philoſophiae uberrimo penu ea tantummodo haurire ſatagant, quae ab evidentibus cauſis, non autem ab obſcuris, ut Celſus indicat, emanare facile noſcant; reliquis omnibus otioſae ſubtiliorum Philoſophantium operae, non pro utilitate Hominum, ſed pro ingeniorum fertili pabulo inventae, prorſus relictis; ideoque ſatis ipſis ſit congruas inde dumtaxat generales cognitiones illas eruere, quae abſque eo quod Medentium mentes per mille ambages infructuoſe abducant, commodius tutiuſque ad veridicas Morborum indagines eos dirigunt, rejectis facultatum chimaericis commentis, quibus alias tota ſolidioris Theoriae machina debiliter inhaerebat. Etenim ſi ab ante dictis ſcientiis peculiares quaslibet, atque individuales praeſertim ratiocinationes illas eruere contendant,



(30) *Hippoc. in praenot.* (31) *Hequet de Med. purg. in prolog.*

tendant, quae in quocunque indiſcriminatim AEgrotante naturales & morboſas affectiones quaslibet ſpecialiter detegere valeant:

(32) *Una opera ebur atramento candefacere poſtulant.*

Tanta quippe eſt, & fuit, eritque ſemper inter quemcunque Hominem internarum omnium partium, tum ſingillatim, tum ſummatim ſumptarum diſcrepantia: quantam & quo ad externas partes diverſitatem oculis ipſis attingere, cuique datum eſt. Nullum enim unquam Hominem alteri prorſus ſimilem, ſive quo ad vocem, ſive quo ad inceſſum, ſive quo ad faciei delineamenta ullus invenire unquam poterit: quod & de interna quoque organizatione pariter verum comperitur.

Quis ergo mathematicis tutioribus famulantibus demonſtrationibus in poſſibili quovis AEgro ſpeciales OEconomiae animalis leges, propter quas optima fruitur valetudine: aut peculiares morboſas deviationes varias, unde ipſe variis modis aegrotat, audebit indicare? Si nil penitus ipſi tanquam certum conceditur, a quo ad ignota quaelibet poſſibilia eruenda more geometrico gradum facere queat. Quod ſi incertis prorſus nec ſatis unquam probatis mathematicis ſuppoſitis inhaerere Medicus melius amat, quam tutis aliis minus fallacibus cognitionibus non vi philoſophantis chimaerice ingenii, ſed oculi tantum naturae obvios mores indefeſsa attentione luſtrantis, detectis; caveat, quaeſo ne ingenioſis hiſce facibus nimium allucinatus, rectam judicii ſemitam deſerat, unde peſsime progrediens, incongruam inde ex toto curationis methodum in AEgrotantium perniciem aſſumat. Etenim cum Lucretio ſciat: quod

(33) *ſi prava eſt regula prima,*
*Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,*
*Et libella aliqua ſi ex parti claudicat hilum,*
*Omnia mendoſe fieri, atque obſtipa neceſſum eſt.*

Dicam ideo cum eruditiſsimo de Moor, quod (34) *aeſtimare nos ab abſtractis ſpeculationibus & mathematicis figuris, multum poſſe adjuvari in curatione Morborum, ego eo uſque non admitto, donec uſus id me clarius docuerit. Corporis quippe noſtri compages longe eſt ſubtilior, pororum major diverſitas, textura particularum longe magis ſtupenda, quam ut ad triangulum, parallelogrammum, ſphaeram, cubum &c. reduci queat.*

Nihilo tamen ſecius Matheſi quammaxime Medicina tota debet, a qua tutiorem ratiocinandi methodum, aliaque quamplurima mutuata eſt, quae ad renixus ſolidorum, ad ſaniores motus leges tum in fluidis, tum in ſolidis, atque ad alia innumera, quae ſupra breviter attigimus, ſpectant: quae quidem generalia ſuppeditant documenta, quae etſi in quocunque individuo talia vere eſse, nemo dicere unquam auſit,

mentem

(32) *Plaut. in Moſt.* (33) *Lucret. lib. 4.* (34) *Barthol. de Moor Cogit. de inſtaur. Med. lib. 1.*

mentem tamen per tutiorem dirigunt ſemitam, longe admodum a ſomniatis veterum ſpeculationibus.

Abſit tamen, & quidem longiſsime abſit, ut quo magis ſanioribus hiſce neceſsariis cognitionibus avide nimis mentem ditando, ſublimem ſibi exiſtimationem aſciſcere Medentes curant: eo minus ſe AEgrotantibus utiles reddere practicis neceſsariis documentis ſatagant; quod, peſſimo neſcio quo fato hiſce temporibus praeſertim contingere, dolendum maxime eſt: dum plerique Medici ingenioſiſsimis ut plurimum philoſophicis diſsertationibus tantum, aut Mechanico-Medicis eruditiſsime exaratis Medicum aerarium augere quotidie quaerunt; pauci autem ex accuratis obſervationibus ſolidiores eruendo doctrinas, peculiarium quorumlibet Morborum exactam deſcriptionem pro bono publico diligenter perficere tentant.

(35) *Apparent rari nantes in gurgite vaſto.*

Harum autem obſervationum feraces libri univerſam praxim, juxta recentiorum Medicorum nova inventa, atque ratiocinationes, in proſpectum ferentes, ideo magis utiles evaderent, meritoque pluris eſsent aeſtimandi: quia ab iis ictu oculi arrepta occaſione eas eruere cognitiones Tyrones poſsent, a quibus rectam magis obtinerent methodum, ad curationes ſatius dirigendas; individualibus nempe inde habitis ſignis morbum ipſum, adjunctaque ſymptomata, & familiares ipſius mutationes indicantibus, atque validioribus inde habitis remediis: quae omnia a veteribus tantum Practicis obtinere datum eſt. Hoc autem matureſcente aetate ex quotidiana praxi, ad trutinam rigoroſe perpenſis quamplurimis, quas jam teneo, peculiaribus obſervationibus, pro viribus meis me facturum aliquando, promitto.

Vera Medentis ſapientia AEgrotantibus utilis, poſt neceſsarias, non autem ſupervacaneas ſanioris Theoriae cognitiones, ab iteratis praeſertim clinicis obſervationibus mutuanda itaque eſt. Etenim (36) *caſus clinici* (aſſerente Friderico Hoffmanno eruditiſſimo) *& completae de Morbis hiſtoriae unicum & verum Pathologiae, & Therapiae rationalis fundamentum conſtituunt, ſine quarum ſufficiente apparatu nihil ſolidi Medicus in Theoria ſtatuere, neque in praxi praeſtare & efficere poteſt.* Sola praxis veram & juſtam exhibet trutinam, qua & Theoriam ipſam ponderare recte poſsumus, eandemque illi abſque praejudiciis adaptare, ut ſolidiſsima emergat Medicina. Verum namque eſt, quod (37) *paulatim practicae Medicinae ſe comitem addidit, & ſocias vires junxit Theorica, reverenter tamen circa illam tanquam parentem ſe gerens, rationem quippe facto, non factum rationi accomodans.*

Laudabiliter ſic vera potitus Medicina maximam ſemper apud omnes commendationem pro ſuo atque Artis ſimul excelſo decore quilibet me-

 rito

(35) *Virgil. AEneid. lib.* 1. (36) *Frid. Hoff. part.* 2. *Tom.* 4. *in praef.*
(37) *Bern. Ramaz. Orat.* 8.

rito obtineret Medicus: tum AEgrotantes cito, tutoque, & jucunde ſanando, tum & de Morborum eventibus certe pronunciando.

(38) *Quae ſint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur*: quod maxime intereſt. Namque teſte Valleſio, (39) *Nihil eſt quod tam reddat Medicum aliis Hominibus admirandum, quam pars prognoſtica, quippe quae ſola videtur eſſe ſupra humanam conditionem. Proinde divinus Hippocrates, cum reliquarum Medicinae partium laudes operibus oſtendat potius, quam verbis celebret, tamen prognoſticam multis nommibus commendavit: Et quod major fides habeatur Medico, qui quae AEgro evenere, aut eveniunt modo, aut eventura ſunt, praedicit, eoque plures ſe illi audeant concedere; & quod etiam cum AEgrotantes intereunt, credatur culpa vacare, ſi praedixit: quodque praenoſcendo futuras affectiones melius multo curationem moliatur.*

Ad uberem autem hanc practicarum cognitionum ſupellectilem, hiſce omnibus mirabiliter faventem, aſſequendam tutius: non ſatis certe eſt morborum quorumlibet accuratas & ſingulares obſervationes contexere: ſed & varias temporum conſtitutiones diſtincte perſcrutari neceſſe eſt, quarum habita diſcrepantia variae etiam morborum ideae emergunt, cum ab iis proximam, aut ſaltem quamproximam ſortiantur originem. Ob hanc cauſam ſano certe judicio divinus ſtatuit Senex, quod (40) *qui Artem Medicam recta inveſtigatione conſequi volet, is primum quidem Anni tempora in conſiderationem adhibere debet, quid horum quodque poſſit*; quibus poſitis Regionum etiam, & ventorum, & aquarum ſingulares conditiones diſtincte perſcrutandas proponit. Haec omnia eum non tantum indicaſſe, ſed & accuratiſſime praeſtitiſſe, ex aureis operibus ſuis ſatis & ultro patet. Id autem eo magis neceſſarium eſſe conſtat, cum Morbi omnes ad triplicem vulgarem illam claſſem reducantur: ad Sporadicos nempe, Endemicos & Epidemicos; qua de re non AEgrotantium tantum quorumlibet ſingularis habenda eſt ratio, ſed & Regionum, & Anni temporum, unde ipſi ſpeciatim derivantur. Haec tutior eſt ad veram Medicinae ſapientiam ſemita, quam & doctiſſimus Sydenhamius & Ramazzinus, & Lanciſius, & Hoffmannus, aliique quamplurimi hujuſce & tranſacti ſaeculi clariſſimi Viri laudabiliter percurrerunt.

Horum doctiſſima ſequens veſtigia tribus circiter ab hinc annis ad occurrentium quorumlibet Morborum, & praeſertim peculiarium fidelem diligentemque obſervationem, atque deſcriptionem perficiendam animum induxi, atque in poſterum, donec vixero, indefinenter facere decrevi. Ad hoc autem hac praecipue ductus ratione fui, quod, poſteaquam completam occurrentium epidemicarum conſtitutionum hiſtoriam per longum tempus continuatam graphice exaraverim, atque in unum redegerim, clariorum ſemper Auctorum clinica documenta perpendens, atque cum

(38) *Virgil. Georg.* 4. (39) *Valleſ. controv. lib.* 10. *in praef.*
(40) *Hippoc. de Aere Aq. & Locis.*

cùm occurrentibus ſucceſſive Morbis exactiſſime conferens : multiplicem mihi ſelectiorum obſervationum meſſem ſatis amplam comparare tractu temporis poſſim, cui firmiter inhaerens completum univerſae Praxeos medicae opus de ſingulis agens morbis exarare queam, quod jam incoeptum prae manibus habeo. Trigeſimum tertium vix nunc aetatis annum attingo, & decimum quintum ex quo Medicinae initiatus Praximedicam colere coepi. Quamobrem niſi immatura Mors, quae perſaepe

(41) *rapit Juvenes prima florente juventa*

mihi filum abrumpat, non immerito auſim polliceri, me ineunte aetate non incompletos univerſae Medicinae canones quorumlibet Morborum curationibus optime & ſingillatim faventes tutius firmiuſque ſic completurum eſſe : quod univerſo medico orbi nec inutile, nec ingratum ex toto futurum, ſpero, utpote expetito ab omnibus ſolidioris Medicinae augmento vere conducens.

Ut opus ideo hoc ſolidiore inhaerere fundamento poſſet, non meum tantum, quod quidem minimum eſt, ſed clariorum omnium Virorum, quorum pluſquam ante aetas noſtra ferax maxime reperitur, ſuper opuſculis meis & conſilium & judicium mutuandum erat, ne quiſpiam poſtea ea jam peracta, aut tanquam vana, aut tanquam falſis innitentia ſuppoſitis laceſſere, condemnare, atque abjicere jure poſſet, meque laborum meorum praemio (quod unice ex communi ſalute in patrio degens muſeolo enixe exopto) fruſtratum ex toto relinquere. Hac de cauſa quotannis, aut ſaltem poſt binos ternoſve tranſactos annos, pro ut quotidianae indeſinentes praxeos curae mihi permittent, obſervationes habitas, atque in unum pro tenuitate mea redactas publicae luci donabo, ac qualecunque de iiſdem judicium meum Medicorum ſelectiſſimo coetui ſubmittam, ut ab ipſis, ſuper exhibitis benevolum judicium habeam, tum ut melius opus jam incoeptum dirigam, ſi opus ſit: tum ut novis, quas ipſi ſuppeditare mihi non graventur, cognitionibus, & obſervationibus magis augeam atque perficiam.

Interim trium proxime tranſactorum annorum medicas obſervationes hic qualitercunque conſcriptas teneat Lector benevolus: quas quidem me abſque ullis hujuſce potius, quam illius Theoriae praejudiciis exaraſſe, juxta doctiſſimi Sydenhamii monitum, certo aſſerere poſſum. Scio equidem ſicuti in phyſicis, ita & in medicis ſpeculationibus aequam libertatem ſervandam eſſe, nulliſque ſententiis illum debere mancipari, qui veritatem in obſcuro maxime latentem inveſtigare tentat; quod eo magis in rebus medicis attendendum ſedulo eſt, quo magis ipſae opinabiles plerumque, & conjecturales ſunt. Theoricas tamen hinc inde explicationes pro ingeniolo meo quoquo pacto habitas aliquando ſubjiciam, pro ut occaſio poſtulabit: ne & agendo, & ſcribendo, empiricam me Medicinam profeſſum fuiſ-

 ſe

(41) *Virgil. Eleg. in Moecen. obit.*

ſe, aliquis poſſit arbitrari; cum rationalem caeteroquin, nullis tamen commentis, auctoritatibus, aut ratiocinationibus omnimode devinctam, ſed praeſertim obſervationibus inhaerentem ſemper amaverim.

Verum ſi haec omnia, quae in adnexis obſervationibus proponentur, alio modo ab aliis obſervata eſſe dicantur, utpote alio ſyſtemate praevio, diverſaque methodo curationes dirigente; non hinc falſitatis accuſari merito unquam potero; ſive quo ad methodum, qua feliciter utens, me tutius faciliuſque AEgrotantes a Morbis liberaſſe putavi; ſive quo ad Theoricas hypotheſes, quibus alter forſan aliter fulcitus, alio modo haec melius explicari poſſe, pro certo habebit. Etenim quod ad methodum a me ſervatam ſpectat, aliam non condemno, dum meam propono, de qua Sapientiorum judicium anxie exopto. Scio enim in rebus medicis, utpote conjecturalibus, varios varia atque aeque laudabili ratione incedere poſſe. Si tamen fauſtus exitus curationibus meis plerumque arriſit: ſatis id mihi videtur eſse ad rationem a me in Praxi ſervatam non incongruam demonſtrandam. Quod vero ad Theoricas explicationes attinet: de his nil penitus ſolicitus ero: & quod alii aliter ſentiant, nunquam reprobare contendam, cum nullis penitus ſententiis mancipatus omnimode ſim veritatis genuinus & nudus amator; propter quod modo ab hoc, modo ab illo ſyſtemate rationes mutuari ſatius duxi, pro ut melius juxta occurrentium morborum indolem, variam ſymptomatum ſeriem, atque maxime juxta obſervationum diligens examen, mihi viſum fuit. Loquar denique cum doctiſſimo Sydenhamio quod, (42) *ſi quis hic objiciat alios aeque in hac Arte verſatos non idem mecum de his rebus ſentire; meum non eſt, quid ſentiant alii, diſquirere, ſed meis obſervationibus adſtruere fidem, quod ut faciam, Lectoris patientiam deſidero tantum, non favorem. Res ipſa etenim brevi loquetur.*

Agam hic ſpecialiter de genuina peculiarium morborum pectoris origine, de varia ſymptomatum iiſdem competentium ſerie, de eorundem tranſmutationibus, & judicationibus, atque de rationali magis ipſis congruente curatione, & prognoſi. Idem praeſtabo, cum de tertianarum Febrium varia indole, & exitu, tum & diſtincte de petechialium febrium natura, progrediendi modo, atque phoenomenis variis ſermo habebitur. Hac eadem ocaſione ea omnia evertam vulgaria praejudicia, tum Theorica, tum practica, quae paſſim in earundem curationibus circumferri ſolent, tum ad peculiaria ipſorum ſymptomata explicanda, tum ad congruentia magis ipſis remedia ſeligenda; ſicque quamplurima alia commenta rejiciam, quae diſtincte proferre non erubeſcunt ii, (43) *qui ſine ullo judicio inventa majorum probant, atque ab aliis pecudum more ducuntur.* Aliorum etiam morborum hinc inde hiſtorias contexam, atque ſingulares obſervationes, quas mihi contigit identidem attendere. In hiſce vero morbis

(42) *Sydenh. in praef.* (43) *Lactant. inſtit.* 2.

bis ſervatam a me curationis methodum, quae idonea magis viſa tunc mihi fuit, exacte oſtendam, atque praeſertim remedia illa omnia, quibus tunc uti ſatius duxi.

Porro haec omnia trepidanti admodum animo lucubravi, ab incoepto opere manum fere non ſemel revocaturus optime conſcius, quod (44) *difficile eſt hoc ſaeculo faſtidioſiſſimo ſcripta ſua publici juris facere. Plures aliorum labores cenſoria virgula notare geſtiunt*. Attamen timoris & pudoris ingenui repagula perrupi: quia (45) *utile eſt Medicos, ea, quae ad AEgrotantium ſalutem obſervarunt, benigne aliis communicare*. Praeterquamquod parcendum mihi merito videbatur ultro, ſi haec omnia inconcinne magis, minoreque forſan, quam operae praetium poſtulabat, diligentia exarata ſint, inter aſſiduas praxeos curas, propter quas animus ſatis ſuperque defatigatus vix modicum inde tempus ſtudiis diligenter inſumendum ſurripere poteſt. Quamobrem ſi haec ſapientibus Viris toto animo pro libito & commode ſtudio deditis parum arrideant, cum Seneca gratioſe animadvertere non graventur, quod (46) *nulla res bene exerceri poteſt ab Homine occupato*.

Certe ſi aliud mihi munus ineſſet, quod majus mihi concederet otium, pro meis certe, & Lectorum votis aſſumptam mihi operam melius fortaſſe perfeciſſem, atque in poſterum melius etiam praeſtare poſſem. Hac eadem de cauſa ſi quiſque ſciat, me non Rhetoris perfectiſſimi, ſed Medici tantum munus quomodolibet profiteri: ingenii mei tenuitati, & ſcribendi modo parcere non recuſabit; cum aequum tantum Lectoris benevoli judicium meo muneri conſonum, omnemque amorem anxie vehementerque exoptem, ne in incoepto vix opere animo deficiam, quin immo ut magis ultro promotus ſim ad reliqua jam promiſſa aſſumenda, atque ad calcem perducenda. Id autem eo magis mihi deberi ſemper credam, quo magis haec ad utilitatem tantum non ad pompam, non ad gloriam conſcripta ſunt; Quare cum elegantiſſimo Poeta ſic effari non verebor:

(47) *Da veniam ſcriptis, quorum non gloria nobis*
*Cauſa, ſed officium, utilitaſque fuit.*

Hiſce poſitis, ſi quis adhuc malignante tantummodo natura ductus, (quorum neminem unquam exiſtere credam) injurioſis dicteriis labores meos tanquam inutiles divellere tentaret, aut quomodolibet me injuſte offendere: ſciat me ad haec nil penitus animum admoturum, dum ogganientes hujuſcemodi Blaterones nunquam curabo, propter quos ab incoepto munere removeri haudquaquam potero. Etenim cum Platone ſemper dicere non erubeſcam (48) *Talia quidem noſtra eſſe, non qualia quis optaret, ut trito proverbio fertur, ſed qualia eſſe poſſunt: ſimul agnoſcentes alium reperiri poſſe, qui plura & meliora in hoc argumentum conferat, qui vero omnia, neminem.*

(44) *Barth. de Moor in praef. cogitationum &c.* (45) *Idem ibid.* (46) *Seneca de brevit. vitae cap. 6.* (47) *Ovid. 3. de Pont. Eleg.* (48) *Plat. in Hipp. Mayor.*

# SECTIO PRIMA

## Conſtitutio Epidemica partis anni 1733.

## CAPUT PRIMUM

### *Febris Tertiana exquiſita.*

I. NON aliter certe melius aſſumpto muneri ſatisfacere me poſſe pro certo habui, dum peculiarium morborum, qui tranſactis proxime tribus annis 1734., 1735., & 1736. noſtro ſub Coelo graſſati ſunt (*Epidemicorum* nempe praecipue, tum & aliorum quorumlibet, quos & *intercurrentes* ſeu *ſporadicos*, & *ſtationarios*, aut alio quovis nomine appellare ſolemus) exactam hiſtoriam conſcribere mecum ipſe ſtatueram; quam ſi ab aeſtivis uſque praegreſſis menſibus anni 1733. totius operis exordium ſumerem, habitorum nempe tunc morborum indolem, mutationes, tranſmigrationes, & exitus varios accurate conſcribendo. Tantam quippe illorum cum ſubſecutis morbis relationem, ſeu cognationem quamdam animadvertere potui; ut iſti ab illis quaſi per ſucceſſionem derivari viderentur, atque ab eorundem admirabili profecto tranſmutatione, aut pertinaci ſaltem, ut ajunt, recrudeſcentia pendere. Quamobrem nec illorum progreſſus & terminos, nec iſtorum genuinas origines & derivationes perpendi adamuſſim poſſe, mihi videbar; niſi de illis primo diſtincte diſſerens, ad ſubſecutorum inde morborum deſcriptionem omnibus numeris abſolvendam, faciliorem mihi, tutioremque aditum pararem.

II. AEſtate praedicti anni 1733. ingentibus plus ſolito caloribus atque diutius perdurantibus Aer ferbuit. AEſtus enim paulo poſt Vergiliarum ortum primo inſurgens, ſucceſſive magis magiſque adauctus eſt, uſque dum, cum

(1) *Acer anhelantes incendit Sirius agros*,

ſequenti toto Auguſti menſe vehementius vires ſuas ultro exereret, uſque ad octavam circiter Septembris diem, non procul ſcilicet ab Autumnali AEquinoctio. Ideo autem hiſce menſibus eo ſaevius caloris dominium paſſi fuimus, quo rarius aut occurrentibus nubibus ab indeſinentibus radiorum Solis ictibus tellus defendi unquam potuit: aut congruo imbrium beneficio madefieri: aut provido Septentrionalium ſaltem ventorum afflatu gaudere.

III. Hinc paulo poſt aeſtivum Solſtitium Tertianae febres magna in copia

(1) *Stat. 3. Syl.*

copia caput extulerunt. Non eodem tamen eae semper passu incedebant, sed varia ratione progrediendo, variique stipatae *symptomatibus* modo majus, modo minus negotium Medicis facessere visae sunt. Omnes tamen ad duplicem reduci classem merito poterant: ad exquisitas nempe violentius insurgentes, & nil penitus ut plurimum aestimandas: atque ad spurias, ut ajunt, alias, quae etsi sub initio mites simularent accessiones, in progressu tamen aut gravissima praeseferebant *symptomata*, propter quae in discrimen vitae AEgrotantes manifeste conjiciebantur; aut diu admodum protrahebantur chronicas alias accersentes AEgritudines; propter quod utrinque pernitiosae quammaxime evadebant.

**IV.** Febrium istarum omnium peculiares attingere mores, ipsarumque varios motus ab adnotatis toties signis in prospectum ponere, non abs re erit, nec inutile forsan. Tertianae hae febres, quae primo prope, aut paulo post AEstivum Solstitium quamplures invasere, plerumque benignae indolis erant, solos Exquisitae simplicis intermittentis, sive mavis, legitimae characteres tantum proferentes.

V. Istae autem Corpora optime constituta, atque caeteroquin bene valentia, nec incongruo victus regimini assueta ut plurimum corripiebant. In hisce praesertim *Almeliletu* (quo nomine cum Arabicis, & antiquis aliis Medicis intelligo praevias immediatas ad febrim dispositiones, quae proprie febrim non constituunt: seu cutis calorem plus solito adauctum, universalem lassitudinem, inediam, atque alia hujuscemodi, quae varia in variis occurrunt, pro varia AEgrotantium constitutione & febris ipsius natura) in hisce, inquam, post *Almeliletu* universale sequebatur forte frigus, aut rigor etiam modo longior, modo brevior, aut plus minusve protractus, habito respectu ad vim causae febrem producentis.

VI. Rigor iste in primis accessionibus semper mitis, successive augebatur in subsequentibus usque ad tertiam, quartam, aut etiam quintam diem: quo transacto tempore, ad remissionem vergente morbo, & ipse minor semper reddebatur, usque dum non raro post quintam plerumque post septimam accessionem statim omnimode solveretur febris: juxta Hippocratis monitum (2) *Tertiana exquisita septenis circuitibus, quod tamen longissimum est, judicatur.*

VII. Hujusce febris accessiones congruo semper praevio sudore universali solvebantur, & quidem taliter, ut modica excepta virium dejectione, AEgrotantes, soluta ex toto febri, sequenti intermissionis die vix quidpiam antea se aegrotasse sentirent. Plerumque febres hae nullis stipatae *symptomatibus* erant: gravi dempto dolore per longum Dorsi, quandoque etiam capitis; ob fortem Aortae, aliarumque Arteriarum distensionem, a rarefacto in ipsis sanguine, maximoque cum impetu adauctae velocitati proportionato

(2) *Hippoc. Aphor. 59. Sec. 4.*

nato in ipſarum parietes irruente, factam: quod ideo omnes plus minuſve experiebantur. Aliquibus tamen Vomitus, aut inanis penitus, aut cum flavae virentiſve materiei amaricantis expulſione, prope febris acceſſionem, tertia maxime, aut quarta morbi die occurrebat: abſque ullo tamen animi defectu, aliiſve conſuetis *ſymptomatibus*, quae tertianis aliis contumacioribus, aut magis pernitioſis evenire ſolent: de quibus poſtea ſermo erit.

VIII. Vomitus bilioſi non raro breviorem hiſce Febribus terminum ſtatuerunt; tum & croceae affluentes dejectiones, quas poſt ſecundam & tertiam etiam acceſſionem eveniſſe, atque perfectae criſis loco fuiſſe, toties obſervavimvs. Sitis tamen cum amaritie Oris inſeparabile fere ſemper *ſymptoma* fuit. Quo ad acceſſionum diuturnitatem, hae vix ad octavam, aut ſaltem decimam horam protrahebantur: quod ſi hoc tempus tranſgrediebantur, non modica de febris extenſione, etiam poſt ſeptimam acceſſionem ſuſpicio hinc aderat: quod ſaepiſſime contigit.

IX. Quotieſcunque ad hujuſcemodi exquiſitas tertianas febres curandas accerſitus fui, non agendo potius, quam aliter AEgrotantibus me prodeſſe poſſe, pro certo habui: maxime cum firmum mihi ratumque ſemper fuerit, hiſce praeſertim magis quam aliis febribus illam omni jure convenire Morbi definitionem a doctiſſimo Sydenhamio propoſitam, atque ab aliis unanimiter acceptam: eas nempe (3) *nihil eſſe aliud quam Naturae conamen, materiae morbificae exterminationem in AEgri ſalutem omni ope molientis*. Unde & febres tertianas hiſce a magnis liberare morbis, communi fertur adagio. Hinc in earundem curatione haec maxime mihi cura fuit, (quoties tamen mihi libere agere non fuit denegatum) ne quidpiam ſagacioris naturae ſalutares motus, aut plus aequo ſolicitarem, aut diverterem, multoque minus maleſano conſilio cohiberem: ſed tantum ut auxiliatrices ipſi manus porrigerem, impedimenta quaeque, ſi unquam eſſent, tollens, ipſique tutiorem facilioremque victoriam dextere parando.

X. Hujuſcemodi eſt ſapientiorum omnium Medicorum in hiſce curandis febribus tanquam inviolabile, ſicuti & in aliis etiam Morbis, ſervandum maxime conſilium: quod clarius indicat eruditiſſimus Hequet, dum ſic monet: (4) *Talem ergo febrim nactus Medicus, de medicaminibus ſolicitus minus, de diaeta cogitabit, caetera providendo, quae fluida diluant, leniant ſolida, vias reſerent, arceant obices, impedimenta tollant, in quibus conquieſcendo non fruſtra expectatam febris ſolutionem praeſtituto tempore factam, vel nulla etiam ſenſibili vacuatione data, ſtupens & gaudens videbit*.

XI. Hiſce de cauſis nunquam Sanguinis emiſſionem AEgrotantibus hiſce praeſcribere ſolitus fui, & niſi in iis, caeteroquin bene conſtitutis, in quibus praevia attenta univerſali *plethora*, merito ſuſpicandum erat, ne Sanguis aliunde quam-

(3) *Sydenh. de Morb. acut. in gener. Cap.* 1. (4) *Hequet Com. Aphor.* 59. *Sec.* 4. *Hippoc.*

quammaxime extra febris inſultum canales adimplens, febrili ſuperaddita rarefactione, majus inde eadem ratione ſpatium expetens, tubulorum tunicas extra limites fortiter diſtenderet; unde & graviores Capitis Dorſique dolores, & univerſales partium omnium moleſtiſſimas tenſiones, & deliria etiam non raro occurrere, animadverti: in iis praeſertim, in quibus aut vaſa Meningum aliarumque partium minores aequo diametros obtinerent, aut ex minus flexibilibus fibrillis conſtruerentur: unde ſuperaddito rarefacti Sanguinis majori propulſui ſatis reſiſtere haudquaquam poſſent. Ideo autem eo magis veritati conſonam rationem hanc arbitratus ſemper fui, quo ſaepius attenderim, in maxima tertianae iſtius febris, & aliarum ſaepius, aeſtuatione, Narium haemorrhagias ſuccedere, maxime cum de *plethoricis* ageretur Corporibus. Memini me cruentam urinam toties obſervaſſe in Reverendo D. Zacharia Vacchello, qui quoties tertiana febre corripiebatur, prope remiſſionem ſanguinem ſemper cum urina expellebat, majore minoreve in copia habita ratione ad febrilem ſanguinis tumultum, juxta febris majorem aeſtum, Emulgentium tubulos ita ampliantis, ut non tantum ſeroſis urinae tenuvioribus moleculis, ſed & fibroſis Sanguinis particulis liber aditus fieret, ut cum urina ſecernerentur.

XII. Id autem ideo in ipſo occaſione febris diſtincte evenire putavi: quia aliquoties etiam ſanus, ſive ob violentas Corporis exercitationes, ſive ob aromaticorum, meracioriſve Vini uſum, aliamve non abſimilem intrinſecam extrinſecamve cauſam, ſanguinolentas & quidem ſanguine intime ſaturatas urinas ille excernebat, plerumque craſſas admodum & turbidas; unde peculiaris renalium ſecernentium porulorum amplitudo, & laxitas patebat, quae major reddebatur urgente febre, quo majus inde fiebat irruentis ſanguinis momentum, ipſius velocitati ob adauctam febrem pari ratione reſpondens.

XIII. Ob eundem febrilem tumultum in hiſce febribus tertianis factum, ſeu aeſtuantis ſanguinis fervorem, quandoque *petechiis* extimam Corporis ſuperficiem foedari arbitror, non ſecus ac in *petechialibus* aliis febribus ſic proprie dictis evenire ſolet: quod quamplurimi teſtantur Auctores, ac praeſertim praeclariſſimus Homobonus Piſo concivis noſter, atque in Academia Patavina celeberrima Medicinae practicae Profeſſor eruditiſſimus in elegantiſſimis diſſertationibus ſuis *de regimine magnorum auxiliorum*; pro ut & infra adnotabimus, de Maculis illis agentes, quae in *epidemia* Malignantis Febris Cremonae tunc graſſantis obſervatae ſunt; qua occaſione magis veridica *petechiarum*, & quorumlibet exanthematum origo, progreſſus, atque earundem magis ſanum judicium proponetur.

XIV. Vice verſa non aliunde profecto ratiocinari melius poſſumus, dum percolatas, ut ajunt, ac fere aqueas urinas in initio tertianariae acceſſionis videmus; quando fibrae

omnes

omnes contrahuntur, atque coarctantur renales poruli: indeque ipſas rubicundas fere, aut alio modo fortiter coloratas, remittente febre poſt praegreſſum ſanguinis fervorem intuemur: tunc nempe cum adaucta febri, ampliatiſque inde ſecretoriis omnibus tubulis, laxatiſque poſtea ſolidis, patula magis in Renibus fit via, ut per ipſam, una cum ſeroſis minimis particulis, craſſiores etiam aliae percolari poſſint, propter quod magis minuſve intenſos colores, craſſitiemque variam urinae induunt.

XV. Hiſce itaque de cauſis urgente *plethora*, aut peculiaribus id poſcentibus *ſymptomatibus*, habitove reſpectu ad familiares ſuppreſſas quaslibet ſanguinis evacuationes, maxime ſi de imminente quavis haemorrhagia ſuſpicio adeſſet, in remiſſione ſecundae febris praeſertim ſanguinis emiſſionem imperavi, & quidem utiliter; cum ampliore hinc facto tramite circulanti reſiduo ſanguini, parique ratione ſolidorum relaxatis fibris, praecipui tollerentur obices, propter quos conſuetas ſudoris criticas expulſiones retardari paſſim animadverteram: quod fauſto plerumque exitu evenit.

XVI. Exinanitis ſic vaſis, ob congruam ſanguinis detractionem, laxatiſque per conſequens fibris, facilior mihi inde tutiorque fiebat aditus ad purgans remedium exhibendum, ſive per inferiora, ſive per ſuperiora, pro ut AEgrotantis, aut morbi peculiaris ratio per hanc potius, quam per illam viam bilioſi humoris eductionem expeteret. Ad hujuſcemodi tamen remedium purgans tunc ſolum in hac febri confugere ſolitus fui, cum, aut ex ſe ſola morbi victoriam moliri natura ſatis non videretur, aut ex praehabito liberaliore victu, aliave de cauſa de copioſo latitantis bilis apparatu certus eſſem; quem tum ex flavente linguae colore, oris amaritie, ex praegreſſis non completis expulſionibus, atque maxime ex moleſto gravedinis ſenſu in regione ventriculi, aut prope ipſum ſatis conſpicuo, noſcere aperte poteram. Hiſce ſic ſtantibus leve purgans utiliter ſemper propinavi: nempe aut Sirupum roſatum ſolutivum, quem dicunt, aureum, aut Sirupum ex flor. Perſicorum, aut potionem levem clarificatam, cum infuſione Rhabarbari, & Tartari albi, atque Pulpae Tamarindorum, addita ſufficienti quantitate dicti Sirupi. Hujuſcemodi pharmaci ope, ſi qui erant in inteſtinali tubo craſſiorum faecum obices, eos tollebam, ſimulque tenacem bilem, proprio continentium ſolidorum ſuſcitato motu, excutiens, neceſſarias naturae conſuetas expulſiones promovere curabam.

XVII. Verum cum de Helluone ageretur, atque ab iteratis ad vomitum concitationibus cum amaritie oris, & ſtomachi paſſione in cholericis maxime corporibus, de latitante prope ventriculum bilioſa maſſa monitus eram; ad Ypecacuanham illico confugiebam, eo maxime ductus conſilio, quod, quo natura vergeret, eo materiam ducerem, atque per breviorem viam: abſque quod eam per longos inteſtinorum anfractus inutiliter, nec non cum juſta

noxae

noxae ſuſpicione perducerem.

XVIII. Fauſtis ſic ſemper mihi votis res ceſſit; dum vice verſa ex oppoſito ab emetico temperans, cum indicantia id ſatis poſcere non viderentur, per inferiora congrue purgare ſatius duxi. Attamen utramque purgationem toties omiſi, quoties ſagax natura ipſa ſuo munere optime fungebatur: aut *Chlyſteribus* tantum ex lacte & ſaccaro utendum eſſe, docebam, ad retardatas promovendas expulſiones in illis maxime corporibus, quibus, cum purgantia caeteroquin omni jure convenirent, ob juſtas cauſas minus tuta evadere poſſe, pro certo habebam: Caeterum nulla alia exhibebam remedia, copioſas tantum AEgrotantibus Aquae potiones concedens, quibus data opera ſuccum Limonum immiſceri jubebam, tum ad ſitis fervores melius compeſcendos, tum ad bilis aeſtuantis tumultus facilius ſedandos.

XIX. Sub tertianarum exquiſitarum ſimplicium cenſu, & duplices etiam recenſendas eſſe ſemper putavi. Hae enim licet acceſſiones de tertio in tertium ſibi ſemper reſpondentes quotidie haberent: non magis tamen quam illae timendae erant; illas tamen ſolum intelligendo, quarum acceſſiones quotidie cum manifeſto rigore exſurgentes, vix octavam aut decimam ſaltem tranſgreſſae horam, cum copioſo ſudore ex toto ſolvebantur, nulliſque gravibus ſtipatae erant *ſymptomatibus* grave AEgrotantibus incommodum afferentibus.

XX. Febres hae eadem prorſus curatione ac ſupra enarratae ſimplices, iiſdemque ſervatis cautionibus, aeque facile remittebant; quod tamen ideo mirum mihi minime erat, cum ab eadem penitus cauſa, citius vel tardius agente, utraque pendere, non ignorarem. Hanc enim non aliunde melius quam ab ipſa bile petendam eſſe, tanquam indubitatum apud pleroſque habetur: quod aperte ſic indicat praeclariſſimus Hequet. (5) *Enim vero exquiſita febris tertiana eſt a fervente bile nata, qua exaltari maxime poteſt, aut evolvi ſanguis, quod accendi & flammare eſt; talem ergo febrim tertia qualibet die exacerbari, novas eſt tam ſaepe exſuſcitari flammas, proferique novos ignes naturae ferendos, & vincendos Arti.* Bilis enim a nativa conſtitutione ſua deflectens, determinato tempore in biliariis receptaculis ad quandam idoneam quantitatem coacervata in fervorem effraenate ciebatur, qui aut quotidie, aut alternis tantum diebus fiebat, pro ut citius aut tardius, copioſior aut parcior ejuſdem ſecretio haberi poterat.

XXI. A bilioſo hoc unico principio facile eſt quaecunque tertianarum quarumlibet *ſymptomata*, eorundemque motus varios derivare. Quippe cum bilis in hujuſcemodi caeſtus primo ſic excitata, circumpoſitas membraneas partes tum pungenti vi ſua, tum adjuncto impetu irritando, ipſas in *ſpaſmodicos* cogit motus, contractioneſque varias (unde genuina rigoris cauſa deſumitur): quod tamdiu perdurat, uſque dum bilioſus

(5) *Hequet Com. Aphor.* 43. *Sec.* 4. *Hippoc.*

biliosus humor ſuperatis iis omnimode, quibus antea occludebatur, cancellis, amplius ſpatium in Inteſtinorum cavitatibus nactus, partim Ventriculi inferius orificium aliquando ſubit (quare aliquibus rigoris tempore biliosus ſuſcitatur vomitus): partim ſucceſſive inferius progrediens, reliqua pervadit inteſtina, per quae tandem liberum ſibi parat aditum, ut inde educatur: quod aliquando vigente febri, plerumque in remiſſione occurrere, non ſemel obſervavi.

XXII. Cum, primis ſuperatis cancellis, biliosus febrilis humor extra aream circulationis in cavitatem inteſtinorum magna ex parte effuſus eſt: Partes omnes quae antea, ut diximus, contractae maxime fuerant, dempta priore, qua urgebantur, cauſa, iterum relaxantur, & frigus ceſſat, magno ſuccedente calore. Hic autem neceſſario evenire debet: quia, laxatis undique nerveis fibrillis canalium quorumvis parietes contexentibus, ſucceſſive Vaſorum omnium capacitates, quae antea conſtrictae erant, eadem ratione augentur, contentuſque Sanguis, qui ob eandem cauſam in iiſdem fere ſtipatus jacebat, pari modo dilatatur: dum componentes omnes ipſius moleculae ob nativam elaſticitatem ſuam, priorem, quam antea deperdiderant, diſtenſionem iterum acquirunt. Hoc cum in minimis quibuslibet moleculis eveniat pari modo, ſingulae in ſingulas quaqua verſus impetum faciunt; unde ex adjuncta nova hac lucta, novus in ipſis atque in tota maſſa inordinatus ſuſcitatur motus, qui cum alio a Corde indeſinenter derivato conjunctus, effraenatam illam conſtituit ſanguinis coñotionem cum adaucta velocitate, propterquam febrilis calor ſatis & ultro explicari poteſt. Haec omnia non incongrua analogia veritati magis proxima quilibet noſcet, ſi peculiarem illum attenderit calorem, qui cum proportionata pulſus frequentia *hyſtericas* quaslibet *ſpaſmodicas* contractiones plus minuſve ſubſequi plerumque ſolet. Durat autem diutius, aut citius ſolvitur, donec ſolidorum fibrillae omnes *ſpaſmodicas*, quas antea ſubierant, contractiones, ſicuti & fluidorum particulae praehabitas compreſſiones proportionatis *oſcillationibus* compenſare rite potuerint. Eodem enim prorſus modo, quo pendulum, dum horizonti ad perpendiculum inſiſtit tanquam in nativo loco ſuo: ſi vi quavis fortius, aut debilius inde removeatur, poſteaque liberum evadat, eadem proportione hinc inde oſcillare incipit longiore brevioreve tempore, habita ratione impetus, quo primo a quiete receſſerat. Tandiu autem motum proſequitur, uſque dum paulatim imminuto inde impetu, minores ſemper & minores *oſcillationes* perficiat, donec tandem ad quietem perveniat. Pari pacto id etiam de ſolidorum fibrillis, fluidorumque moleculis contractis, atque coarctatis verum eſſe, non abſonum mihi videtur judicare; dum iſtae etiam *ſpaſmodica* contrahente ſuperata quomodocunque cauſa, ſui juris factae, ac quaſi a compedibus ſolutae, quaqua verſus congrua ſervata proportione

tione commoventur, atque oſcillare pergunt.

XXIII. Omni ideo jure febrim *convulſioni* ſupervenire, bonum eſſe animadvertit Hippocrates, quam vice verſa, dum ait (6) *Febrim convulſioni ſupervenire melius eſt, quam febri convulſionem*. Etenim febrilis cauſa, quaecunque tunc illa ſit, a compedibus contractas liberat partes, dum novo adjuncto impetu, priorem contrahentem ſuperat potentiam; quod & *anthyſterica* medicamenta eadem ratione praeſtare, laudatus toties docet Hequet. (7) *Hoc autem ipſum eſt* (inquit ille) *quod agunt Anthyſterica, atque antiſpaſmodica remedia, quae ſingularibus & propriis elateribus turgidula, ſanguinem pandunt, acuunt, adigunt in nervos, quorum arterias reſerando ſanguini aperiunt aditus, illiuſque circuitui libertatem reſtituunt, & aequabilitatem*. Quod ſi tantum poſſunt *anthyſterica* haec medicamenta volatilia in exiguo admodum doſi exhibita, atque vix vix in ventriculum intruſa, ad *oſcillatorios* ſuſcitandos partium motus antea a *ſpaſmodica* cauſa ſopitos: quantum nam ultro magis poterunt bilioſae febrilis materiae moleculae minimae praeter modum actuoſae, per inteſtina quaqua verſus majore admodum in copia diſperſae, indeque etiam per *lacteorum* venarum hiatus in ſanguinem tranſmiſſae, ad *oſcillatorios* hoſce ſuſcitandos, & perennandos motus, febrilemque aeſtum ultro producendum per plures horas in tertianis hiſce febribus? Donec tandem partim per ſudores, partim per urinas, partim per Alvum bilioſo furente expulſo humore, tum in fluidis, tum in ſolidis *oſcillatorius* de novo adjunctus motus paulatim imminuatur, atque ad nativam aequabilitatem redigatur.

XXIV. Bilis haec morboſa hac indole (cujuſcunque naturae illa ſit, quam certe adamuſſim indicare fruſtra quilibet quaeret) praedita, ſi alternis diebus a ſanguine in conſuetis Hepatis *colatoriis* in congrua quantitate excernatur, alternis diebus febrilem ſuſcitat luctam, tertianamque ſimplicem intermittentem producit; duplicem vero, dum ſingulis diebus de novo in ſufficienti copia coacervata, quotidie ſaevit & furit. Quare ſatis patet eandem utriuſque febris cauſam eſſe, atque iiſdem vincendam remediis, quibus plus minuſve, juxta ejuſdem copiam, aut tenacitatem majorem minoremve, reſiſtit: quod experientia ipſa compertum ſatis apud ſaniores Clinicos habetur.

SECTIO

(6) *Hippoc. Aphor.* 26. *Sec.* 2. (7) *Hequet in Com. ejuſdem Aph.*

# SECTIO PRIMA

## CAPUT SECUNDUM

### *Febris Tertiana Spuria.*

XXV. NON omnes tamen tertianae febres iſtae eandem in omnibus tam benignam ſervabant indolem; ſed habita proportione Corporum, quae invadebant, nec non & occurrentis praeſertim Aeris conſtitutionis ſervata ratione, variis modis, majore nempe minoreve vi ſaevire viſae ſunt. Etenim quo magis ab AEſtivo Solſtitio recedentes Autumnali AEquinoctio propiores tunc eramus: tertianae febres ſpuriae, ut ajunt, tum duplices, tum ſimplices erum & aliae utriuſque generis, peſsimae tamen indolis, atque ob gravium *ſymptomatum* comitatum, utpote mali moris, merito metuendae exſurgere viſae ſunt, quarum peculiares mores, adhibitamque in ipſis curandi methodum, ſanioreſque ipſis congruentes ratiocinationes, hic diſtincte ſubjiciam.

XXVI. Tertianae hae Spuriae, ſive ſimplices, ſive duplices in eo a legitimis exquiſitis ſupra deſcriptis differre videbantur, quod ut plurimum cum levi rigore diutius protracto inſurgerent, atque a prima, uſque ad quartam acceſſionem magis magiſque augerentur. Iſtae diutius perdurabant quam aliae; cum pleraeque ex his duodecimam & ultra magis etiam horam tranſcenderent: ita tamen ut procedente longius febre, eo diuturniores ſemper acceſſiones fierent; Quare illae praecipue, quae duplices erant, conjunctis non raro acceſſionibus, ab intermittente in continuam migrabant; maxime cum conſuetam quotidie acceſſionis horam plus minuſve praeirent: unde febris quae antea die majoris, ut dicitur, *notae* occurrebat, mutatis vicibus ad ſubſequentem minoris *notae* diem circuitus ſuos transferre paſſim ſolebat. Cum autem id praecipue eveniebat, non tantum febris continuae naturam facilius adipiſcebatur, ſed magis quam aliae diuturna fiebat. Generatim loquendo tertianae hae ſpuriae, quaecunque illae eſſent, modico admodum cum ſudore ſolvebantur. Quodſi levis ſudor iſte diutius perdurabat, comite frequentia quadam pulſus maxima diu protracta, una cum *ſoporoſo* capitis gravamine, univerſali laſſitudine, cibi faſtidio, oris amaritie, ventriculi paſſione, aliiſve hujuſcemodi *ſymptomatibus* poſt harum febrium ſolutionem perdurantibus: certo certius de diuturnitate maxima morbi pronunciandum erat. Ideo febres hae omnes non ſeptenis circuitibus, ut aliae,

ſed multo longius, pro varia indole ſua, curſum adimplebant. Attamen in hiſce nil penitus metuendum ut plurimum erat: aſt non omnes aeque facile curabantur. Plerumque remediis auſcultabant citius illae, quorum poſthabitae ſemper acceſſiones, quam citius quotidie inſurgentes fierent. Neque id quidpiam a ratione alienum videbatur, cum inde innoteſceret ſatis, minorem quotidie haberi ejuſdem bilioſi humoris copiam, qui, ut in congrua quantitate ad producendam febrim idonea ſecerneretur, majore certe temporis ſpatio indigebat: quod cum quotidie majus & majus ſemper evaderet; inde fiebat, ut non raro illae, quae tertianae duplicis characterem habebant, in ſimplicem tranſmutarentur: eademque ratione, poſthabitis ultro acceſſionibus, & in Quartanam migrarent, in *Quintanam*, *Sextanam*, *Octanam &c.* atque etiam in aliam, quae poſt quindecim ſingulos dies acceſſiones haberet; quod ſaepe contigiſſe adnotavimus, quo magis ad Vergiliarum occaſum vergebamus.

XXVII. Ex iteratis autem hiſce, atque tot aliis obſervationibus firmum mihi ratumque ſemper fuit, febres hujuſcemodi omnes a bilioſo eodem principio unice derivari, habito tantum diſcrimine congruae ipſius quantitatis, quae breviore, aut longiore tempore coacervari ita poterat, ut febrilem exſuſcitaret aeſtum. Quamobrem hinc ſatis patet, & Quartanae ſimul febris originem aeque ac Tertianae ab Hepate deſumendam eſſe, non autem a Liene, quod veteribus praecipue Medicis perſuaſum fuit. Neque contra militare videntur Lienis tumores, qui aut Quartanas Febres praecedunt, aut ipſas comitantur, aut iiſdem profligatis eveniunt. Etenim quicunque ſatis noverit immediatam Hepatis cum Liene communicationem, mediis praeſertim Venae Portae ramis utraque viſcera pervadentibus, atque ab uno in aliud derivatis: non ignorabit etiam, qua nam ratione, Hepate male ſe habente, analoga etiam morboſa affectio in Liene neceſſario ſuſcitari debeat; quod & in aliis imi Ventris viſceribus contingit, & vice verſa: uti quotidiana experientia ſatis teſtatur, atque Cadaverum diſſectiones ultro confirmant.

XXVIII. Ad curationem quod ſpectat, parum abſimili remediorum apparatu curari commode tunc poterant ſpuriae tertianae iſtae febres, ac aliae exquiſitae. Niſi tamen *ſymptomata* aliqua urgerent gravia, aut AEgrotorum ſanguinea temperies id neceſſario expetere videretur, raro admodum in hiſce ſanguinis emiſſionem imperabam. Ipſam enim tertianis hiſce ſpuriis mitioribus, minus quam exquiſitis convenire abſolute ſemper exiſtimavi. Huic namque ſatis obſtant peculiares, qui ipſas paſſim ſequuntur, Morbi; *Cachexia* nempe: Lienis, Hepatis, aut Meſenterii obſtructiones: virium proſtrationes: atque non raro *Hydrops* ipſe, qui contumaciores haſce Febres perſaepe ſubſequi ſolet. Quod autem in juſta hujuſcemodi ſuſpicione a ſanguinis emiſſione in

hiſce

hiſce Febribus temperandum merito ſit; eo magis patet, quo frequentius & facilius morbos hoſce *tertianariis* illis ſuccedere novimus, quibus nimis large ſanguis emiſſus fuiſſet. Non hinc tamen quiſpiam putet, me omnimode, & ſemper ſanguinis emiſſionem omiſiſſe; cum in arena, ut vulgo dicitur, conſilium capiendo, pro morbi indigentia, aut AEgrotantis peculiari conſtitutione, & praeſertim gravioribus *ſymptomatibus* urgentibus, quae totam ad ſe curationem trahere non raro ſolent; varia ſemper ratione, tutiore tamen me gerere ſemper in hoc curaverim.

XXIX. Verum ſuppoſita peccante bile, ejuſdemque tumultu prope biliarios ductus, prope Ventriculum, atque in Inteſtinis etiam, ſolventibus potionibus, caute tamen (pro ut febris, atque AEgrotantis ipſius peculiaris ratio poſtularet) exhibitis, opus primo peragere curabam. Quamobrem ſi bilioſi humoris aeſtuationem ex allatis jam ſupra ſignis noveram, & maxime in ſuperioribus partibus: ſtatim ad *Emeticum* confugiebam, atque ad *Ypecacuanham* maxime; idque ob recenſitas ſupra rationes. Neque inconſiderate ad *Emeticum* in quocunque caſu confugiebam, ſed tantum neceſſariis praeviis cautionibus. Etenim, quoties urgeret *Plethora*, primo ſanguinem emitti jubebam, optime conſcius, quod, dum in vomendi conatibus omnia infimi Ventris organa, atque maxime Ventriculus & Inteſtina contrahuntur, pari ratione ipſorum vaſa comprimuntur, per quae ideo tunc fluens ſanguis majorem ſuo motui obicem invenit, qui cum minor, habita proportione, adſit in ſuperioribus canalibus nil penitus inde compreſſis, in iis praeſertim quae Pulmonare pervadunt *Parenchyma:* major ad ipſa, praeter ordinem, confluxus ſanguinis fit, atque ad Caput etiam; unde & major eorundem diſtenſio, a rubore ſubſequente faciei, Capitiſque ſuperaddito gravamine ſatis indicata emergit: & quandoque ipſorum diſruptio, copioſa ſuccedente haemorrhagia, quae eo facilius occurrere poteſt, caeteris paribus, quo major adeſt ſanguinis copia, major Pectoris atque in ipſo contentorum vaſorum anguſtia, tum & major earundem partium laxitas: ad quae omnia ſemper ſedulo ante *Emetici* praeſcriptionem attendere curavi, & curabo, de quo Diſcipulos meos diſtincte ſemper monitos volui.

XXX. Quod ſi maxima propinandi *Emetici* neceſſitas aderat, nec modica exſurgeret *contraindicatio* alia non parvi facienda: ſuprarecenſita nempe in regione Ventriculi tenſio, ſeu ejuſdem fibrarum corrugatio, ſeu valida contractio fere *ſpaſmodica* maxime *Emetico* reſiſtens, nec dubiam de remedii hujuſce infauſto exitu ſuſpicionem exhibens; tunc laxantia idonea praeſcribebam, aut ſimul cum ipſo *Emetico* commiſcebam; Oleum nempe amigdalarum dulcium in ſufficiente doſi. Praeterquamquod in ipſo vomitu, ſi inanes exſurgerent conatus, aut nimis fortes: repetitis calidi juſculi, aut copioſis aquae tepidae potionibus, ſatis ſu-

perque huic malo proſpiciebam. Mediis enim hujuſcemodi calidis potionibus larga doſi hauſtis, tum laxando, tum vi ponderis agentibus, ſi qua erat tenax bilis Ventriculi *parietibus* inhaerens, aut prope *Duodenum* Inteſtinum, (quod fere ſemper in hiſce caſibus evenit) ſolvebatur optime, fluidaque reddebatur: unde aut per ſuperiora, Ventriculi adjunctum vi *Emetici* motum ſequens, prodibat: aut ſic Inteſtinorum tubos facilius ſubiens, per Alvum eliminari tutius citiuſque poterat. Quod ſi peccans humor ille vi irritante ſua tantum, non quantitate maxima Ventriculum adnexaſque ipſi partes laederet: praedictae copioſae potiones poſt aſſumptum *Emeticum* exhibitae id commodi praeſtabant: quod a Medicamenti vi Ventriculi tunicae aliunde ſatis irritatae minus afficerentur: quod maxime intereſt, atque in quacunque occaſione propinandi *Emeticum* praevidere ſemper, atque diligenter praecavere debet Medicus. Hiſce omnibus de cauſis tunc ſolum ad *Emeticum* confugere ſatius duxi, cum ſaniora vere adeſſent *indicantia* magis tuta; quae ſi vere non urgerent, *Emeticorum* loco, tutiorem minuſque incommodam ſeligens viam, ad mitiora purgantia remedia confugiebam, quae ſupra indicavimus.

XXXI. Qui purgantia remedia quaeque cane pejus & angue tum in his, tum in aliis praeſertim morbis evitanda eſſe indiſcriminatim depraedicant, & maxime initio morborum, non pauca hic mihi opponent: dum cum Hippocrate admonebunt, attendenda prius ſemper eſſe *coctionis* certa ſigna, quae tantum prope morbi exitum apparere adnotant. Hiſce nunc reſpondere omittam, de hoc fuſius acturus, cum de purgationis exhibendae ratione initio *Malignantium* Febrium quaeſtio infra ſuo loco habebitur. Interim ſciant, quod quotieſcunque in hiſce febribus ſive per ſuperiora, ſive per inferiora purgare neceſſarium arbitrabar, atque ad alterutrum confugiebam remedium, non ex toto febrilem cauſam deſtruere intendebam, ſed obices tantum tollere, qui perſaepe *criticas* hiſce febribus familiares evacuationes retardant: tum & ſecreti jam, ſi adeſſet, aut ſecernendi poſtea humoris expulſionem promovere per loca *conferentia*, ad quae nempe in hiſce ſpecialiter febribus natura tendit. Sic enim expedita magis paratur ſemita futuris excretionibus ineunte morbo a natura ipſa promovendis minus reſiſtens.

XXXII. In iis tamen, in quibus ſolventibus uti, juſtis de cauſis, initio morbi convenire nil penitus poterat: neceſſe autem aliunde erat iteratis vicibus ad conſuetas bilioſi humoris expulſiones torpeſcentem, quaſi dixerim, naturam aliquo modo promovere; ad *Clyſteres* emollientes tantum confugiebam. Verum ſi in hiſce caſibus *Clyſterum* ope nihil parumve educitur: caeterum tamen bilioſi tenacis admodum humoris in receptaculis propriis lenteſcentis vitium ſatis ex propriis ſignis conſtet: maxime cum humor ille in ſuperioribus Inteſtinis aliiſve

adnexis

adnexis partibus conſiſtit, ad quas *Clyſterum* vis, niſi per eorundem Inteſtinorum continuationem, debilis admodum pervenire poteſt; hiſce, inquam, ſic ſtantibus, utile admodum expertus ſui Serum Lactis alteratum cum aperientibus, & lenientibus herbis, & maxime cum Camomeli floribus *febrifuga* ſatis mihi cognita vi pollentibus. In hujuſce Seri ſic praeparati congrua doſi *Rhabarbari* proportionatam quantitatem infundi per noctem jubebam, ut *colaturam* inde ſingulo mane, aut etiam alternis ſaltem diebus, ut opus eſſet, ſumerent. Peculiare hoc mihi fuit, magiſque tutum remedium ad tertianas praeſertim ſpurias illas debellandas, quae pertinaciores erant, utpote a craſſiore paſſim & lenta bile pendentes. Ideo autem in hujuſcemodi febribus Serum hoc potius Lactis *Rhabarbaratum*, quam aliud quodlibet remedium, proficuum quam maxime evadere putabam: quia, tum ob nativam Seri Lactis demulcentem indolem, bilis acrimonia compeſci ſatis poterat, tum ob inciſivam *Rhabarbari* adjunctam vim ejuſdem tenacitas ſolvi, ut facilius ſic protruderetur, quin a pungente *Rhabarbari* vi Solida nimium irritari poſſent, atque in violentiores *oſcillationes* cieri; ad quod ſatis ſuperque laxans & demulcens Seri Lactis vis reſpicere videbatur.

XXXIII. Hujuſce tenacis, glutinoſaeque, atque aegre admodum mobilis bilis tumultum prope ventriculum, praeter ſupradicta ſigna, optime indicabant frequentes ructus, cum maximo amaritudinis ſenſu in Ore, Ventriculi gravamine & tenſione; Inteſtinorum murmura, atque alia etiam *ſymptomata*, quorum pleraque aut omnia in hujuſcemodi AEgrotantibus conſpicua ſemper erant. Prae caeteris tamen in hiſce febribus ſemper laudavi, atque perquam utiles expertus ſemper fui copioſos hauſtus decoctionis Hordei, facta ſimul infuſione modicae quantitatis Cinamomi integri, addito Mali medici ſucco, quem tanquam maximum, atque plus aliis efficax bilis aeſtuantis fraenum eſſe, innumeris obſervationibus didici. Quin immo quoties ex iteratis vomendi conatibus, aliiſque ſupra enarratis ſignis, prope Ventriculum bilem turgeſcere noſcerem, quam ideo *Emetico* validiore educere non conveniret; ejuſdem potionis, tepidae tamen, quantitati congruae Sirupum acetoſum ſimplicem adjungebam, ut pleno gurgite ſumerent; quod tutum pluries ſimulque efficax ſatis remedium expertus ſui, ad bilioſum blande humorem per vomitum educendum. Non omittebam quandoque Decoctiones alias ex radicibus Cicorei, Graminis, ex foliis Acetoſae, Sonci, & ſimilibus lenientibus, atque incidentibus herbis, quibus utiliter *Elixir proprietatis Paracelſi* modicam doſim in matutino hauſtu adjungere curabam; quoties tamen magis pervicax eſſet febris, in *Cachecticis* praeſertim Corporibus, in quibus diſtincte apparebat craſſae admodum mucoſaeque bilis dominium; quo in caſu utiles perſaepe expertus tunc fui ſuccos Abſynthii & Cicorei depuratos identidem aſſumptos.

XXXIV. Ad innumeros quod ſpe-

ctat pulviſculos, *digeſtivos*, quos dicunt, *Alchalicos*, incidentes, aut quocunque alio ſpecioſo nomine ab eorundem Fautoribus inſignitos, qui tanquam maxime efficaces ad contumaceem harum febrium cauſam evincendam paſſim praedicantur: iis nunquam uſus fui, niſi eum, aut AEgrotorum nimia credulitas, aut aliorum Medicorum abſolutum judicium ad id me cogeret. Quamvis enim primis praxeos meae annis auctoritate ſimul, atque communi Medentium opinione ductus iis uti conſueverim; iteratis tamen obſervationibus a praejudiciis liber magis factus, ſatis novi, eos in hiſce febribus nil penitus, aut parum ſaltem utiles eſſe (ſi tamen *febrifugos* excipias pulveres ſic merito dictos, de quibus infra): cum & ipſa ratio, experientia duce, doceat, ad evincendas radicitus febres haſce nullum efficacius tutiuſve haberi remedium, quam copioſas potiones aut alicujus aquae mineralis caſui congruentis, ut Villenſis, Nocerianae &c. aut decoctionis ſupraſcriptae, aut alterius non abſimilis.

XXXV. Non hinc tamen auſim unquam denegare, praecipuam maximamque in debellandis hiſce febribus laudem *Peruviano* Cortici merito deberi. Scio enim in hoc uno tantum verum & admirabile tertianarum quarumliber, ſicuti & aliarum febrium conſpicuas habentium periodos, remedium *ſpecificum* reperiri, quo nullum certe majus tranſactis ſaeculis Medicina habuit, nec fortaſſe aſſequi unquam poterit poſteritas. In hujuſce autem remedii uſu ſemper expertiſſimi Sydenhamii monitum ante oculos habui. (8) *Curandum eſt ante omnia* (docet ipſe) *ne praemature nimis hic cortex ingeratur, ante ſcilicet quam Morbus ſuo ſe marte aliquantiſper protriverit* (*niſi collabeſcentes, & jã fractae AEgri vires eundem temporius ſumendum eſſe dictaverint*): *neque enim illud ſolum eſt metuendum, ne a praepropero ejus uſu inefficax iſte reddatur, & ſpem AEgri fallat, ſed etiam, ne de AEgri vita agatur, ſi Sanguini omni fermentationis niſu ſe deſpumanti eam derepente injiciamus remoram.* Hinc tunc ſolum egregio hoc uti remedio ſolitus fui, cum conſuetis aliis adhibitis auxiliis morbi fomitem radicitus invadentibus, febris diutius, quam par eſſet, protracta omnem Medici operam deludere videretur: aut gravia urgerent *ſymptomata*, ſolicitam Medici operam ad compeſcendam illico febrim ſtatim expetentia. Alterutra hac tantum de cauſa in tertianis hiſce febribus ad *Chinam Chinam* confugere conſuevi, utpote qui laudare eos nunquam potui, tanquam congruo rationis & auctoritatis fundamento carentes, qui admirabili hujuſce remedii vi nimium capti, atque obcaecati, ad illud indiſcriminatim, non reſpicientes AEgrotorum peculiares ſtatus, in principio harum febrium ſtatim confugiendum ſemper eſſe, abſolute depraedicant. Quaecunque ſint rationes illae omnes, quibus tuto inhaerere ſe poſſe putant inconſulti *Chinae Chinae* amatores (quas hic ſingillatim dirimere, nec inſtituti ratio,

(8) *Sydenh. Cap.* 5. *de intermitt. feb.*

ratio, nec tempus mihi permittit): fixum mihi ſemper ratumque fuit, etenus ad hoc remedium abſque mora confugiendum eſſe, quatenus minus efficacia, quam neceſſitas poſtulet, generalia alia praeſidia medica ſatis noverim. Etenim cum eodem Sydenhamio ſemper exiſtimabo, non ſemper tutum evadere poſſe remedium illud, quod, dum febrim citius ſiſtit, ipſius cauſam eodem tempore non deſtruit, ſed ſopire tantum valet, ſeu figere; unde aut febris facile recrudeſcit, aut aliis inde progignendis morbis anſa perquam facile praebetur; ut *Cachexiae*, *Hydropi &c.*

XXXVI. Quoties autem ad *Chinam Chinam* confugiendum erat, non eadem methodo ſemper in omnibus ipſa uti conſuevi. Primo enim, ut a magis ſimplicibus ordirer, *Chinam Chinam* nullis aliis immixtam remediis exhibebam partitis vicibus uſque ad unciam unam & ſemis: aut in vino infuſam (quoties laxatas nimis enervataſque partes, & praecipue fractum Ventriculi tonum roborare atque firmare intendebam): aut in ſimplici aqua quolibet, ſi internarum partium nimium aeſtum noſcerem; magnam nempe ſitim cum oris ſiccitate, in aduſto admodum bilioſoque corpore, vehementem Capitis dolorem, & calorem, vigilias, alioque hujuſcemodi quam facile notanda.

XXXVII. Si *China China* ſimplex intento noſtro non ſatis valens videbatur, recrudeſcente maxime paulo poſtea febri, in *cachecticis* praeſertim corporibus, non antea ob bilioſas conſuetas dejectiones ſufficienter purgatis: *Peruviano* eidem Cortici ſemidrachmam *Rhabarbari* adjungebam, quam ſingulo mane, aut alternis diebus propinabam, pro ut pervicacia febris expeteret, dejectioneſve Alvi copioſae magis minuſve evaderent: quibus ductus rationibus plus minuſve *Rhabarbari* uſum cum eadem *China China* protrahebam. Nec mirum mihi unquam videbatur, quod *China China* ſic cum *Rhabarbaro* exhibita cõtumaces fere ſemper evinceret febres illas, quae ſimplicis ejuſdem *Chinae Chinae* uſui aut nil penitus auſcultaverant, aut poſt breve tempus iterum ſurrexerant. *Rhabarbarum* enim in modica quantitate cum *febrifugo* adjunctum, tum mitiore ſolvente vi ſua, tum *ſtiptica*, qua ſimul pollet, potentia omnem in hoc caſu adimplere pignam videtur; cum ſimul febriles aeſtus ſopire paulatim poſſit, atque febrilem bilioſum humorem affectis partibus tenaciter adhaerentem diſſolvere, ſimulque extra corpus omnimode propellere melius valeat, pro totali tutaque febris victoria, partes ſimul & roborando, & firmando. Non raro etiam in contumacioribus hiſce febribus proſpero eventu *Chinae Chinae Theriacam*, cum ſucco *Abſynthii condenſato*, aut ipſius ſale adjunxi: quod felicius evenit, quando *cardialgicae* aderant paſſiones, una cum Stomachi languore & vomitu, aut crudis Alvi dejectionibus AEgrum quammaxime defatigantibus.

XXXVIII. Attamen praecipua omnis mihi aderat cura, dum tertianis hiſce evincendis febribus praeeram,

eram, ut *ſymptomata* graviora quaeque ipſas comitantia dextere compeſcerem. Familiaris ideo mihi erat uſus ſalis *Abſynthii* ad ſcrupulum unum, una cum grano uno, aut uno & ſemis *Laudani Opiati* in cocleari ſucci Mali medici exhibendi; quod remedium ſaepe ad ſedandos moleſtos vomitus, aliaſque graviores ſtomachi paſſiones in initio praeſertim acceſſionis occurrentes, utiliter propinavi. Quod ſi, urgente adhuc vomitu, pulverem hunc quoque evomebant, idem iterare remedium conſuevi. Hiſce iiſdem *ſymptomatibus* proderat etiam maxime vinum Malvaticum meracum ad cochlearia identidem ante cibum ſemper exhibitum, cujus ope alimenta, quae alio modo ſtatim aſſumpta rejiciebant, facilius retinere poterant: ad quod etiam conferre pluries viſus eſt ſuccus Mali medici tum in alimentis ſemper expreſſus, tum cum copioſis aquae hauſtibus aſſumptus, ob allatas ſupra rationes. Verum cum gravia haec aderant *ſymptomata* nil penitus parumve remediis hiſce auſcultantia, permanente ſimul febri: ad *Chinam Chinam* abſque mora confugiebam, cui ideo vel *Theriacam*, ut ſupra dixi, vel *Electuarium Diaſcordeon* adjungere tunc ſemper curavi. Aliquando tamen una cum vomitu frequentes etiam Alvi moleſtae dejectiones aderant, ſimul cum frequentibus Ventriculi paſſionibus, ſuſpiriis, languoribus, jactationibus, & vigiliis. Tunc autem nullum unquam efficacius remedium expertus fui, quam ſequentem mixturam ad cochlearia identidem exhibitam.

℞. *Aq. Tot. Citri*
*Gland. Perſic.* añ. un. 3.
*Theriacal. River.*
*Cinam. Mat.* añ. un. ſem.
*Confec. Alcherm.*
*Diaſcord. fracaſt.*
*Salis Abſynth.* añ. drachm. 1.
*Laud. Liq. Syd.* drach. ſemis, aut ſcrup. 2.
*Sirup. ex Cort. Citr.* unc. ſemis.
M.e

Hujuſce mixturae, vigente Febri, dum *ſymptomata* praedicta magis ſaevirent, unciam unam identidem propinabam, una hora ſemper ante cibum: ita ut quatuor ſingulis, aut quinque ſaltem tranſactis horis, pro indigentia *ſymptomatum*, etiam extra cibi occaſionem eandem ſemper iterarent doſim.

XXXIX. Quoties dejectiones iſtae liquidae admodum erant, ſeroſae nempe, ſeu, ut vulgo dicitur, *crudae*; nil penitus, aut parum ſaltem ſolutioni febris conferre poterant. Hae enim *ſymptomatice* tantum fiebant, ob *ſpaſmodicam* fere Inteſtinalium fibrarum contractionem a bilioſo tenaci humore hinc inde ipſorum plicis inhaerente factam, propterquam eorundem glandulae valide compreſſae *lymphaticum* inde affluentius humorem eructabant, qui a ſtabulante ibidem bilioſo glutine croceum mutuabatur colorem. Hinc dum bilioſis hujuſcemodi excretionibus *amurcoſa*, ut vulgo dicitur, ſeu tenax magis bilis aſſociari videbatur, tunc major de proxima febris totali ſolutione ſpes aderat: quod fere ſemper obſer-

obſervare potui. Quamobrem ex iteratis toties obſervationibus ſatis ſuperque didici, tertianas haſce contumaciores febres a craſſiore ſemper glutinoſaque magis, & exuberante bile derivari, ſecus quam in exquiſitis aliis ſupra deſcriptis eveniat: quod & ratio ipſa teſtari ſatis poterat. Ideo enim levior, ideo diuturnior in hiſce tertianis rigor occurrit, quia difficile admodum longioreque tempore bilis hujuſcemodi a *Cyſtifellea* aliiſque *biliariis* ductibus expellitur, minuſque continentes partes irritare valet; cum minus ſcindentia minuſque penetrantia ſint ejuſdem ſpicula, quae quo magis craſſo glutine devinciuntur, eo difficilius, eo tardius moventur. Atque hinc fit etiam, quod poſteaquam bilioſum hoc gluten ad Inteſtina magna ex parte translatum eſt, eorundem *parietibus* & plicis magis adhaereat, atque tardius excernatur. Hinc fit quod febres iſtae magis quam aliae protrahi ſoleant, ita ut aliquando in tertianis duplicibus remiſſio unius cum principio ſubſequentis acceſſionis conjuncta, continuam excitet febrim, quae diuturnior inde evadit & curatu difficilis. Statim ac autem animadvertere id ego poteram, ad *Chinam Chinam* abſque ulla mora confugiebam. Etenim licet tunc de continua ageretur febri, ſatis mihi erat ipſam jam antea in ſuo principio intermittentem obſervaſſe, atque adhuc periodicam noſcere, ut tuto de fauſto *Chinae Chinae* exitu ſperare poſſem. Nec tantum in tertianis hiſce febribus continuis, ob dictam rationem, *febrifugum* prodeſſe pluries novi: ſed & quandoque in continuis *continentibus*: dummodo tamen antea tertianae periodicae naturam aperte indicaſſent.

SECTIO

# SECTIO PRIMA

## CAPUT TERTIUM

### *Febris Tertiana Perniciosa, ubi & de Quartana.*

XL. RAeter haſce, pernicioſas etiam tertianas variae indolis febres tunc obſervavi, quae etſi ab intermittentibus mitioribus nil penitus primis diebus differre viderentur: ob occurrentium tamen poſtea graviorum *ſymptomatum* comitatum metuendae quammaxime erant, utpote illae, quae in *Lypiriam*, ſeu *Algidam* febrim perquam facile tranſibant; unde accedente Viſcerum imi Ventris, atque Inteſtinorum praeſertim inflammatione AEgrotantes miſere jugulabant.

XLI. Febrium hujuſcemodi intermittentium mali moris genuinam indolem, motus, & permutationes, non inutile erit hic graphice exarare, ut Tyrones appoſite moneamus, qui doloſa perſaepe intermittentis hujuſce tertianae febris ſpecie alliciti inopinato AEgrotantes ſuos jam jam morti proximos videre coacti ſunt, dum de ipſorum ſalute certo pronunciare paulo antea nil penitus dubitaverant. De *Lypiria* hac ſeu *Algida* febri, ſicuti & de pernicioſis quibuslibet intermittentibus aliis accuratiſſime egit praeſtantiſſimus Franciſcus Torti in eruditiſſima Speciali Therapeutica ſua, aureo vere libro, quo non alter unquam hujuſcemodi febrium naturam, magiſque tutam curationem clarius propoſuit. Febris autem haec bilioſos plerumque facilius homines, ſaginatos, lautoque nimis indulgentes victu corripit: eoſque praeſertim, qui meracioribus utuntur vinis, firmioreque corporis robore gaudent, atque ad iram proclives maxime ſunt. Hinc Pueris, atque Adoleſcentibus ex toto parcit, dum Juvenes paſſim, atque maturos Viros maxime infectatur. Foeminae ab hac febri magis immunes ſunt, quam Viri.

XLII. Cum primum febris haec quempiam corripiebat levis in prima acceſſione, aut mediocris ſaltem anteibat rigor, qui diutius, quam in exquiſitis ſupra deſcriptis, protrahebatur. Non raro ſtatim comes aderat vomitus, cum intenſa ſiti, atque Ventriculi paſſionibus, quae tamen primis diebus paululum AEgrotantes dejicebant. Succedente calore dolor capitis ſequebatur aliquando, una cum levi anxietate, Dorſi dolore, pulſu concitato admodum & frequenti, ſiti, atque interna moleſtiſſima perturbatione,

propter

propter quam irrequieti AEgrotantes redditi hinc inde per lectum sese frequenter jactabant. Ultra consuetum exquisitarum terminum, post decimam nempe ab invasione horam, citius tardiusve, pro varia Corporum dispositione, ad remissionem febris tendebat, praevio universali sudore, qui tamen non tam copiosus sicuti in aliis erat, sed magis protractus, atque paulatim evanescens. In remissione febris urinae coloratae & croceae erant maxime, aestuantis interius sulphureae, fere dixerim, bilis magis activae notas aperte referentes. Nec dissimilis conditionis erant Alvi excrementa flava, subvirentia, & graveolentia. Profligata jam febri, licet melius se haberent AEgrotantes, non omnimoda tamen quiete fruebantur. Leves enim identidem aderant molestae anxietates, cum interno calore, atque agitatione, propter quod sequenti nocte parum admodum interruptae persaepe quietis capere poterant, quam & tetra passim laboriosa insomnia perturbare solebant. Caeterum tota sequente intermissionis die melius ultro se habebant. Non deerat tamen sitis, nausea, cum amaritie Oris, atque virium universali non modica dejectione: comite semper pulsus frequentia, imminutione, & vibratione, quae soluta etiam febri plerumque perdurabat.

XLIII. Nox autem subsequens pejoris alterius accessionis funesta praeseferebat signa, cum insomnes fere semper pernoctarent AEgrotantes, quaqua versus per lectum misere sese jactantes, cum interna consueta laboriosa agitatione. Hinc febris denuo accedebat, consuetam tamen plus minusve plerumque horam praecedens. Quo levius autem, quo diutius in secunda accessione rigor AEgrotos torquebat, eo graviora utplurimum *symptomata* caetera omnia sequebantur. Statim enim plerisque violenti occurrebant vomendi conatus fere semper inanes, quandoque cum bilioſa crocea glutinosa materie amara admodum, & corrodente, quae fortuito in vase aeneo recepta illico virentem afferebat aeruginem, adinstar Acetimagis acerbi. Ab hisce tamen excretionibus nil penitus levabantur AEgroti; sed graves inde succedebant Ventriculi labores, atque *cardialgicae* passiones adeo vehementes, ut animo identidem deficere viderentur, non levibus *lipothymiis* misere detenti, quas itidem eo gravius patiebantur, si forte eodem tempore (quod saepissime evenit) *Cholericus* accedebat fluxus. Gravibus hisce saevientibus *symptomatibus* irrequieti prorsus AEgroti fiebant, huc illuc sese anxie & luctuose jactantes, atque ab intimo fere (ut ita dicam) *praecordiorum* suspiria laborioſe trahentes. Hisce adjungebatur intensa sitis, capitis saepe *gravativus* dolor, linguae quandoque siccitas, oris amarities, intensus faciei rubor, qui identidem, aliis urgentibus *symptomatibus*, in lividum, ac fere croceo-subvirentem immutabatur, praesertim cum vehementissimae stomachi passiones crudelius saevirent, quas comitabantur profusi in fronte sudores, atque corporis universa lassitudo,

una

una cum incipiente univerſali refrigeratione.

XLIV. Interim teterrimis hiſce ſtipata *ſymptomatibus* febris ſucceſſive adaucta ad ſtatum, tardius tamen quam in prima acceſſione, properabat: tunc cum internus exurens calor ultro magis ſaeviebat, quem frequenti corporis jactatione attemperare AEgroti ipſi fruſtra quaerebant; Pulſus frequens maxime erat & magnus, non eodem tamen modo ſemper, cum juxta occurrentium *ſymptomatum* ſaevitiem, modo depreſſus, modo ex toto evaneſcens, modo contractus ac fere per *ſpaſmodiam* coarctatus, ac tandem inaequalis modo, modo intermittens, ſemper tamen maxime frequens evaderet. Secunda haec acceſſio, quae, ut diximus, longior ſemper erat, aeque copioſis ſudoribus, ſicuti prior, ſolvebatur. Sudores iſti diutius protrahebantur, atque inaequales erant. Quandoque etiam glutinoſus ſubfrigidus emanabat ſudor, in facie praeſertim, ſtomacho, atque *extremitatibus*, maxime cum anxii magis, & *ſuſpirioſi* AEgrotantes eſſent. Hujuſcemodi ſudores in remiſſione febris occurrentes nil penitus levaminis afferebant, eadem perdurante interna agitatione, cum *ſuſpirioſis* frequentibus anxietatibus, viriumque tali proſtratione, ac ſi per longum maxime tempus aegrotaſſent. Perſeverabat adhuc magna pulſus frequentia, & depreſſio, ſitis, & nauſea, aliaque hujuſmodi, quae abſente etiam febri AEgrotos excruciabant.

XLV. Protracta ſic admodum ſecunda acceſſione, cum tertia ſubſequens horam ultro magis magiſque anteiret, eo minus quietis tempore intermiſſionis AEgrotis tunc ſupererat. Quamobrem, cum nondum vires a praegreſſis febribus admodum fractas recolligere potuiſſent, pejorem jam in ſubſequente luctam ſubire coacti erant. Etenim, praevia irrequieta & laborioſa nocte, febris inopinato accedebat, cum leviſſimo rigore, quandoque etiam nullo. Quo autem levior initio alterius hujuſce febris rigor aderat, eo vehementius poſtea in augmento & ſtatu AEgroti vexabantur. Illico enim omnia ſupra recenſita *ſymptomata* modo ſimul juncta, modo ſeorſim crudelius ipſos detinebant. Tanta autem erant mala, & gravia maxime, quae uno eodemque tempore AEgrotos, caeteroquin ſanae mentis optime omnium conſcios, crudeliter excruciabant: ut nullum certe pejorem, nullum magis moleſtum, magiſque luctuoſum, etſi longe magis lethalem, haberi unquam poſſe morbum, abſolute aſſerere non vererer. Vides quippe miſerrimos AEgrotantes jactatos admodum, ſummo calore percitos, qui intima ſibi quaeque aduri *Praecordia* videntur, dum in extima corporis ſuperficie vix vix paululum caleſcunt, ſiccatis faucibus, & ſiticuloſi. Modo inanibus vexantur vomendi conatibus, propter quos Ventriculum, atque Inteſtina fere dilacerari ſibi ſentiunt. Modo virentes aut flavas adinſtar glutinis tenaces educunt materies, tam amaras, tamque auſteras, ut ab iis, ceu a bulliente

leinte liquore, internam *OEsophagi* totiusque Oris superficiem abradi sibi putant. Nunc & vomitu simul, & *cholerico* copioso fluxu tentantur, una cum partium omnium Abdominis molesta sensatione. Etenim in regione Ventriculi quoddam gravamen se sentire asserunt, a quo frustra occasione vomitus se liberari posse autumant. Tunc & Hepar, & Lien non vacant dolore, atque Intestina simul cum Mesenterio pessime se habent.

XLVI. Febris interim successive augebatur cum pulsu maxime frequenti & vario, juxta occurrentium *symptomatum* saevitiem, pro ut & in secunda accessione evenisse, supra indicavimus. Paulo post universalis prodibat sudor, qui quo magis praemature, eo magis luctuose fiebat, utpote per *symptomaticam* expressionem excitatus, propter quod inter occurrentes identidem *cardialgicas* passiones animo persaepe deficiebant AEgrotantes. Merito autem *cardialgicae* passiones *symptomata* haec dici consueverunt, utpote ab inferiore ventriculi ore tunc pessime affecto pullulantes, quod, ob exquisitissimum, quo ditatum est, sensum, Cor ab antiquis Medicis vulgo dictum fuit. In miserrimo hoc degens statu, diutius protracta febri, frustra totalem remissionem attendebat AEger. Consuetum namque remissionis febris tempus graviora magis, magisque lethalia *symptomata* funestabant, dum protracta ulterius febri, pulsu debiliore semper facto, inaequali maxime & depresso, morboso-

(9) *Hippoc. Aphor.* 48. *Sec.* 4.

que furente aestu ad intima quaeque corporis viscera ablegato, extima Corporis superficies glutinoso quodam frigido sudore undecunque profundebatur: quod veridicam *Lypiriae* febris imaginem referebat, cui merito Hippocratica illa convenit sententia: (9) *In febribus non intermittentibus si partes exteriores frigeant, interiores vero urantur, & sitim habeant, lethale.* Omnibus hinc in pejus paulatim ruentibus, *cadavericam* penitus, seu *Hippocraticam*, ut ajunt, faciem AEgroti isti proferebant. Inde enim facies, relaxatis musculorum fibris, gracilescebat maxime: livescebant oculi intro retracti, tum ob *spasmodicam* opticorum nervorum contractionem, tum imminuta eorum mole, ob praepeditum *lymphatici* consueti humoris congruum influxum. Eadem causa, ineunte ultro morbo, atque in pejus semper ruente, iisdemque perdurantibus *symptomatibus*, Nasus acutus fiebat, vividusque ex toto evanescebat faciei color. Semimortuos in lecto AEgrotantes tunc videre crederes, irrequietos tamen ex toto huc illuc sese anxie jactantes, demissa admodum voce vix vix de interno exurente incendio conquerentes, atque inde raucos, atque paulo postea *aphonos* ex toto factos. Hinc magis magisque perfrigescebant, affluentius *symptomatico* sudore madescentes, singultu plerumque socio, imminutoque ex toto pulsu circa septimam morbi diem, quandoque circa nonam misere occumbebant.

XLVII. Teterrima haec tot *symptomatum*

*tertium* series non eodem semper in omnibus modo apparebat. Varia siquidem temperamentorum conditio, variae praegressae extrinsecae causae, tum & febrilis fomes, aliaque quamplurima in hisce casibus peculiariter adnotanda, vario modo morbum perducebant ad exitum. Plerumque tamen ea, quae supra attigimus, eodem propemodum ordine evenisse observavi. Verum aliquando usque ad quartam accessionem mitior morbus videbatur, indeque derepente immutata ex toto facie consuetam proferebat tyrannidem. Quandoque primis profligatis ex toto febribus, cum jam omnimode convaluisse videbantur AEgri, recrudescente paulo postea morbo, talia videre *symptomata* contigit, quae primis transactis morbi diebus neutiquam visa fuerant. Haec autem, quae variis modis evenire in tertiana simplici hac pernicioſa febri diximus, eodem modo & in duplici, sive in tertia, sive in quarta accessione occurrere non semel observatum est. Praeter instituti rationem enarratio haec fusius procederet, si peculiares hic omnes pernicioſae hujusce febris progressus varios in variis temporum, & AEgrotorum circumstantiis occurrentes, enucleare hic vellem. Satis autem superque haec esse puto, ad veridicam istius febris tam dolosae, atque nostro sub coelo maxime familiaris descriptionem perficiendam: ut adamussim inde tum specialem ipsius genium, mores, indolem, & exitus percipere quilibet possit.

XLVIII. Febris haec, etsi tam mali moris, atque tam gravibus stipata *symptomatibus*, dummodo opportune cognita sit, atque speciali congrua ipsi methodo curata, semper faustum sortitur exitum. Ex quamplurimis enim, quos tum hoc anno, tum aliis, ex quo Medicinam addiscere, vel facere coepi, febri hac detentos vidi: nullos prorsus rite curatos solicitam medici operam unquam eluisse, testari certo possum. Quod si aliquos ex hisce AEgrotis tunc mortis victimas evasisse quandoque novi: id me hercle aut eorundem maximae incuriae, aut firmatae nimis, ob repetitas *recrudescentias*, morbificae causae validiora quaeque remedia penitus eludenti adscribendum merito semper fuit. Hinc in Rusticis praesertim febres hae infaustos sortiuntur exitus. Nam cum isti, pro pessimo more suo, a saniore victus regimine abhorreant; tunc solum ad Nosocomium se conferunt, cum nulla fere de salute spes ipsis supersit; quare de extremis potius Sacramentis, quam de medicamentis agendi tunc ratio Medicis conceditur. Quia de re cum ipsi enarrata superius hac febri detenti in Nosocomio majore nostro mihi aderant curandi, *Lypiria* jam ad summum perducta, atque ad exitium manifeste properante, ipsos ex toto frigefactos plerumque inveni, *aphonos*, frigido glutinoso sudore affluenter perfusos, atque proximae jam Mortis horrenda proferentes signa.

XLIX. Tunc ideo, cum nil penitus de vita sperandum merito esset, atque frustranea ex toto evaderent remedia

remedia quaeque licet congrua experta toties methodo usurpata: omni utebar attentione, ut luctuosum hujusce febris progressum ad mortem observarem. Aliquoties in hisce AEgrotantibus jam jam in extrema morbi lucta constitutis tam magnam totius Corporis perfrigerationem, cum universali gelidi sudoris copioso affluxu adinveni, ut gelida undecunque perfusi aqua viderentur. Nec minus mirum erat AEgrotos hosce in miserrimo hoc vitae statu constitutos jam jam animam agentes, spiritum raro cum *suspirioſa* anxietate leviter ducendo, *singultuosos*, accedentibus copiosis Alvi *cholericis* dejectionibus, una cum pulsu celeri admodum, inaequali, atque vix paululum sensibili, aliquando per diem integrum, aliquando per duos, & tres etiam superstites videre.

L. Memini me septem circiter abhinc annis Mulierem quandam saginatam admodum, & robustam in aetate virili constitutam, atque hac febri correptam in Vicinia S. Sepulcri curasse. Haec, posteaquam per quatuor & ultra dies gelida ex toto facta, cum vomitu, & *cholerico* fluxu, aliisque detenta consuetis *symptomatibus*, vitam misere protraxisset, jamque è vivis discessura videretur, spiritum & vires reassumere paulatim coepit, atque ex toto convaluit. Haec autem quatuor dierum spatio, quo semimortua vixerat, solo utebatur malvatico meraciore vino, & quidem non in tam modica quantitate, in quo etiam frustum torrefacti panis immergi jubebam, ut hoc pro alimento uteretur: atque hoc primarium ipsi & salutare admodum remedium fuit, non omissis etiam *stomaticis* lenientibus identidem usurpatis.

LI. Cum suprarecensita *symptomata* lethalia omnia (quae febri huic paulatim in principio associari, atque ipsam usque ad mortem plerumque comitari diximus) eadem prorsus sint, ac illa, quae in *Iliaca* passione occurrere solent: eandem penitus utrinque Mortis causam, etsi a diversa origine subortam, statuere jure merito possumus. Etenim in istis, dum, aut strangulato ob *Herniam* in annulo *inguinali Ileo* Intestino: aut ob induratas faeces in *Coli* cellulis magna in copia coacervatas: aut quomodocunque Tulpii valvula faecum descensui obstante: aut complicatis inter se mutuo Intestinis superioribus: aut quavis alia possibili ratione, liber *peristalticus* Intestinorum naturalis motus praepeditur, atque pervertitur; nativa elastica vi sua contra nituntur Intestinorum nervea filamina illorum tunicas magna ex parte contexentia, atque a residentibus ibidem faecibus, ob nimiam moram, acrimoniam nactis irritata ultro contrahuntur fortiter, & convelluntur: unde liber praepeditur sanguinis motus, atque successive magis magisque retardatur, donec ex toto sanguis ipse resideat & coaguletur: ex quo lethalis inflammationis principium, & exitus optime derivatur. Id satis testantur in dissectis cadaveribus livida, nigricantia, & *gangraenata* Intestina, qualia in Mortuis ob *Lypiriam* febrim videre semper occurrit. Quamobrem

in utrisque pro genuina Mortis causa Intestinorum inflammationem, tum & aliorum imi Ventris viscerum statuendam esse nemo inficiari unquam poterit. Quodsi ex *Iliaca* passione potius, quam *Lypiria* febri refrigeratos, immo gelidos ex toto AEgrotantes, atque in agone constitutos diutius superstites per plures dies videmus; id satis percipiet quilibet, si animadvertat, in illis inferiora intestina tantum, aut saltem non omnia: in his autem superiora plerumque, aut etiam omnia, simulque Hepar, aut Lienem, aut utrumque viscus cum adnexis aliis, atque praesertim Ventriculum ipsum lethalem inflammationis Tyrannidem subire. Quo autem inflammatio magis in partibus, ad quas majora tendunt sanguinea vasa sistitur & confirmatur: eo citius, eo pejus sanguis a nativo motu suo deflectit, coagulaturque: unde citior Mors.

LII. Quod si ex ante dictis verum sit, Tertianas febres hasce etiam, sicuti & alias benignae magis indolis, a bilis praetermodum furentis variis tumultibus magna ex parte derivari: praesto etiam erit genuina unica ratio, propter quam luctuosae hae Intestinorum, aliorumve imi Ventris viscerum inflammationes in *Lypiria* hac febri contingant. Dato enim quod in hisce morbis hujusce corrodentis bilis magna copia adsit (cui & pessimae indolis lympham tum *intestinalem*, tum *pancreaticam* adjungi, non est negandum) quae plerumque tenax maxime sit & glutinosa; haec tardius secernetur a biliariis ductibus, atque tanquam minus mobilis non tam fortiter aestuabit: unde & levioris rigoris & prolixioris febris ratio emergit. Successive tamen in primis accessionibus, separatis atque avolatis tenuioribus bilis ejusdem particulis, quae remanet postea tenacior & segnior reddita, gravioribus producendis *symptomatibus* in subsequentibus accessionibus ansam praebet. Siquidem bilis haec tenax partim Heparis *colatoriis* ductibus, partim *cystifelleae*, partim Intestinorum *parietibus* & rugis, atque ipsi Ventriculo, ejusdemque inferiori orificio maxime adhaerens: membranaceas earundem partium fibrillas variis modis corrugat, atque in fortes contractiones cogit, eas fortiter irritando; quare praesto inde est & contentorum canalium constrictio, & sanguinis praepeditus motus, ejusdemque concretio, affectarum partium inflammatio, & Mors.

LIII. Nec absimili certe ratiocinio percipimus, quare quamplurimis, in quibus, post profligatas tertianas febres, *fluxus biliosus* aut *dysentericus* subsecutus est per plures dies, parvi aestimatus, utpote ab AEgrotantibus, tanquam salutaris habitus: paulo postea *Lypiria* succesferit febris, una cum peculiaribus gravioribus ipsius *symptomatibus*, propter quae Mortis subire ictum coacti fuerint. Id paucis abhinc annis evenit Domino Scazzolae in Vicinia Sancti Bartholomaei. Hic postea-quam ruri plus domesticis quam salutis propriae negotiis incumbens, Tertianam febrim diu toleraſſet, quam subsecutus fuerat pertinax *dysentericus fluxus* ab ipso pro nihilo habitus;

habitus; validissima correptus febri Cremonam se contulit. Huic comes aderat adhuc *dysenteria*, propter quam sincerum fere magna in copia sanguinem educebat. Hinc *suspiriosa* laborabat anxietate, vigiliis, intensa siti, mente tamen optime valens. Post triduum universalibus frigidis adjunctis sudoribus circa frontem maxime, cum depresso & frequenti admodum pulsu, cum interno aestu, atque molestissima agitatione inopinato occubuit. In hoc casu irrita penitus fuere praesidia quaeque medica tam brevi temporis intervallo usurpata, ad hujusce acutissimi morbi furorem compescendum; maxime cum anteaquam Medicum ascisceret, altas jam Morbus radices jeciſſet; quod ex gravedinis quodam sensu, de quo cum anxietate *praecordiorum* conquestus antea fuerat, deduci merito poterat. Eadem enim bilis absterſiva forti & corrodente, qua pollebat, vi, suaque tenacitate Intestinorum plicis infixa, non tantum mucosum eorumdem velamen paulatim abraserat, verum & successive intimas eorundem membranas, minimaque vascula ipsas contexentia corroserat, unde ulcerationes parvae subortae sunt, a quibus *dysentericus* fluxus primordium sumpsit. Hinc factum fuit, quod ab eodem *caustico*, fere dixerim, bilioso succo majores etiam sanguinei tubuli exesi fuerint: propter quod majore postea in copia Sanguis effluxit, hicque partim cum faecibus excretus fuit, partim in intestinorum cavitate affatim coacervatus & concrescens, ipsorum hinc subsequente inflammatione, violentae hujusce mortis unica & potior causa fuit.

LIV. Citissimus atque praeceps *Lypiriae* hujusce febris cursus solicitam magis Medentium solertiam omni jure expetit: ne, ut toties evenit, Mors clanculum inopinato occurrens ipsorum segnitiem ignominiose nimis accuset. Nec multiplici, aut pretioso remediorum apparatu cum lethali hoc furibundo morbo pugnandum est, ut opportune evincatur. Satis est ab initio febris indolem, & futuras mutationes optime noscere: ut, habita AEgrotorum congrua ratione, ipsis tuto occurramus. Quamobrem ad hujusce modi AEgrotantes non sero accersitus, de futura victoria nil penitus diffido, ad simplicia tantum confugiens remedia, quae subsequens certa Methodus in hisce casibus a me toties observata distincte patefaciet.

LV. Statim ac initio morbi in prima febris accessione, tum exuberantem sanguinis copiam ab AEgrotorum *plethorico* habitu indicatam, dignoscebam: tum & aestuantis viscidae bilis copiam a maxima Oris amaritie, atque citrino linguae glutinoso colore, tum & aliunde satis cognitam; facta in remissione febris congrua sanguinis emissione, sequenti intermissionis die consuetum illico leve *purgans*, aut *Emeticum* exhibebam, servata semper ratione specialis AEgrotorum texturae, atque occurrentium *symptomatum*, quae omnia supra in tertianae febris curatione fusius attigimus. Eodem tem-

tempore copiosas frigidae aquae potiones propinabam, quam acidulam semper reddere curavi addito Mali medici succo, aut granatorum pro AEgrotorum libito, ob supra allatas rationes.

LVI. Exinanitis sic satis vasis, atque excedentis bilis copia diminuta, secundae subsequentis accessionis cursum attendebam. In hoc autem primaria mihi erat cura, ut occurrentis praesertim vomitus molestiam sanioribus praesidiis refraenarem. Ideo si inanes aderant vomendi conatus, copiosos aquae tepentis haustus AEgrotis hisce propinari iteratis vicibus jubebam: hoc maxime consilio ductus, ut tenaces, si quae adessent, in Ventriculi cavitate, aut non longe ab ipsa, materies biliosae dissolvi possent, sicque facilius, aut superius, aut inferius eliminari. Nunquam enim laudare eos potui, qui statim ad *Narcoticum* confugientes, dum AEgrotorum molestiam imminuere omnibus viribus satagunt, naturae quoque, biliosi ut plurimum humoris expulsionem per vomitum provide molientis, vires penitus enervant, atque salutares motus sistunt; quare aut pejora inde subsequuntur *symptomata*, aut morbi causam eo magis firmamus, quo praemature magis morbi luctam compescimus. Ast cum post tepentem aquam plenis cyathis frequenter ingurgitatam, molesti adhuc vomendi conatus una cum *cardialgicis* vehementibus passionibus denuo insurgebant, Salis Absynthii cum Laudano commendatum supra remedium in succo Mali medici dissolutum illico praescribebam, denuo etiam, si opus esset, paulo postea repetendum.

LVII. Interim febris progressum, atque remissionem maxime, solertiore omni attentione perscrutabar: quo tempore copiosos frigidae supra toties memoratae aquae acidulae potiones etiam atque etiam commendabam. Dum, sanioribus hisce simplicioribus medicis praesidiis morbifica jam magna ex parte devicta causa, febris ad remissionem nullis gravibus aliis comitantibus *symptomatibus* feliciter tendebat, atque superveniente copioso sudore immunes ex toto AEgri evadebant; tunc ad alia transire supervacaneum putans, solis aquae potionibus jam dictis utens, naturae potius providis motibus, quam remediorum adminiculis fidens, paulo postea de totali morbi solutione gratulari mecum ipse laetanter poteram. Ast contra dum, ad statum perducta febri anxius maxime & *suspirioſus* AEger reddebatur, huc illuc per lectum misere se jactando, modo *cardialgicis* iisdem passionibus obstinate adhuc perdurantibus acerrime divexatus: modo *lipothymia* correptus, nullumque prorsus ex iteratis Alvi biliosis dejectionibus levamen obtinens; tunc de imminente jam jam *Lypiria* timendum merito esse indicabam; maxime cum multo ante remissionem febris, quin immo in ipsius statu, leves accessissent universales sudores, mediis quibus, quo magis sedari exterius calor videretur, eo pejus admodum se habebat, atque interius magis magisque circa

*prae-*

*Praecordia* se aduri misere dolebat. Ad haec autem omnia sedulo maxime animum, quaeso, convertant Tyrones *Clinici* Medentes, atque ab hujuscemodi calore in summo febris vigore doloso imminuto, eo magis terreantur, quo mitior fuerit, maxime si universalis intempestivus glutinosus sudor adsit: si anxietates, si maxima pulsus frequentia, vibratio, frequens mutatio, imminutio, inaequalitas, aliaque supra recensita maximi facienda accedant, simulatamque febris remissionem lethalem ostendant.

LVIII. De imminente sic *Lypiria* ex supradictis satis monitus prope consuetam remissionis febris horam ad *Chinae Chinae* usum, veluti ad sacram anchoram, confugiebam. Hanc autem majore, qua poteram, solicitudine propinabam, sive in bolos, sive in pulverem redactam, aut alio modo, pro ut AEgrotis ipsis magis commodum futurum esse, aut minus molestum, arbitrabar: dummodo tamen integram saltem sumerent unciam ante futuram accessionem. Qua de re totam hanc *febrifugi* dosim in quinque, aut sex minores doses dividi curabam, quarum unam statim in ipsa praegressae febris remissione exhibebam, & successive alias singillatim continuando post quatuor horas, usque dum tota dosis, quo citius possibile esset, foret consumpta. Interim medio hoc tempore inter *febrifugi* iteratum usum, sufficiens, tenue tamen, & congruum alimentum ipsis concedebam; ex jusculis nempe, aut pane cocto, Ova distincte vitando, quorum peculiarem vim ad violentos magis bilis tumultus excitandos, atque ad ejusdem simul tenacitatem augendam semper novi. Eodem tempore, quo *febrifugo* utebatur AEgrotus, non minor mihi erat cura, ut saevientia, si quae adhuc adessent *symptomata*, tutioribus auxiliis sedarem. Unde si vomitus, aut diarrhoea AEgrotos detinebat, recensita supra *stomatica* mixtura ad cochlearia identidem propinata tutissimum ipsis praesidium erat. Ob hanc eandem causam, si haec *symptomata* vehementius urgerent, illius loco hanc aliam maxime utilem expertus toties fui ad cochlearia pari modo sumptam juxta *symptomatum* praesentiam.

℞. *e*
*Aq. Mentae*
*Florum Camomeli*
*Totius Citri*
*Gland. Persic.* añ. unc. 2.
*Cinamom. Mat.*
*Aceti destil.* añ. drach. 6.
*Confectionis Alcherm.*
*Diascord. Fracast.* añ. scrup. 4.
*Sal. Absynthii*
*Spet. Diarrhod. Abb.* añ. scrup. 2
*Laud. liquid. Sydenh.*, aut ejus loco
*Cittoniat. Helmõ.* drach. 1
*Sirupi de Granat.* drach. 6.
*M.e*

LIX. Inter externa, si opus erat, ad violentiores stomachi passiones sedandas, Emplastrum è crusta Panis Montagnanae Ventriculo applicandum imperabam: aut ejus loco frustum simplex Panis vino malva-

tico generoso imbutum, atque pulvere Cinamomi sufficienter inspersum, una cum modica quantitate Balsami Peruviani; aut folia Absynthii contusa in eodem malvatico vino paululum ebullita, quibus addi non raro curabam Oleum *Nucis Moschatae*. Hinc omnis mihi aderat cura, ut hisce adminiculis vomitus *symptoma* magis urgens sedarem, ne assumptum febrifugum, in quo omnis & tutior curationis ratio & spes adesse poterat, unquam rejicerent. Quapropter, nisi remedia haec ad id sufficere viderentur, cum eadem *China China* congruam Electuarii *Diascordion*, aut *Theriacae* portionem immiscebam. Quodsi perseverante vomitu, frequentibus animi deliquiis AEgroti vexabantur, anxii inde & suspirioſi facti, atque jam jam magna ex parte refrigerati; tunc *Chinam Chinam* in vino malvatico simplici, aut cum idonea quantitate aquae mixto juxta indigentiam infusam exhibebam iteratis vicibus: aut in bolis, malvaticum idem vinum superbibendo.

LX. Si molesti *premitus* in hisce febribus passim familiares diarrhoeam comitabantur: praesto erant *Clysteres* ex Lacte *chalybeato*, aut Sero Lactis una cum vitello ovi, atque mellis rosati simplicis unciis duabus aut tribus: aut ex decoctione furfuris cum unciis tribus Butyri recentis, atque duabus unciis mellis rosati simplicis, seu sirupi de rosis siccis, simul cum vitello ovi optime dissoluto. Hujuscemodi *Clysterum* iteratorum usum tunc utilem quammaxime expertus semper fui ad viscosam educendam bilem, quae Intestinorum crassorum *parietibus* tenaciter inhaerens, eosdemque fortiter irritans, molestissimos illos frequenter suscitat *premitus*: tum & ad Intestinorum maximum aestum tunc facilius sedandum. Idcirco copiosos frigidae aquae acidulae, ut supra, redditae haustus identidem concedebam.

LXI. Verum dum hic denuo frigidae hujusce aquae affluentes potus, tanquam praecipuum bilis unicum fraenum, commendo: mirabitur fortasse aliquis, quod generosi malvatici vini usum simul antea laudaverim, quod ex opposito omnino propositae aquae usum condemnare videtur. Mirari tamen desinet, si attendat duplicem in hisce distincte febribus, fortasse magis quam in aliis quibuslibet, indicationem Medico necessario objici; alteram nempe, quae bilem compescere docet, simulque dissolvere, eamque ad faciliorem excretionem disponere: cui satisfaciunt copiosae dictae aquae potationes cum Mali medici succo; alteram, quae comitantibus *symptomatibus* succurrat, vomitui nempe, & diarrhoeae, & stomachi passionibus, aliisque hujusce indolis morbosis affectibus; quibus merito convenire certe potest tum Vini malvatici, tum & propositae *stomaticae* mixturae usus. Id enim toties observavi, quod, dum alimentum vix assumptum statim per vomitum AEgroti rejiciebant; nullum efficacius remedium aderat, quam Vinum hoc malvaticum non dulce ad coclearia ante cibi assumptionem propinatum.

Hoc

Hoc namque *ſtiptica*, & *ſpirituoſa* ſimul vi ſua, qua ſpecialiter ditatum eſt, Ventriculi atque Inteſtinorum fibrillas roborat ſatis & firmat, congruum iiſdem tonum reſtituendo. Præterquamquod eo magis convenire videtur in hiſce febribus malvaticum hoc Vinum, quo magis ſanguinis retardatum motum in praecipuis maxime imi Ventris partibus, ejuſdemque coagulationes, atque per conſequens inflammationes pertimeſcimus: quod peſſimus eſt, & extremus harum febrium terminus. Inteſtinales enim fibrillae *ſpirituoſa ſtipiticaque* vi hujuſce Vini maxime roboratae, validius oſcillant, eademque ratione magis contentum excutiunt ſanguinem, atque ad motum magis magiſque ſolicitant; quo nihil validius haberi unquam poteſt, magiſque idoneum ad futuram ibidem praecavendam inflammationem.

LXII. Qui effectum tantum incipientis, aut jam factae inflammationis, ſicuti in hoc, ita & in omnibus aliis morbis attendunt, cauſam autem ipſius veridicam peſsime negligunt: cum inde vehementem exſuſcitari calorem animadvertant, ad refrigerantia tantum confugiendum eſſe certo aſſerunt, eos ſimul abſolute damnantes, qui ſpirituoſa, qui volatilia, qui inciſiva praeſcribunt, utpote nimis actuoſa, atque ad majores ſuſcitandos aeſtus perquam faventia. Verum ſi attendant, ideo calorem haberi, quia habetur inflammatio: ideo inflammationem produci quia, fit ſanguinis coagulatio: ideo concretiones haſce plerumque fieri, quia craſſior eſt, atque ad motum maxime ineptus ſanguis; reliquum erit, ut ad tollendum calorem, inflammationem arceant, ſanguinis expeditum magis ſuſcitando motum, ipſum nempe attenuando: quod actuoſa tantum perficiunt remedia, atque ideo omni jure convenire videntur; dum è contra incraſſantia, & glutinoſa, atque attemperantia inconſiderate ſic adhibita damnanda ſunt, utpote veridicam inflammationis cauſam foventia, firmantia, atque augentia. Non inficias tamen iverim, non indiſcriminatim in quacunque inflammationis, ſive proximae, ſive incoeptae occaſione diſſolventia & volatilia convenire; maxime cum, aut fluidorum concretiones a nimia ſolidorum rigiditate vaſa coarctante fiunt, aut a nimia ſanguinis velocitate, propter quam & ipſe extra aeram circulationis hinc inde dejectus, reſidet & concreſcit. Sed nullum ex his in caſu noſtro verum comperiri poterat: tum quia ſolida laxata nimis erant, tum quia fluida undecunque in ſuo motu torpeſcebant: quod ſatis imminutus, & depreſſus indicabat pulſus.

LXIII. Aſſumpta nihilominus ex toto praedicta *Chinae Chinae* doſis ſuccedentem utplurimum acceſſionem aliam praepedire neutiquam poterat. Febris tamen ſerius plerumque inſurgebat, atque levi comite rigore mitiorem in initio faciem praeſeferebat; licet poſtmodum in augmento & ſtatu, iiſdem quaſi comitantibus *ſymptomatibus*, non minus quam in praecedente ſaeviret. Hinc tamen nil prorſus

deterrebar, utpote quotidiana experientia satis edoctus, quod, dummodo congrua selectioris *Chinae Chinae* dosi accessionem hanc anteire potuissem, nihil ultro timendum merito erat: cum plerumque in hac totaliter febris consisteret, nulla alia subsequente accessione. Verum urgente febri jam incoepta totus eram, ut occurrentibus *symptomatibus* obviam ire opportune possem; quae cum fere semper ad exaratas toties *cardialgicas* passiones, ad vomitum, atque immodicam ventris *solutionem*, *lipothymia* comite, reducerentur; ad supra recensita toties experta remedia iterum confugiebam.

LXIV. Solis hisce simplicibus remediis, juxta febris motus, atque *symptomatum* tyrannidem usurpatis, fausto mihi semper sydere sors arrisit in hujuscemodi curationibus. Interim Patientes etiam, atque etiam ad copiosos aquae potus cohortabar. Caeterum ex toto quiescens, atque naturae admirator tantum factus, spontaneam ineuntis accessionis solutionem attendebam, quae utplurimum tardius fiebat, levi accedente sudore admodum protracto, una cum bilioſis dejectionibus; quae quidem tutior semper fuit istius febris solutio.

LXV. Profligata jam ex toto febri, licet de nova futura accessione, nil penitus timerem; *Chinam Chinam* tamen adhuc sumendam iterum monebam, optime conscius, quod, (licet assumpta jam prima dosis ad arcendam aliam accessionem, quae sine dubio subsecuta fuisset, sufficeret) non adeo tamen potens erat, ut febrilem destruere ex toto causam potis esset; quod quidem necesse est, ne paulo postea (quod passim evenit) vires iterum asumens in febriles aestuationes humores iterum cogat. Hac de re in ipsa prioris jam transactae febris remissione, drachmã saltem unam *Chinae Chinae* AEgrotantibus exhibebam, eandem dosim iterando sequenti die tum mane, tum vespere: sicque continuando per tres dies eodem modo, pro ut magis minusve perfecte AEgrotantes convalescere noscerem, atque sic de *recidiva* timendum jure esse putarem. Hisce transactis diebus mane tantum drachmam unam ejusdem *Chinae Chinae* sumendam docebam per tres quatuorve alios dies, aut semidrachmam tantum, si minus potens causa morbi videretur: quibus elapsis totidem aliis vicibus alternis diebus eadem dosis iteranda erat, & sic etiam de quarto in quartum: donec tandem omnibus simul assumptis *Chinae Chinae* dosibus duas uncias, atque etiam in contumacioribus febribus duas cum dimidia, partitis sic vicibus AEgroti sumpsissent.

LXVI. Attamen licet *Chinae Chinae* usum hac methodo servatum utilem semper admiratus fuerim ad imminentem in perniciosis hisce tertianis febribus *Lypiriam* omnimode arcendam: non pari equidem eventu ita potens semper evadebat, ut succedentem aliquando paulo postea *recrudescentiam* impedire satis posset. Etenim non raro post sex, octo, pluresve dies iterum eadem febris, licet non gravibus iisdem stipata

pata *ſymptomatibus*, caput extollebat; ex quo licet nil amplius timendum prorſus eſſet, non modica tamen AEgrotantibus moleſtia inde promanabat, maximumque ad totalem Morbi obtinendam victoriam negotium Medicis inde prodibat. Porro, cum febres hae tam cito recrudeſcant, praeſertim prope Autumnale AEquinoctium, etſi congrua *Chinae Chinae* doſi ſopitae, iterum atque iterum vires ſuas exerunt, magnam AEgrotis moleſtiam afferēdo. Quare poſt hebdomadam unam, duaſve, citius tardiuſve pro peculiari AEgrotorum diſpoſitione, praegreſſiſque in ſex rebus non naturalibus erratis, atque maxime pro febrili vario fomite, caſtra iterum tertio, & quarto repetunt, quae paulo antea malitioſe deſeruerant; ita ut aliquando duo, aut tres menſes elabantur, anteaquam AEgrotantes poſt iteratas toties *recidivas* de totali febris tuta ſolutione gloriari merito queant; quin immo & non raro in *Chronicos* inde pullulantes varios alios morbos poſtea deſinant, qui, licet ab eadem fiant cauſa, aliam tamen praeſeferunt faciem, alioſque characteres induunt: quod appoſite admodum ſolertiſſimum Epidemicorum morborum obſervatorem Sydenhamium adnotaſſe conſtat, dum ſic effatur: (10) *Hi omnes* (non tantum tertianas haſce autumnales, ſed etiam quartanas, dyſenteriam, alioſque hujuſce indolis morbos intelligit, quorum omnium par utplurimum eſt cauſa, atque aequa lex) *ut ut eorum aliquos, quos ſemel invaſerint, longiori vel breviori tempore affligant, plerumque tamen intra duorum menſium ſpatium, & nomen, & Epidemicorum naturam prorſus amittunt.*

LXVII. Aſt pluries mecum ipſe admiratus maxime fui peculiarem ordinem & rationem, qua utplurimum febres iſtae, poſtea quamprimo recrudeſcere viſae fuerint, ſucceſſive frequentius, indeque rarius inſurgere, & quidem variis modis conſueſcunt. Etenim, dum primo ope *febrifugi* profligatae ſunt, continuato licet eodem remedio, modo poſt octo dies, modo poſt decem, modo citius, modo tardius, ſe produnt, bellumque iterum ſuſcitant; quod mitius ſemper fit, habita fere adamuſſim ratione diſtantiae a primis febris acceſſionibus. Quo autem magis ineunte tempore poſt iteratas *recidivas* febrilis enervatur & deſtruitur cauſa, eo magis deperditur *tertianarius rhythmus*: cumnon raro ſtatis fere, ut diximus, temporibus febrim iterum ita invaleſcere videamus, ut licet iiſdem tertianae *ſymptomatibus* mitioribus ſtipata ſit, trium tamen quatuorve dierum ſpatio indeſinenter perdurat, inordinatis praecedentibus rigoribus. Sic non raro febris, quae primo tertiana fuerat, & *febrifugo* ſopita, mox *quartanario rhythmo* poſt aliquod tempus inſurgit: mox quotidiano; mox *erratico* quolibet alio, donec devicta omnimode, tutoque ſit. Verum id minus mirum cuique videri poteſt: nam, aſſerente eodem expertiſſimo Sydenhamio, tertianae & quartanae profe-

(10) *Sydenh. de Morbis Epid. Cap.* 2.

(11) *profecto ea affinitate inter ſe connexae ſunt, ut ſaepe numero vices permutare, ſaltem ad tempus, deprehendantur, mox fortaſſis ad priſtinum genium redituraе:* quod de quacunque *erratica* alia febri poſt tertianae *recidivas* varias inſurgente verum comperiri optime poteſt.

LXVIII. Inordinatas haſce tertianarum febrium varias quaslibet mutationes, peculiaribus AEgrotantium Corporum diſpoſitionibus tribuendas diſtincte eſſe, praeter ſpeciales aeris occurrentes conſtitutiones, nemo inficiabitur. Ab hiſce ſpecialiter cauſis febrilis fomes citius tardiuſve reviviſcit, diverſaſque nanciſcitur vires ad congruam maturitatem perductus, ut iterum in praelium varia ratione conſurgat. Quod autem citiores tardioreſve tertianarum febrium *recrudeſcentiae* variae non aliunde, quam ab eadem bile intermedio longiore brevioreve temporis ſpatio ad ſufficientem quantitatem coacervata, atque peculiarem, a nemine ſatis unquam intellectam, conditionem ſuſcitandae denuo febri idoneam adepta, derivari unice poſſint: ex eo magis patebat, quod, dum febris denuo inſurgeret poſt longum etiam tempus, aut per vomitum bilioſas virentes utplurimũ, alteriuſve indolis materies magna in copia eructarent: aut inferius per Alvum excernerent, aut per utramque viam, juxta febrilis cauſae quantitatem, aliamve conditionem, aut motum. Hinc febris demum evaneſcebat iterum ex toto, nec ultro denuo ſaeviebat, donec praeparata iterum bilioſa eadem ſarcina, atque ad idoneam quantitatem adaucta, novum denuo incendium ſuſcitare potis eſſet: ut ſucceſſive deſtrueretur iterum. Quod autem tam facilis haec pravae hujuſce bilis nova productio, malam in Hepate, atque Liene, aliiſque forſitan imi Ventris Viſceribus peculiarem diſpoſitionem indicet: id aperte teſtantur *Chronici* varii morbi, qui poſt contumaciores febres haſce plerumque ſuſcitantur, *Cachexia* nempe, *Hydrops*, atque dictorum Viſcerum alia quaevis vitia, *Icteritiae* &c. Ex iteratis enim obſervationibus cuilibet Medico ſatis conſtat, tum eos, qui hiſce morbis aliunde detinentur, frequentius tertianis corripi febribus; tum vice verſa. Hoc unum tantum ingenue fateri quilibet debet Medicus, nondum ſatis patere, quaenam ſit ſpecialis iſtorum viſcerum morboſa affectio, a qua neceſſario tertianae variae indolis febres proficiſcantur. Etenim id ex Cadaverum diſſectionibus ſatis aſſequi nemo poteſt: cum nulli unquam ex ſimplici Tertiana moriantur. Quod ſi aliquando hujuſcemodi *tertianarii* AEgroti occumbunt, id plerumque ob graviores alios ſuperadditos morbos fit; unde difficile admodum eſt intellectu, an ea Viſcerum vitia, quae in eorundem Cadaveribus inveniuntur, illa vere ſint, quae habitam primo tertianam febrim produxerint; an potuis ſuperaddito lethali alteri morbo occaſionem praebuerint. Quare liquido conſtat, quod, dum de tertianarum origine loquimur, conjectando ſolum

(11) *Sydenh. de febr. intermitt. Cap.* 5.

solum ratiocinari, & non aliter possumus. Attamen de hisce non plus aequo solicitus sit Clinicus Medicus; cum ipsi & AEgroto magis expediat scire *quid Morbum tollat*, *quam quid faciat*, ut Celsus admonet in Praefatione: maxime cum persaepe, ut diximus, aut tam gravia in hisce febribus *symptomata* urgeant, quae ad exitium dolose tendunt; aut ad pejores Morbos aditus inde facile fiat; aut saltem contumacior febris evadere queat. Hisce omnibus de causis, cum ex dictis biliosus specialis humor, tum prava peculiari qualitate, tum magna copia peccans pro potiore istarum febrium causa habendus omni jure sit: ipsum viriliter compescere, evincere, omnimode destruere, atque expellere solers debet Medicus. Quapropter neque plus aequo fidendum est adhibito *febrifugo*, cum post iteratum ipsius usum, etsi congrua servata in omnibus sedulo ratione, febris terque quaterque, ut supra observavimus, aliquando recrudescat. Itaque si, posteaquam, *Chinae Chinae* usu satis protracto, febris cesserit, non perfecte inde convalescant AEgroti: si nempe fractae admodum Vires sint, si male appetant cibum, irrequietas persaepe transigant noctes, nativus nondum faciei redeat color, lingua subcroceo cooperiatur glutine maxime statim post somnum, cum oris amaritie, praesertim si inanis ad vomitum concitatio saepius adsit, multoque magis *lymphatico-biliosa* prodeunte liquore, atque Alvus congrua ratione non dejiciat, caeterumque prope Ventriculum tensio, anxietas, aut dolor adsit; si, inquam, haec, aut similia vigeant *phaenomena*: aut superius aut inferius, juxta morbi indigentiam, atque AEgrotorum varias conditiones purgare necesse est; quod utile admodum ego ipse expertus pluries fui. Nec quidpiam huic obstat vulgaris illa opinio, quod purgare quomodocunque post *Chinae Chinae* usum idem prorsus sit, ac novae hinc eventurae febri viam certe sternere. Hoc enim falsum absolute esse experientia teste millies, atque millies didici: quod & rationi ipsi consonum esse satis constat. Verum quidem est, quod adhibito congruo purgante, ut recrudescentem ultro averterem febrim, illico *febrifugum* identidem AEgrotis propinare tunc satius multoties existimaverim: licet, & absq; hoc, febrim inde radicitus evictam pluries noverim in aliis, qui iteratum *Chinae Chinae* usum post assumptum Pharmacum penitus respuerant. Sic vice versa alias, & saepe post *febrifugum* sic denuo usurpatum, iterum iterumque febris recrudescere visa est. Id autem tunc ut plurimum & citius evenire novi, atque certo praedicere potui; cum in primis accessionibus febris diuturnior foret, gravioribus stipata *symptomatibus* statim initio esset, atque prope tertiam accessionem, in tertianis duplicibus nempe, eomagis protraheretur in dies febris, ut coeuntibus sic accessionibus, continua inde fieret, vix, levi praevio rigore quotidie semper imminuto, accessionum initium patefaciens. Neque tunc in hisce *recrudescentiae* metum merito tollebant biliosae dejectiones affluenter occur-

occurrentes, neque bilioſi copioſique vomitus: quibus praeviis tutius ſaepe quam proxime futuram febrim praedixi, non raro veridicus.

LXIX. Illis omnibus, in quibus facilius recrudeſcebat, & ſaepius morbus, non tantum occaſione febris, ſed quolibet etiam tempore ab ipſa vacuo, plus minuſve ſolito pulſus frequens ſemper aderat, cum moleſto calore quodam in Carpo, & fronte praeſertim ſenſibili, quo magis prope Renes AEgroti torquebantur. Hinc plerumque cibum aut averſabantur, aut avide nimis appetebant, ii praecipue, qui, cum mane a cibo diutius abſtinerent, moleſtam quandam Ventriculi affectionem patiebantur, ac ſi animo inde ſe deficere ſentirent, ceu indeſinentibus Ventriculi morſibus divexati. Praeter haec facies in illis a nativo vivido colore manifeſte deflectens pallidam admodum, aut ſubcroceam praeferebat effigiem. Vires parum admodum conſtantes erant: quare pluribus etiam a diſceſſu febris diebus, nil penitus nativo robore potiebantur. Aliquibus nocturnos *erraticos* ſudores familiares vidi: parum placidos ſomnos, plerumque tetris inſomniorum ſpectris perturbatos. Quod ſi aut diutius loquebantur, aut plus aequo ambulatione aliave Corporis exercitatione ſe detinebant: anxii fiebant laborioſe ſpiritum ducentes, univerſa laſſitudine indo oppreſſi, eodem prorſus modo, quo in *Cachecticis*, & Virginibus maxime *Chloroſi* detentis evenit. Nonnullis tumeſcebant Pedes, praeſertim cum ambularent, aut paulo diutius ſtarent: Hocque plerumque iis facilius evenire conſuevit, qui ob eandem febrilem cauſam firmius, aut in Hepate, aut in Liene, aut utrobique firmatam, ad chronicos tendebant morbos; ut *Cachexiam*, *Hydropem*: aut etiam ad acutos lethales alios, ob inflammationem, aut abſceſſus in alterutro, vel utroque ex dictis Viſceribus occurrentes fieri ſolitos.

LXX. Ad acutiſſimos hoſce ſubſequentes Morbos merito etiam reduci debet *Tonſillarum* dolor, & inflammatio non raro poſt contumaciſſimas tertianas haſce occurrens, quam lethalem admodum omni jure indicavit Sydenhamius: maxime (12) *cum deglutiendi primum difficultate & moleſtia, ſupervenientibus deinceps raucedine, oculis cavis, & Hippocratica facie, quae mortem certo imminentem praemonſtrant, interciſa plane omni reintegrandae ſanitatis ſpe*: pro ut ipſe monet. Quomodo autem hujuſmodi *Tonſillarum* inflammatio potius, quam aliarum partium quarumcunque, tertianas haſce ſpecialiter febres ſubſequatur, difficile admodum eſt captu: maxime cum ab Anatomia, ſive aliunde nondum pateat, quae nam ſit peculiaris *Tonſillarum* relatio ad imi Ventris partes illas, in quibus praecipue iſtarum febrium cauſa ſtatuenda merito eſt. Nihilo tamen ſecius, ſi ullus unquam in re tam obſcura conjectandi locus mihi conceditur, de hoc ſic ratiocinari non incongruum exiſtimarem. Quod aliqua, nec tam modica adſit communicatio, ſeu ſpecialis conſenſus

(12) *Sydenh. de febr. interm. Cap.* 5.

sus partium praecipuarum imi Ventris cum superioribus dictis, & praecipue cum *Larynge*, & *Pharynge*, nemo certe negabit, si attendat, in inflammationibus tum Ventriculi, tum Intestinorum, sive in *Iliaca passione*, sive in *Lypiria* etiam febri, sive alia quavis occasione factis, vocem non tantum raucam evadere, verum etiam ita demitti, ut *Aphoni* omnimode AEgroti fiant, cum ardore faucium, rubore, atque plerumque singultu, aliisque hujusce indolis *symptomatibus*, quae aut *Laryngis*, aut *Pharyngis*, aut utriusque partis laesionem vario modo factam aperte indicant: quae etiam omnia, aut pleraque saltem *symptomata* & in contumaciori *Diarrhoea*, & in graviori *Dysenteria* occurrere passim varie observantur. Omitto & specialem Uteri cum superioribus iisdem partibus consensum, qui in hystericis plerisque affectibus ostenditur, dum *Aphonia*, *Praefocatio*, seu melius *Strangulatio* succedit. Tali posito consensu cuique satis noto, non abs re, meo judicio, videtur esse, si dicamus: quod si, male affectis inferioribus dictis partibus, superiores distincte ita patiuntur; pari ratione infensus humor, qui in tertianis febribus illas obsidet, ad hasce etiam facilius, quam alias transferri queat. Quamobrem bilioſus humor in tertianis maxime vigens, & furens: sive mavis lymphae simul portio (quae in Intestinis, aliisve ipsis proximis partibus secerni, atque excerni solebat, atque, ob earundem contractiones, occasione graviorum *symptomatum* in hisce febribus occurrentium factas, maximum sui motui obicem invenit) superiores dictas partes distincte petere potest, ibidemque residere, concrescere, atque tumores varios, nec non inflammationem ipsam progignere. Quod autem posita bilis exuberanti copia peculiariter vigente (quoties congruum ad Intestina aditum non habeat, ut satis atque tempestive excernatur) ipsa cum sanguine & lympha iterum immiscеatur, aliasque partes quaqua versus pervadat; satis indicat profusa Lympha illa per *diaphoresim* emanans, quae aliquando subflavo inficitur colore, atque plerumque sulphureum olet ichorem. Id ultro testatur flavescens cutis color, & urinarum quasi ictericus, in oculis magis conspicuus, ne dicam in Lingua praesertim: qui quidem successive citius tardiusve evanescere videtur, habito respectu ad bilioſas dejectiones libere magis minusve factas: qua eadem servata ratione superiores etiam dictae partes a *lymphaticis* quibusvis, aut *lymphatico-bilioſis* concretionibus in enarrato casu liberantur. Propter hanc bilis aestuantis commixtionem cum sanguine, lympha etiam inficitur, atque corrodentem, fere dixerim, naturam induit, propterquam tenuiorum vasculorum tunicae lacerantur plurimis in locis: ut in Intestinis praesertim, propter quod *Dysenteria* hasce passim febres comitatur: tum & in ore, & labiis maxime, & Naribus, unde scissurae illae fiunt, quae non immerito pro *Critico* Naturae motu habentur, cum ab hisce pateat bilioſi febrilis apparatus imminutio, atque plerumque totalis

totalis solutio. Ex hisce autem omnibus satis constat, quod in hujuscemodi *Tonsillarum* inflammationibus non tantum affectam partem immediate respicere debet Medicus, sed & distincte inferioribus dictis attendere, in quibus secretiones humorum congruas, excretionesque solventibus idoneis promovere dextere expedit. Hinc frequens *Clysterum* usus, tum & Olei amygdalarum dulcium, tum & purgantium mitiorum etiam, satius tutiusque remedium est: quae omnia perquam utilia in hisce casibus expertus semper fui. Quo facilius enim, quo affluentius (congrua tamen semper servata ratione modi, & copiae) per Intestina *Lymphatico-biliosus* humor dictus educitur, minor ejusdem copia alias subit partes: sicque illae, quae ipso gravatae erant, a morboso pondere citius liberantur. Hac de causa, cum *catarrhali* febri quondam correptus, *lymphatico* simul prope *Tonsillas* tumore parum absimili laborarem, post consueta alia adhibita remedia, utile mihi admodum, & quidem citissimum praesidium fuit, Lymphae secretionem, excretionemque per *Peyerianas* glandulas solicitare, atque augere congrui purgantis ope; cum, habita ratione promotae sic expulsionis, humor dictus cito evanesceret. Nec tantum *Tonsillarum*, sed & *Parotidum* persaepe tumores in tertianis autumnalibus praesertim febribus occurrere, experientia constat: quos eodem modo tunc fieri, & solvi posse, nemo forsan negabit. Verum *Tonsillarum* inflammationes dictae quandoque tarde nimis occurrunt, tunc nempe cum pleraque imi Ventris Viscera, ob praegressas diuturniores tertianas febres, labefactata maxime sunt; quare nulla penitus salutis spes emergit, pro ut cum Sydenhamio monuimus.

LXXI. Id propemodum evenit Domino Maller Machinariarum munitionum Architecto sub Vexillis Regis Sardiniae Cremonae operam navantis: cujus Morbi historiam non abs re erit hic distincte proponere. Iste prope finem Augusti mensis anno 1735. tertiana spuria febri correptus Cremonam se contulit, meque accersiri jussit. Tunc valida admodum febri detentum eum inveni, quam modicus praecesserat rigor cum nausea, & siti. Febris post meridiem invaluerat, atque ad noctem protracta, vix mane remiserat, universali comite sudore non aeque libere prodeunte. Cum mane ideo febri ex toto careret, atque ex praegressis de tertianae intermittentis *rhythmo* certior factus essem: ad biliosam aliqua ex parte causam evincendam, atque expellendam, leve purgans ipsi praescripsi; quod optime cessit. Successive ad diluentes attemperantes potiones confugi. Febris iterum accessit altera die diutius protracta, comite maxima pulsus frequentia, & mordaci calore. Quare venam secari jussi; indeque Serum Lactis alteratum cum incisivis demulcentibus herbis una cum infusione *Rhabarbari* ipsi exhibui per plures dies: cujus ope devicta paulatim febrili causa, paulo postea convaluit. Profligata licet febri, non hinc tamen perfecte

perfecte convaluisse mihi videbatur. Etenim viribus destitutus admodum erat, cum maxima pulsus frequentia, & concitatione; pallidus ac fere fusco flavescente colore perfusus, parum appetens cibum, nec satis placide noctes transigens. Quapropter, tum ob errata quamplurima in regimine victus, tum ob nativam autumnalis hujusce febris indolem, paulo postea febri correptus est *tertianarium* adhuc ordinem servante, cum ardore quodam faucium molesto. Ad *Chinam Chinam* ideo confugiendum esse illico decrevi, cujus ope paulatim febris evanuit. Attamen eadem, ut antea, tum in facie, tum in pulsu infausta signa aderant, una cum maxima praecipue virium prostratione. Interim aperitivas demulcentes praesertim ex cichorio potiones copiose sumendas indicavi, cum analogo victus regimine. Itaque nonnullis elapsis hebdomadis denuo febris ipsum invasit, quae primo tertianae duplicis inordinatae, ac postea quartanae *rhythmum* servavit. Unde, praeter generalia dicta demulcentia & incisiva remedia, ad *febrifugum* iterum cum modica portione *Rhabarbari*, una cum rosarum conserva confugiendum esse putavi, cujus adminiculo, devicta validius morbifica causa, melius convalescere visus est. Perdurabat tamen adhuc pallidus faciei color, viribusque admodum fractus inde evasit. Quamobrem subsequenti Septembri, & Octobri, ob iteratos hosce, & frequentes febris insultus, nunquam ex toto prospera valetudine frui potuit. Quare usum *Chinae Chinae* identidem usurpandae necessarium ipsi maxime indicavi. Verum cum hinc ipse melius admodum se habere putaret, ac fere ex toto se convaluisse: pro libito quibuslibet indiscriminatim cibis, & fructibus, & praecipue meracioribus Vinis uti coepit. Paulo postea *Tonsillarum* dolore cum deglutiendi difficultate, atque vocis raucedine, & demissione correptus fuit Accersiri ideo Chirurgum jussit, qui cum de praegressis nil conscius esset, tanquam Angina spuria correptum ipsum curare coepit, nihil attenta universali latente potiore causa. Inunctiones ideo laxantes, & Emplastra parti affectae apposuit, quae cum nil penitus prodessent, Oleum amygdalarum dulcium in congrua quantitate ipsi propinavit: medio quo vehemens excitatus est vomitus materiei biliosae cum pauco sanguine. Tunc ad ipsum vocatus, illico ad sedandum vomitum consuetum ex Sale Absynthii, & Laudano pulverem, cum succo Mali medici exhibui, quem cum paulo postea rejecisset, iterandum monui, sed frustra. Vomitus namque ipsum adhuc vexabat, ita ut nihil penitus retineret. Ad haec omnia aliaque praegressa ego animum sedulo convertens, primariam in Hepate latitare causam certo pronunciavi, quae inflammationem minabatur, pro ut vehemens doloris sensus, & febris indicabat, pulsus durus, depressus, & frequens admodum, nec non tensio sub *mucronata* cartilagine versus dexteram partem magis conspicua. Sanguinem ideo statim emitti jussi: Mixtura stomatica nostra usus fuit, cujus

jus ope vomitus omnimode ceſſit. Nihilo tamen ſecius caetera omnia, atque praeſertim *Tonſillarum* dolorem adhuc perdurantem cum aphonia, aliaque omnia praegreſſa attendens, Mortem in proximo eſſe certo aſſerere non dubitavi. Etenim pulſus ſenſim & ſine ſenſu imminutus fuit, noctes vigil, atque irrequietus tranſigebat, facies cadaverica reddebatur, atque vox magis magiſque rauca & depreſſa, cum delirio. Paulo poſtea pulſus ex toto deperditus eſt, & dum melius de faucium dolore, aliiſque ſe habere Patiens crederet, repente circa ſeptimam morbi diem miſere occubuit.

LXXII. Quotieſcunque ideo poſt tertianas hujuſcemodi devictas febres Autumni tempore, praedicta tum in facie, tum in pulſu, tum in aliis ſigna, ſive omnia, ſive pleraque etiam adnotabam: etſi AEgroti de totali perfecta valetudine jam tuto firmata ſibi falſo perſuaderent: certo ſemper febris recrudeſcentis futuros inſultus varios praedicebam. Nec tantum haec ſigna attendere potui in tertianis illis febribus, quae ad *Lypiriam* primo tendebant: ſed & in aliis, quae licet violentae, non tamen ita gravibus ſtipatae erant *ſymptomatibus*, ut *Lypiriae* ſuſpicionem proferrent.

LXXIII. In hiſce autem, dum primo invaderent, ideo ſtatim plures futuras *recrudeſcentias* tuto me praenoſcere poſſe putabam: quia ſive ſimplices, ſive duplices eae eſſent, longiſſimas habebant acceſſiones cum rigore, aut leviſſimo & brevi, aut forti admodum ſed diu protracto: quia ſitis intenſa aderat in principio cum Ventriculi paſſione, faucium ardore, cum tenſionis ſenſu prope Ventriculum, & Hepar, comitante quandoque moleſta ſicca tuſſi. Nec copioſi in remiſſione febris ſudores aderant, ſed *ſudatiuncula* tantum, ut ajunt, quae aut diſcedente febri ſtatim evaneſcebat, ſiccata inopinato cuti, aut diu admodum abſque ordine protrahebatur. Praeterquamquod etiam intermiſſionis tempore pulſus frequentia non modica cum calore mordaci adhuc perſeverans id manifeſte indicabat, maxime cum Autumnali tempore hae febres occurrerent. Non raro in hiſce febribus copioſi fiebant vomitus virentis bilis, Alvique non abſimiles frequentes liquidae dejectiones, quae quo minus febris ſolutioni conducebant, eo contumaciorem indicabant cauſam ad *recrudeſcentias* perquam proclivem. Hiſce occurrentibus, ac copioſis *ſymptomaticis* excretionibus, & Ventriculi fortes paſſiones, & animi defectus, & frigidae *ſudatiunculae* AEgros plerumque vexabant. *Obſervandum eſt etiam* (13) (monet doctiſſimus Sydenhamius) *quod in principio febrium intermittentium* (*epidemicarum praecipue, quae Autumno contingunt*) *haud ita in proclivi eſt Typum ſub primis invaſionis diebus rite diſtinguere, quandoquidem febri continua adſcita primum adoriuntur, neque facile eſt aliquando, niſi diligenter adverteris animum, quicquam aliud, praeter aliqualem Morbi remiſſionem deprehendere, quae tamen paulatim*

(13) *Sydenh. de febrib. interm. Cap.* 5.

*tim in perfectam deſinit intermiſſionem, & Typum anni tempeſtati apte reſpondentem.*

LXXIV. Quod ſpectat ad curationem intermittentium hujuſcemodi febrium contumaciorum abſque ordine progredientium, quae facile recrudeſcunt: haudquaquam me pudet cum laudato toties Sydenhamio confiteri, quod *nondum* (14) *eam felicitatem adeptus ſum, ut Autumni febres intermittentes certa aliqua praxi, atque medicandi ratione tollere poſſim, anteaquam ſtatas illas fermentationes, (de quibus ſupra locuti ſumus) peregerint, utcunque moleſtum hoc AEgrotantibus videatur; qui eo uſque ſanitatem ſuam expectare inviti coguntur.* Si enim aliquando peculiari alicui inſiſtens methodo eas citius ſolito ſedatas vidi: non hinc certo arbitrabar methodum illam pro genuina vere habendam generaliter eſſe, caeteriſque omnibus praeferendam; cum non tam facile ſit cognitu, quin immo difficillimum judicatu, an vere febris illa ideo profligata cito ſit, quia tali methodo curata: an melius, quia ſub ſpecialibus AEgrotorum illorum, & temporis conditionibus talis eſſet indolis, propter quam *deſpumationem*, ut ajunt, neceſſariam citius, & facilius ſubire poſſet. De hoc autem certior toties factus fui, quoties eadem prorſus utens methodo, votis ex toto fruſtratus, febres haſce identidem recrudeſcere, & diutiſſime protrahi obſervavi: quod an peculiari ipſius febris characteri, ejuſdemque contumaciori cauſae, an incongruae rationi ſervatae methodi verosimilius tribuendum eſſet, nemo tam facile auderet ſtatuere. Nihilo tamen minus nonnulla Diſcipulis ſaltem meis documenta hic placet offerre, quae etſi certam quandam methodum febribus hiſce omnibus generaliter congruentem firmare neutiquam valeant: non hinc tamen ea ſpernenda ex toto eſſe mihi videntur, utpote quae, ſi non ſemper congrua ad evitandos recrudeſcentium harum febrium inſultus, ſaltem ad occurrentia *ſymptomata* ſedanda citius, tutiuſque, utili maxime expertus utplurimum fui.

LXXV. Quotieſcunque ideo generali jam ſupra enarrata methodo, vel etiam *Chinae Chinae* uſu profligata jam primo febris, poſt aliquod tempus citius tardiuſve iterum revertebatur: praecipua mihi erat cura, ut hujuſce febris recrudeſcentis genium, & indolem cum praegreſſa jam devicta febri diligenter conferrem. Quamobrem, ſi hanc ejuſdem, ac illam, characteris (quod plerumque evenit) eſſe judicabam: per eaſdem hanc quoque *criticas* evacuationes ſolvendam eſſe, certe aſſerebam. Unde, ſi illam per inferiora potius, quam per ſuperiora, aut viceverſa, aut per utramque ſimul viam, ſolutam fuiſſe memineram; in hoc quoque tutiora ſequens naturae ipſius veſtigia, hanc potius, quam illam evacuationem promovendam primo eſſe arbitrabar. Hinc niſi ſponte hujuſcemodi excretiones moliretur natura, atque aliunde perſpicua ſatis adeſſent ſigna copiam

(14) *Idem ibidem.*

bilioſi latitantis humoris indicantia: ſtatim aut *Emeticum* conſuetum, aut leve mihi familiare purgans exhibebam, juxta AEgrotantium indigentiam. Hujuſce ope ea aperta via, per quam alias natura febrim everterat, *Chinam Chinam* ſucceſſive ſumendam eſſe jubebam, quam ad ulteriorem avertendam *recrudeſcentiam* diutius continuandam eſſe monebam. Quod ſi neque *Emeticum*, neque purgans, etſi leve remedium, fractis renuentibus viribus, ferre AEgroti poterant: caeteroquin tamen bilioſum copioſum fomitem conſueta indicarent ſatis ſigna, ad quem ſolvendum natura ex ſe ſola ſufficere neutiquam poſſe videretur; tunc *Chinae Chinae* ſingulis doſibus congruam *Rhabarbari* portionem immiſcebam: quo modo per *epicraticas*, ut ajunt, evacuationes tutius febris devincebatur.

LXXVI. Verum aliquando tam ſolicite, tamque intempeſtive, & vehementer evacuationes haſce maximo AEgroti damno natura promovet, ut idoneo opus ſit fraeno. Tunc ideo ſingulis *Chinae Chinae* doſibus congruam portionem Electuarii *Diaſcordion*, aut *Theriacae*, aut *Laudani* adjungens, aberrantis naturae inanes, noxioſque motus utiliter compeſcere, tutiuſque febri proſpicere curabam. Plerumque tamen in hoc caſu ſequentem opiatam fauſto eventu praſcripſi.

R.e
*Conſerv. Roſarum antiq.* unc. 2
*Granorum Juniperi*
*Chinae Chinae elect.* añ. unc. 1.
*Theriacae optimae* drachm. 2.
*Succi Abſynthii* drachm. 3.
aut ejus loco *Salis Abſynthii* drach. 1. & ſemis
*Sirupi de Abſynthio q. ſ. M.e f. opiata*, quam capiat octo vicibus ſemel in die, & alternis diebus; prout alias indicavimus.

LXXVII. Aſt cum non eadem ſemper fuerit hujuſce tam facile recrudeſcentis febris indoles, neque eaedem in diverſis AEgrotis *circumſtantiae*, non aeque facile iiſdem pene, quibus aliae praeſidiis ceſſerant, morbus devinci poterat. Tunc igitur tutius mihi conſilium fuit, eidem *Chinae Chinae* congruenti doſi idoneam florum *Chamaemeli* portionem adjungere. Iſti enim, non ſolum tanquam *febrifugum* remedium ad devincendam febrim una cum *Peruviano Cortice* conferre maxime poterant; verum & tanquam leniens ſatis valens ad occurrentia quaelibet conſueta *ſymptomata* edomanda. Attamen eodem tempore, quo ad hujuſcemodi *febrifuga* remedia quaevis confugiebam, alia non omittebam, quae uno eodemque tempore tum febrilem cauſam radicitus evellere paulatim poſſent, tum ſimul alios *chronicos* morbos inde merito metuendos avertere. Quamobrem, cum ſatis perſpectum mihi eſſet, febres contumaciſſimas haſce omnes a glutinoſa magis, craſſaque bile difficile admodum ſolubili, atque per conſuetos *excretorios* tubulos non niſi longo temporis ſpatio permeabili ſpecialiter derivari; ad diluentia omnis generis, & diſſolventia confugiendum jure eſſe monebam. Hinc

aut

aut decoctiones radicum Graminis, Capillorum Veneris, & Cichorii, aliorumve hujuſcemodi herbarum, *Chalybeatas*, aut Aquas Minerales, ut Villenſes, aliaſve ejuſdem indolis, largis hauſtibus ſumendas indicabam; quo profecto praeſidio nullum certe ad id utilius, nullum efficacius, aut Morbi cauſae magis accomodatum inveniri unquam poſſe ſemper exiſtimavi. In hunc finem utiles quoque expertus ſum *nitratas* copioſas potiones ex iiſdem aquis, utpote caeteris efficaciores ad internos ſedandos aeſtus, atque ad lenteſcentem maxime diſſolvendam bilem. Nil etenim timendum tunc magis erat, quam quod glutinoſa haec bilis partim vi ſuae tenacitatis in *colatoriis* conſuetis lethales produceret concretiones: partim acri vi ſua ſolida ipſa in enormes contractiones cogeret, propter quas, coarctatis canalibus, variae ſuborirentur humorum coagulationes tum in Hepate, tum in Liene, tum in Meſenterio: quod plerumque poſt contumaciores haſce febres fieri, cuique notum eſt.

LXXVIII. Sanguinis emiſſio in hiſce febribus ob quamplurimas cauſas inconveniens omnimode putatur, quod etiam multiplici ratione admonet laudatus toties expertiſſimus Sydenhamius. Etenim ſi, ut toties docuimus, febrium hujuſmodi cauſa plerumque a bile variis modis peccante derivanda eſt: quid nam proderit ſanguinis emiſſio, propter quam bilis jam a ſanguine ſeparata nil penitus educi poteſt? Praeterquamquod ipſius ope laxantur admodum, atque enervantur ſolidorum fibrillae, ipſarumque ideo vis elaſtica pari ratione diminuitur: quare minus aptae redduntur, ut conſuetis tam neceſſariis *oſcillationibus* biliosum humorem, ob nativam tenacitatem ſuam maxime ad motum inertem, ad optatas excretiones ſolicitare ſatis queant. Quod ſi de *Plethoricis* agatur Corporibus, attenta praeſertim febris vehementia, qua ſub ipſo morbi initio corripere ſolet, ſanguinis emiſſio inconveniens minus erit, & quandoque neceſſaria; quod ego toties expertus fui. Verum recrudeſcente denuo ſaepe febri, dum vires fractae admodum eſſent, atque AEgroti ad *chronicos* morbos manifeſte tenderent: tantum abeſt, quod ſanguinem emittere opportunum & utile cenſendum ideo ſit, ut maxime nocuum, aliiſque facile accerſendis morbis idoneum, quilibet primo intuitu arbitrari rationabiliter poſſit. Nihilominus tanta quandoque eſt comitantium *ſymptomatum* vehementia, tamque crudelis ſaevities, ut ad evitandam in *Praecordiis* inflammationem, (quam imminentem plerumque in hiſce caſibus ſatis indicant *ſuſpirioſae anxietates*, univerſalis incipiens refrigeratio, ob retardatum ſanguinis motum, pulſus durus, atque imminutus cum ſudoribus *ſymptomaticis* &c.) ad ſanguinis emiſſionem, ceu ad unicum, magiſque expeditum remedium confugere neceſſe ſit.

LXXIX. Ad hujuſcemodi praeſidium, aliis non omiſſis remediis, utiliter confugi, dum anno 1735. Excellentiſſimum Dominum Marchionem

chionem Divi Simonis inter primates Gallici exercitus tunc ſtrenue militantem contumaciſſimo, atque gravi detentum morbo, jamque ad agonem redactum, curandum habui. Placet autem, arrepta occaſione, ejuſdem peculiaris AEgritudinis hiſtoriam caſui noſtro perquam faventem diſtincte hic proponere. Generoſus Nobiliſſimus iſte Vir *catarrhali* febri correptus fuit, a qua, ſanguine ex brachio ſatis educto, indeque copioſo ſuccedente ſudore, ex toto liber evaſit. Non hinc tamen perfecte convaluit. Viribus enim maxime deſtitutus, cibum parum appetebat, nativa carens hilaritate, noctesque minus placide tranſigens. Paucis tranſactis diebus tertiana duplex febris ſpuria ipſum corripuit, modico vix praevio rigore, atque levi extenſo admodum ſudore in remiſſione ſubſequente. Tunc, praeviis conſuetis attemperantibus, atque purgantibus tutioribus remediis, ad uſum *Chinae Chinae* confugimus, cujus iteratis, juxta conſuetam methodum, doſibus, febris omnimode evanuit. Attamen, dejectis hinc maxime viribus, etſi febri carens, a cibo prorſus abhorrebat, addita ultro Ventriculi moleſta paſſione, cum frequenti ad vomitum ſtimulo, utplurimum inani, aliquando etiam cum bilioſae flavovirentis materiei admodum amaricantis expulſione. Inſomnis ideo plerumque pernoctabat, tum interdiu maeſtus admodum, atque irrequietus erat, comite frequenti & concitato pulſu, ſubflavo, pallidoque perfuſus colore. Protracto ſic *Chinae* uſu per aliquod tempus, non omiſſo identidem *Rhabarbaro*, febri ex toto immunis, melius ſe habuit. Hinc *erratica* febri detineri coepit, quam bilioſae excretiones modo per vomitum, modo per Alvum copioſe promotae, abſque ullo levamine ſaepe comitabantur. Succeſſive *cardialgicae* paſſiones additae ſunt, tunc cum, levibus accedentibus rigoribus, *tertianarium* adhuc *typum*, etſi inordinatum, praeſeferre febris viſa eſt. Hiſce de cauſis accerſito quoque doctiſſimo Coſta Medico Gallo mihi amiciſſimo, unanimi conſenſu ſtatuimus ad *Peruvianum Corticem* confugiendum iterum eſſe. Additae hiſce ſunt copioſae potiones diluentes, atque iterati *clyſteres*, mediis quibus bilioſus peccans humor copioſe per Alvum educebatur, moleſto quoque ſaepe accedente vomitu, quem, utpote *ſymptomaticum*, *emetico* remedio promovere ultro, incongruum arbitrati fuimus. Ineunte enim morbo, eo magis *ſymptoma* hoc adauctum fuit, ut nihil penitus retinere utplurimum poſſet. Nec quidpiam tunc proderant lenientia laudabiliora remedia. Qua de re adaucta hinc magis magiſque febri, omnibus in pejus ſemper ruentibus, viribus magna ex parte deſtitutus, irrequietus noctu, atque per lectum quaqua verſus ſe indeſinenter jactans, tenaci perfuſus univerſo ſudore, anxiuſque factus, refrigerari maxime coepit. In manifeſta hac inchoantis jam *Lypiriae* febris ſuſpicione, accerſito celeberrimo Medico Raina Protomedico Generali in Noſocomiis Militum Regis Sardiniae

diniae tunc Cremonae existentibus &c. vena Pedis illico secta fuit. Id autem eo magis solicite peragi jussimus, quo magis imminentis intimo ventre inflammationis suspicio aderat, addito simul malvatici generosi Vini usu toties in hisce casibus a me experto. Res autem pro votis cessit, eductoque in modica quantitate sanguine melius illico se habuit Nobilissimus Patiens, de cujus jactura metuendum antea omni jure erat. Hinc diluentes potiones plenogurgite frequenter sumendas iterum laudavimus. Iteratis postea *clysteribus*, glutinosam admodum per inferiora bilem eduxit per plures dies, propter quod sedato vomitu, gravioribusque aliis evanescentibus *symptomatibus*, omnimode convaluit. Nihilominus ad morbificam ultro evincendam causam singulare quoddam *febrifugum* ex clarissimi ejusdem Rainae invento praeparatum iteratis vicibus exhibitum hinc utiliter fuit; unde eo magis patuit, adjunctae etiam postea violentioris febris fomitem ab eodem penitus transactae periodicae intermittentis febris principio pullulasse: quod antea statueram.

LXXX. Properante autumno anni 1733., tertianis hisce febribus fere ex toto profligatis, Quartanae subsecutae illico sunt, quarum pleraque speciali, facilique methodo mihi familiari devictas illico vidi, atque utplurimum absque ulla subsequente *recrudescentia*. Quod si Quartana febris haec jam primo devicta in nonnullis recrudescere postea videbatur: id specialiter evenisse illis novi, qui aut incongruo nimis victu usi essent aut Hepatis, Lienisve tumoribus laborarent; unde febrilis causa methodo nostra satis extincta, a male affectis sic Visceribus iterum pullularet, pristinam febrilem luctam de quarto in quartum suscitatura. Porro in his, qui nullis istorum Viscerum vitiis laborabant, atque idoneam victus normam neutiquam omiserant, nunquam Quartanas hasce febres sequenti mea methodo curatas, iterum recrudescere vidi, aut raro saltem.

LXXXI. Cum eandem, paucis mutatis, causam Quartanae, ac Tertianae febres habeant, in primariis nempe imi Ventris visceribus: eandem prorsus utrisque curandi methodum convenire nemo negabit. Hinc cum primum ad *Quartanarium* accedebam; accessionum vehementiam, *symptomatumque* comitatus varios, nec non AEgrotantium peculiares temperies attendebam. Quare quoties de saginato Corpore liberali magis victui indulgente agebatur, maxime urgente vomitu, amaritie Oris, molestaque Ventriculi *gravativa* tensione: ad *Emeticum* intermissionis die confugiebam, *Ypecacuanham* seligens. Nisi enarrata haec signa directe *emeticum* postularent, per inferiora leviter purgare satius arbitrabar. Attamen purgare sic eatenus melius putavi, quatenus cuicunque indiscriminatim Corpori magis conveniens, minusque laboriosum evaderet. Pro purgante autem tunc hoc potius, quam aliud remedium, utpote satis efficax & tutum propinabam.

℞ *Fol. Sennae Or.* drachm. 2. & semis
*Cremor. Tartar.* drachm. 2.
*Rhabarb. el.* scrup. 2.
*Cinamom. el.* scrup. 4.
*Aq. Gland. Persicorum destillat. q. s. M.e f. inf. per noctem, mane f. fortis expressio, atque levis ebullitio, & colat. adde Mann. el.* unc. 2. & sem. *Clarif., & f. P.* Loco *Manna* quandoque utebar *Sirupo ex floribus Persicorum*, aut *Sirupo de Cichorio cum Rhabarbaro* juxta AEgrotorum Corporum varias dispositiones, ad quas, congruo habito respectu, plus minusve ejusdem Medicamenti dosim aut imminuebam, aut augebam. Semper tamen eadem aqua ex Glandibus Persicorum utebar, in qua & purgantia quaeque dissolvere plerumque soleo. Quaecunque ea sit hujusce aquae peculiaris vis ad purgantium potentiam mirabiliter attemperandam: certe asserere possum, nullam unquam ab hisce remediis noxam, neque in hisce, neque in aliis morbis evenisse; quod secus a purgantibus fieri, absque hujusce aquae adminiculo, fere semper observavi.

LXXXII. Praemissis hujusce modi remediis, diebus sequentibus parari jubebam decoctionem ex Radicibus Cichorii, foliis Agrimoniae, Capillorum Veneris, floribus *Chamaemeli*, & Centaureae minoris, ut ex ea AEgrotantes sumerent per aliquot dies. Non omittebam identidem *Rhabarbari* infusionem in eadem decoctione faciendam, atque mane sumendam, quotiescunque de *Cachecticis* ageretur Corporibus, crassiorque dominaretur bilis, quae per consuetas vias neutiquam ejiceretur.

LXXXIII. Post haec praesto erat *Chinae Chinae* usus, quam sequenti methodo exhibere semper consuevi, nunquam spe frustratus.

℞ *Chinae Chinae el. optime pul.* drachm. 3.
*Succi Absynthii condensati* scrup. 4.
*Pulveris florum Chamaemeli Salis Centaureae Minoris* aā. drach. 1.
*Sirupi de Absynthio q. s. M. f. boli n. xxxvi. capiat 6. pro vice.* Hoc utilissimum, atque usitatissimum remedium est in Nosocomio majore nostro, quod ibidem ego primum parari jussi, atque in usum revocavi adversus Quartanas quaslibet febres. Ipso autem utor sequenti methodo. In remissione febris sex statim ex hisce bolis exhibeo, totidemque sequenti intermissionis die, tum summo mane, tum una hora ante prandium, tum una hora ante coenam: eodem modo procedendo altera subsequenti die a febri vacua, dum eadem tota dosis iterum paratur. Die accessionis altera sex tantum bolos summo mane sumendos doceo, aut saltem sex alios una hora ante cibum, maxime si febris in vesperis invadat. Plerumque haec accessio, praemisso remedio hoc sic usurpato, aut ex toto desideratur, aut leviter admodum supervenit: quare utrinque de nulla alia in posterum futura amplius febri pronunciare Medicus tutis-

tutissime potest. Caeterum non hinc tutus plus aequo Medicus factus a *febrifugo* totaliter abstinere debet, ad avertendam saltem febris possibilem *recrudescentiam*, quae potiore jure magis est timenda, quo magis ad Vergiliarum occasum properamus. Ideo sequentibus diebus singulis sex saltem bolos mane sumendos indico, donec secunda dosis ex toto consumpta sit. Tertio demum tota dosis iteranda est, cujus primo alternis diebus sex bolos mane sumant, ac postea de quarto in quartum diebus febri respondentibus, donec ex toto tertiam hanc assumpserint dosim. Hisce peractis, servataque inde congrua victus ratione, ad ulteriora confugere Medicamenta supervacaneum ex toto est. Quare & sanguinis emissio praesertim omittitur.

LXXXIV. Attamen in Quartanis illis febribus, quas contumaciores expertus fui, ideoque postea terque quaterque recrudescentes, utpote illas, quae in *Cachecticis* Corporibus, aut saltem peculiari Hepatis, aut Lienis obstructione laborantibus occurrere solent, ad alia remedia confugiendum erat. *Rhabarbarum* id circo supradictae praeparationi *Chinae Chinae* adjungebam, tum & *Theriacam*, cum *Tartaro Vitriolato* hoc modo

R. *Chinae Chinae el. pulv.* unc. semis
*Rhabarb. el.* drach. 1. & sem.
*Theriac. el.* drach. 1.
*Sal. Centaureae Minoris*
*Tartar. Vitriol.* añ. scrup. 2.
*Pulv. flor. Chamaemeli* scr. 4.
*Sirupi de Absynthio q. s. M. f. Opiata*,

quae in octo doses dividatur, quas eodem prorsus modo & tempore sumat, quo supra de bolis dictum fuit: sic pariter & totam iterando dosim, pro ut opus fuerit ad febrilem omnimode causam funditus evertendam. Non equidem negaverim tum haec, tum & alia quaelibet remedia in Quartanarum febrium curatione frustranea penitus aliquando evadere; sicuti & de tertianis diximus; maxime cum Viscerum tumores adessent, unde & Hydrops, & acuti lethales morbi non raro derivantur.

# SECTIO PRIMA

## CAPUT QUARTUM

### *Febris tertianae generalis cauſa, & aliorum morborum juxta anni temporum viciſſitudines.*

LXXXV. Si quis autem hujuſcemodi Tertianarum, aut Quartanarũ febriũ quomodocumque variis modis progredientium, atque in hac potius, quam alia aeris conſtitutione dominantium, adnexorumve ipſis quorumvis *ſymptomatum* veridicas generales cauſas attingere tutius quaereret: non aliter melius, quam diligentiſſimis Veterum Medicorum obſervationibus ſolidioris ratiocinii fundamentum firmare unquam poſſet. Nec tantum ad aeſtivos hoſce, atque autumnales morbos ab intrinſeco perſcrutandos, verum etiam ad hyemales, & vernales, Antiquorum ſagaciores animadverſiones proſunt; tum & ad *Epidemicos* quoslibet, quos, ob ſpeciales occurrentes aeris conſtitutiones, enaſci ſaepe vidimus. Quid enim aliud ſonat vulgarium quatuor humorum dominium illud, quod ſingulis anni temporibus diſtincte deſtinavit Hippocrates: quam veridicum magis morborum quorumlibet juxta varias temporum conſtitutiones graſſantium principium, non aliunde melius unquam derivandum? Revera ſi rem intime ſpectemus, neglectis obſoletis jam de hiſce Veterum nomenclaturis, earumque loco Recentiorum ſanioribus explicationibus ſubſtitutis: nemo certe inficias iverit, loco *Pituitae*, *Lymphatici* humoris majori in copia coacervati dominium hyemis potius tempore, quam alio, haberi: loco Sanguinis veluti pro quarto humore ab ipſis habiti, totius ſanguineae maſsae exuberantem copiam, quam *plethoram* veram dicimus, tempore verno facilius vigere quilibet noſcet: Sicuti & AEſtate *bilioſum* humorem, atque Autumno *melancholicum*, ſeu melius craſſiorem bilem majori in copia è ſanguineo penu ſecerni, atque coacervari maxime, nemo verebitur aſſerere.

LXXXVI. Id teſtantur ſatis morbi plerique ſingulis anni temporibus praecipue dominantes. Etenim verum eſt ex Hippocrate, quod licet (15) *Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiant: nonnulli vero in quibuſdam ipſorum magis & fiunt, & exacerbantur*. Namque (16) *Hyeme & Pleuritides, & Peripneumonias, Lethargos, gravedines, raucedines, tuſſes,*

(15) *Hippoc. Aphor.* 19. *Sec.* 3. (16) *Idem Aphor.* 23. *Sec.* 3.

*ses*, *dolores Pectoris*, & *Laterum*, & *Lumborum*, & *Capitis dolores*, *Vertigines*, *Apoplexias*, aliosque hujuscemodi morbos familiares passim videmus, quos sola Lympha aut qualitate, aut saltem copia quomodocunque peccans unice progignit: ut infra fusius patebit. Hisce succedunt peculiares morbi alii verno tempore utplurimum saevientes, videlicet (17) *Insaniae*, *Melancholiae*, *Epilepsiae*, *sanguinis fluxiones*, *Anginae*, *gravedines*, & *raucedines*, *Tusses*, *Leprae*, & *impetigines*, & *vitiligines*, & *pustulae ulcerosae plurimae*, & *tubercula*, & *Articulorum dolores*, & quaecunque aliae morborum innumerae species, ab exuberante quaqua versus sanguine, indeq; plus aequo vasorum latera distendente, atque disrumpente quam proxime derivandae. Quod si AEstivos successive perscrutemur morbos, de quibus supra actum est, nil nisi furibundos aestuantis plus, minusve bilis, universamque humorum massam intime, maximeque dissolventis, atque attenuantis tumultus intueri poterimus; (18) *Nonnullos scilicet ex vernalibus morbos*, & *Febres continuas & ardentes*, & *Tertianas plurimas*, *Quartanas*, *Vomitus*, *Alvi fluxus*, *Ophtalmias*, *Aurium dolores*, *Oris ulcerationes*, & *Pudendorum putredines*, & *sudamina*. Verum cum accedente Autumno, bilioſus iste humor crassior redditur, difficilius, atque absque ordine fluit, firmius partibus inhaeret, atque Intestinis maxime, illorumque tunicas mordet, pungit, & lacerat, universamque Sanguinis massam glutinosa tenacitate sua ad coagulationes quam facile disponit. Quamobrem, vigente Autumno, morbi fiunt (19) *Multi ex aestivis* & *Febres Quartanae*, & *erroneae*, & *Lienes*, & *Hydropes*, *tabes*, *urinae stillicidia*, & *Lienteriae*, & *Dysenteriae*, & *Coxae dolores*, & *Anginae*, & *Asthmata*, & *Volvuli*, *Epilepsiae*, *Insaniae*, & *Melancholiae*. Eodem autem modo, quo, juxta varia Anni tempora, fluida nostra variis modis affici dicimus, idem pariter, & in solidis evenire concedendum est; propter quod utrinque dictorum supra morborum omnium veridicum habetur principium. Etenim sicuti non in fluidis tantum, sed magna ex parte in solidis sanitatis origo & conservatio habetur: morborum etiam origo utrinque est derivanda.

LXXXVII. Unde nam tamen fiat, quod, juxta varias Anni temporum vicissitudines, nunc Lymphae potius, quam Sanguinis; nunc potius Bilis tenuvioris volatiliſque, quam crassioris & tenacis major copia in Corporibus vigeat, pluriumque diversorum morborum immediatae inde causae emergant: facile quilibet percipere tuto poterit, si necessariae perspirationis negotium rite perpenderit. Etenim, ut de singulis hac occasione verba faciam, cum cordatioribus Medicinae Magistris tanquam indubitatum suppono, praecipuam perspirationis tum sensibilis, tum insensibilis materiem a Lympha praesertim derivari; unde ne-

(17) *Hippoc. Aphor.* 20. *Sec.* 3. (18) *Idem Aphor.* 21. *Sec.* 3.
(19) *Idem Aphor.* 22. *Sec.* 3.

neceſſario fit, quod, habita ratione copioſae magis minuſve perſpirationis, minor aut major, caeteris paribus, totius Lymphae moles in toto Corpore reperiatur. Scio tamen plerumque perſpirationis defectum ſenſibilibus aliis evacuationibus, ſalivae nempe, urinae &c. perſaepe compenſari. Verum ſi haec adamuſſim conferantur mutuo, atque cum doctiſſimo Sanctorio ſupponamus, ſolam inſenſibilem perſpirationem, ſenſibiles alias omnes excretiones ſimul ſumptas longe admodum ſuperare, verum ſemper erit, univerſam Lymphae molem in eadem prorſus ratione augeri, in qua decreſcit perſpirationis univerſale negotium.

LXXXVIII. Hinc aperte patet, quare nam Hyemis tempore, dum perſpiratio quammaxime praepeditur, tum ratione majoris aeris ponderis Corporum noſtrorum ſuperficies prementis, tum ratione ſecernentium porulorum conſtrictionis, ob fibrillarum univerſalem corrugationem pari ratione a rigido circumambiente aere factam, Lymphae materies undecunque augeatur; quae cum ideo majorem ſolito in extima Corporis ſuperficie obicem inveniat, per alia *emunctoria* utpote minus reſiſtentia, quia aeris validae actioni minus obnoxia, aditum ſibi ſucceſſive parat; ſive id per Renes, ſive per Nares, ſive per Os quomodocunque fiat &c. juxta varias Corporum diſpoſitiones. Inde fit, quod evacuationes hae aliae perquam proxime, caeteris paribus, in ea creſcant ratione pariter, in qua perſpirationis ſecretio tunc imminuitur: propter quod fit, quod Hyemis tempore copioſae magis reddantur urinae. Unde mirari etiam hinc quilibet deſinet, ſi occurrentes tunc maxime morbos è *Lymphaticorum* proſapia plerumque derivari variis modis attenderit: pro ut Lympha haec diverſis in locis ſiſtitur, & coagulatur, tumoreſque peculiares progignit; in iis maxime partibus quae aeris brumalis injuriis obnoxiae magis ſunt; propter quod facilius in iis, quam in aliis Lympha concreſcit. Quo uſque autem ob praepeditum, ex dictis cauſis, perſpirationis opus, exuberans totius Lymphae moles, per conſueta alia *emunctoria* diſſipari commode poteſt: nulli in internis partibus morbi ſuboriuntur. Verum dum neceſſaria haec imminutae perſpirationis compenſatio, aut modica, aut nulla penitus habetur: coagmentata plus aequo Lympha quaqua verſus per interna Corporis partes conſueta univerſali *circulationis* lege diſperditur, ibidemque majori in copia propagatur, ubi copioſiores ſunt *lymphatici* ductus: in Pectore nempe, in *Articulis*, atque in *tendineis muſculorum* fibrillis. Hinc reſidens in hiſce partibus Lympha tractu temporis, ſaeviente exterius frigore, coagulatur, atque in interſtitiis fibrarum ſiſtitur; unde *Rheumatichos* in *Articulis*, & *Muſculis* morbos varios ſuſcitat, diverſaſque in Pectore humorum concretiones hyemis tempore praecipue familiares: ut mox videbimus. Ideo autem ob eandem cauſam varios ſuboriri hinc Pectoris morbos facilius noſcimus, omneſque Thoracis partes contentas

tas nempe, & continentes saepius hyemis tyrannidem & gravius, quam alias subire; quia aer gelida vi sua non tantum Pectus exterius verberat, verum etiam interius in inspiratione intrusus, *bronchiorum* minimos ramulos subiens, fluentem ibidem Lympham immediate afficit, inspissat, congelatq; variaeque indolis *pleuritides* &c. progignit, quas praecipue post Austrũ, Borea crudelius saeviente, majore in copia suscitari videmus.

LXXXIX. Haec autem hic per transennam primo perpendenda erant, ut sumpto inde tutioris ratiocinationis recto tramite, ad investigandam successive *Vernalium* morborum genuinam causam, atque inde *AEstivorum*, de quibus supra egimus, nobis aditus concederetur.

XC. Hyeme jam prope senium citius tardiusve, pro occurrentibus temporum vicissitudinibus, confecto, dum paulatim universa aeris constitutio pervertitur, pari ratione etiam interna Corporis dispositio immutatur, quare novam morborum tragoediam adaperiri successive videmus. Quo enim magis externus aer Solis radiis calefit, atque rarescit, attenuantur etiam humores, Lympha subtilior redditur, indeque facilius per patentes magis poros cutis avolat, demptoque lymphae supra fibrosam sanguinis partem dominio, quod hyemis tempore prius aderat, laudabilior redditur totius sanguineae massae compages, quae subinde rarescens ob aeris teporem, modo in vehementes aestus cogitur, dum *acutas* producit febres; modo continentium vasorum membranas disrumpit, atque haemorrhagias omnis generis, cutisque varios morbos procreat, aliasque excitat AEgritudines *verno* tempore peculiariter dominantes ab hac unice causa omni jure derivandas. Ast cum *brumalis* aeris constitutio hyemis tempore vigens non subito in *vernalem* commutari queat: pariter non subito *hyemales* morbi in *vernales* transmutantur. Quamobrem tunc medio inter hyemem, & Ver tempore, nempe cum Coeli constitutio ab *hyemali* declinans ad *vernalem* gradatim ascendit, speciales videre morbos contigit, qui utriusque generalis causae naturam subolere manifeste videntur.

XCI. Id pari modo evenit, dum, declinante Vere, AEstas succrescit. Etenim *aestivi* veri morbi non statim in initio AEstatis suboriuntur (quod & hoc anno evenisse distincte novimus); sed tunc solum imperium suum firmant, cum matureſcente AEstate calor ad summum properat augmentum. Tunc namque, adaucto quotidie perspirationis tum sensibilis, tum insensibilis opere, attenuatus vi caloris pari ratione sanguis, & ipse quoque in auras avolat, atque quammaxime dissipatur: quod & de lympha verum est. Quare, congruo inde subtracto uberiore nutrimento, Corpora omnia eadem proportione gracilescunt, fibrae solidorum laxantur, atque proprio Corpus robore quammaxime fraudatur; unde Sanctorius merito dicit: (20) *AEstate lassitudo sentitur: non*

(20) *Sanctor. Stat. de Aere, & aq. Aphor.* 24.

*non quia corpus ſit majoris ponderis, ſed quia ſit minoris roboris*. De hoc autem rationem inde ſubdit. *In aere calido corpus eſt minoris roboris, tum quia cum perſpiratione exhalat aliquid bonorum ſpirituum, tum quia calor non eſt concentratus.* Hinc hoc tempore in eadem propemodum ratione, qua perſpiratio augetur, urinae ſecretio decreſcit, aliarumque excretionum quantitas imminuitur.

XCII. Deperditis ſic glutinoſis, *lymphaticiſque* Sanguinis magna ex parte moleculis, atque *oleoſis tantum ſulphureiſque*, ut ajunt, remanentibus particulis, iiſdemque magis magiſque, ex aliarum ſanguinis particularum diſſolutione in dies majore ſemper facta, pari ratione coagmentatis: Bilis inde dominium primario ſortitur. Hoc videre eſt ex bilioſis maxime dejectionibus, quae AEſtatis tempore in ſanis quoque Corporibus majore in copia fiunt. Hae autem dum moderate, atque juxta indigentiam eveniunt, moleſta varia *phaenomena* a pleriſque etiam bene valentibus Hominibus AEſtivo tempore familiaria arcent; Nauſeas nempe, Stomachi paſſiones, nocturnas agitationes, Capitis gravamina, laſſitudines, cibi faſtidium &c.

XCIII. Verum dum bilis inde Primatum ſortitur, ſtatim ac a compedibus totius ſanguineae maſſae liberata eſt, vim ſuam quaqua verſus exerit, iiſque in partibus tyrannidem ſuam ſpecialiter exercet, ubi majore in copia coacervatur, ſuique juris omnimode fit; videlicet prope *biliarios* ductus, circa Ventriculum, atque Inteſtina. Hinc per conſenſum contiguae etiam patiuntur partes, quae cum illis quamcunque habent communicationem: ut Meſenterium, Lien, univerſaque tum nervorum, tum ſanguineorum omnium canalium propago: quae omnia tertianae febris motus, adnexaque ipſis graviora *ſymptomata* ſingula aperte demonſtrant. Quamvis autem, pro naturae provido inſtituto, Bilis ſemper in propriis *emunctoriis* ſecernatur, non ſemper tam pravam induit conditionem, neque ſemper tam copioſe accumulatur, ut *morboſis* ſuſcitandis *phaenomenis* idonea ſit. Et licet AEſtivo tempore, ob allatas ſupra rationes, in quibuſcunque Corporibus majore in copia inveniatur, magiſque activa fit: non in omnibus, neque ſemper aeque pravam obtinet indolem ſatis valentem ad *AEſtivas* procreandas facilius AEgritudines juxta peculiares Corporum temperies varias, occurrentiſque caloris aeſtivi ſpecialem vim, nec non alias quaslibet extrinſecus advenientes cauſas, propter quas unice fit, ut in hiſce potius quam in aliis corporibus, atque in hac facilius, quam in alia aeſtivi temporis conſtitutione, Bilis tum qualitate, tum copia magis peccans excernatur.

XCIV. Hinc ſi praegreſſum hac AEſtate majorem calorem, ſolitoque diutius protractam ſiccitatem attendimus; facile hinc eſt deducere, cur tunc, attenuatis inde magis humoribus, avolatiſque ob magis copioſam perſpirationem *lymphaticis* ſuccis, & copioſa, & volatilior, & magis activa bilis ſecreta fuerit, enarratis ſupra morbis omnibus ſuſcitandis

scitandis ansam praebens, in illis praecipue Corporibus, in quibus aliunde magis aestuantis ejusdem bilis copia praeesset. Praeter aestivos vehementiores fervores, tum immoderatum fructuum usum, tum violentas magis Corporis exercitationes, atque animi quaelibet furibunda *pathemata* ad id specialiter contulisse, censendum est, aliasque innumeras causas ab extrinseco venientes, propter quas major ad *aestivos* hosce morbos proclivitas fit. Ideo autem bilis haec, etsi in Corpore delitescens, datis tantummodo temporibus morbosos suscitare aestus valet; quia congruo tantum temporis intervallo a sanguine separatur, atque satis in *biliariis cellulis* congeritur, ut inde febrilem suscitet pugnam. Quo usque enim cum toto sanguine immixta est, congruaque Lymphae mixtione attemperatur, nunquam aestuare valet, nullaque gravia producit morbosa *phaenomena*. Id satis testantur gravia quaeque, atque molestissima *symptomata Ictericiam* passim praecedentia. Etenim postea quam Bilis in consuetis *receptaculis* paulatim secreta fuit, neque per *Cholidocon* ductum ulterius progredi libere potest, continentium *capsularum* tunicas distendit valide, atque mordaci vi, qua pollet, maxima acriter vellicat, & pungit: unde & vomitus, & nauseas, & dolores, aliaque hujuscemodi *symptomata* in Ictericis suscitari videmus, parum absimilia ab iis, quae in accessionum plerumque principio tertianas comitari febres utplurimum videntur. Ast, cum tunc bilis in consuetis *capsulis* jam congesta, interpositum obicem superare neutiquam possit, neque ad Intestina sese insinuare; undecunque in continentium *cellularum tunicas*, fortiter aestuando, impetum facit: donec praepedito omnimode per *secretorios*, a quibus paulo antea fluxerat, canaliculos regressu, hinc inde hiantes subeat *lymphaticos* tubulos; propter quod una cum Lympha commixta iterum in aream *circulationis* reducatur, totumque permeet Corpus, croceum universae Lymphae colorem largiendo, unde *Ictheritia* emergit. Quamobrem, vigente hoc morbo, molesta omnia, quae ipsum praecesserant, *symptomata* omnimode evanescunt: cum a molesto, quo antea vexabantur pondere, bilis *receptacula* exonerata satis remaneant. Praeterquamquod bilis cum universa Lympha sic provide commixta, pristinam deperdit pariter irritantem, atque mordacem vim, quae saltem inde magis reprimitur; unde etsi in Ictericis totum Corpus quaqua versus pervadat Bilis, vix levem exsuscitat febrilem aestuationem, molestum pruritum, nauseam, atque alia hujuscemodi morbosa *phaenomena* confirmatam jam Ictheritiam fere semper comitantia.

XCV. Quo usque noxia bilis congruam fluiditatis conditionem servare poterat; ad motum magis expedita inde reddita citius a *biliariis receptaculis*, occasione tertianarum febrium ad Intestina fluebat, citiusque excernebatur: unde & breviores fiebant febres, quae quidem magis violentae reddebantur a vehementioribus

tioribus bilis aeſtibus, ob ejuſdem tenuitatem maximam facilius excitatis. Aſt cum ex protractis ultro AEſtivis fervoribus, vigente Cane, tenuiores etiam bilis moleculae una cum aliis humoribus, ob adauctam magis magiſque perſpirationem, avolarent, Bilis quoque craſſior, atque ad motum ineptior fiebat. Quare mirari quilibet deſinet, ſi properante Autumno, & diuturniores tertianas febres, atque contumaciſſimis *ſymptomatibus* ſtipatas, nec non abſque ordine progredientes attenderit. Bilis enim ſic tenax magis redita longiori temporis intervallo ſecernitur, partibus adhaeret maxime, atque ab ipſis perquam difficile ſeparatur: quod unice contumaciorum Morborum ab AEſtate ad Autumnum properantium, atque utplurimum lethalium, ſaniorem indicare cauſam valet. Nec aliunde, meo judicio, deducenda melius eſt origo Quartanarum febrium Autumni tempore ſpecialiter ſaevientium. Bilis enim tenuvior, utpote magis mobilis alternis diebus febriles aeſtuationes ſuſcitare poteſt: quia breviori temporis intervallo in ſufficiente quantitate accumulatur: ſecus ac bilis magis tenax, minuſque ad motum idonea, quae ideo de quarto in quartum febrilem tantummodo promovet luctam, pro ut ſupra oſtendimus. Omni ideo jure cum Celſo adnotare hic poſſumus, quod ex aeſtivis morbis (21) *Vix quicquam in Autumnum non incidit: ſed oriuntur eo quoque tempore febres incertae; Lienis dolor, Aqua inter cutem &c. Idemque tempus & diutinis malis fatigatos, & ab AEſtate tantum proxima preſſos interimit: & aliis novis morbis conficit, & quoſdam longiſſimis implicat, maximeque Quartanis, quae per Hyemem quoque exerceant.* Quae omnia cum ſupra expoſitis obſervationibus adamuſſim coincidunt.

SECTIO

(21) *Celſus lib.* 2. *Cap.* 1.

# SECTIO PRIMA

## CAPUT QUINTUM

### *Lymphatici varii morbi.*

XCVI. Eſſantibus inopinato aeſtivis fervoribus non procul ab Autumnali AEquinoctio ope copioſiſſimae irruentis pluviae cum grandine etiam & fulminibus, frigus non mediocre una cum aquilonaribus ventis ſero praeſertim & mane invaluit. Tunc idcirco immutata quammaxime aeris conſtitutione, novi inſurgere derepente morbi viſi ſunt: Ob praepeditam enim inde ſubito perſpirationem, aequa ratione praevaluit lymphae copia, quae in internis partibus hinc inde juxta peculiares earundem diſpoſitiones reſidens atque ſtagnans, *Lymphaticos* varios progenuit morbos, ſimulque cutis *puſtuloſas*, atque *eryſipelatoſas efflorescentias*. Attamen cum adhuc vigeret bilioſus fomes in illis praeſertim corporibus, quae aeſtivis tranſactis menſibus ſuperenarratos toleraverant morbos: non deerant tunc etiam tertianae febres, quae magis, quam antea contumaces evadebant, ob ſupra allatas rationes. Quare irrita ut plurimum erant remedia quaeque, ipſeque *Peruvianus* cortex, qui vix febri inducias paululum ponere videbatur. Ob eandem cauſam craſſeſcentibus humoribus, atque ad motum inertibus maxime redditis, deperditoque ultro congruo ſolidarum partium tono, atque adaucta lymphae copia, bilioſam ſimul, atque *lymphaticam* indolem tertianae hae febres referebant: cum diverſo admodum, ac antea, modo invaderent, diverſo modo progrederentur, atque tandem diverſa ex toto ratione ad remiſſionem tenderent. Pauci enim hiſce febribus tunc laborabant, quibus aut Lienis, aut Hepatis, aut utriuſque Viſceris tumor non adeſſet. Cum modico, atque magis diuturno rigore invadebant, acceſſiones ut plurimum extra tertianarum limites plus aequo protrahendo: ita ut plerumque continuae fierent, aut parum admodum intermittere viderentur. Febres haſce nunquam, aut ſaltem perquam raro comitabantur *cardialgicae* paſſiones. Diverſum hunc progrediendi modum in hiſce febribus, non aliunde tunc derivandum eſſe putabam, quam a coacervata interius majori in copia craſſiore lympha, quae cum bile commixta, ipſam & magis tenacem reddiderat, ſimulque ejuſdem acrimoniam quammaxime cohibendo, ipſam minus activam, minuſque pungentem effecerat. Id aperte ſatis teſtabantur

ſtabantur ultro *glandulares* tumores iiſdem ſuccedentes in *Parotidibus* praeſertim, aut *Tonſillis*, cum dolore faucium moleſto. Hoc eodem tempore quamplures ex illis febribus, quae AEſtivis menſibus, aut *Chinae Chinae*, aut aliorum remediorum uſu ceſſerant, ſecunda iterum, & tertia vice exſurgere viſae ſunt; illae praeſertim, quae primo cum modico diuturno rigore invaſerant, maximo poſtea ſuccedente moleſto calore, cum vomitu virentium materierum admodum copioſo, aliis nil penitus, aut leviſſimis ſaltem accedentibus *cardialgicis* paſſionibus: atque diutius acceſſiones protraxerant.

XCVII. Reliquis omnibus Septembris diebus ejuſdem anni 1733. plus aequo rigidus aer fuit, Aquilonaribus pluſquam antea dominantibus plerumque ventis. Quamobrem, craſſeſcente magis ultro Lympha, circa finem ejuſdem menſis nonnullas exſurgere *lymphaticas pleuritides* vidimus, in illis praecipue Corporibus, quae alias eodem morbo detenta fuerant. Sanguis ab hiſce eductus conſuetum *Pleuriticorum* corticem referebat, quem nunquam antea aeſtivo tempore in AEgrotantibus mihi commiſſis attenderam.

XCVIII. Toto Octobri menſe optima aeris conſtitutione frui potuimus: etſi flantibus non raro Aquilonaribus ventis rigidus non parum Aer redderetur. Fere nunquam pluviis tellus madefacta fuit; Denſa tamen quotidie, fere dixerim, circa veſperas, ſummoque mane, nebula prope terram gravitans aerem obtenebrabat, quae utplurimum accedente Sole rarefacta, leviorque reddita ſublimius petens, denſiores efficiebat nubes, quae, accedente magis ad meridiem Sole, ut plurimum evaneſcebant. Hujuſcemodi dominante aeris conſtitutione initio hujuſce menſis Octobris, eaedem fere, ac alio praecipue elapſo, tertianae febres iterum iterumque ſaevierunt, eodem fere rhythmo procedentes. Iſtae, cum contumaces magis eſſent, plerumque *Chinae Chinae* uſum, aliaque idonea *incidentia*, *amaricantia*, atque etiam *Rhabarbarata* remedia penitus vana reddebant: quamvis hiſce iiſdem praeſidiis prima, ſecunda, atque etiam tertia vice cohibitae fuiſſent. Attamen contumaciſſimas haſce febres utplurimum ſupraenarrati Lienis, aut Hepatis tumores comitabantur, & fortaſſe plerumque earundem potiſſimae cauſae erant. Unde pallidus, atque ſubflaveſcens etiam pleriſque aderat faciei color: atque hinc in *cachecticos* univerſales *habitus*, in *Hydropes* etiam, nec raro in *inflammatorios Praecordiorum* affectus migrabant.

XCIX. Pertinaciſſimam hanc tertianarum febrium variae indolis conſtitutionem fortes Aquilonarium ventorum flatus prope medietatem hujuſce menſis ſaevius inſurgentes, ex toto ſolverunt, novumque magis amplum *Rheumaticorum* omnis generis morborum aperiri theatrum viſum eſt, tertianis febribus ſic ex toto profligatis; non ſecus ac ab ejuſdem Boreae impetu nubes evaneſcunt, unde cum elegantiſſimo Poeta noſtro canere ſic licebat.

*Qualis*

(22) *Qualis ubi Arctois Boreas erupit ab antris*
*Aereos rapido percurrens turbine campos,*
*It Coelo ferus, & piceas toto aethere nubes*
*Inſequitur: dant victa locum, & cava nubila cedunt.*

Tunc ideo & *Pleuritides*, quas *Spurias* dicunt, ſeu melius *intercoſtales*, *Rheumaticos* diverſarum partium morbos, atque maxime *Anginas* mitiores, *Rheumatiſmos* tum univerſales, tum particulares, *Iſchiadicos* dolores, atque *Articulorum*, quandoque una cum partium *contractionibus*, atque omnimoda ad motum impotentia, aliaſque hujuſce indolis morboſas affectiones habuimus, quas utplurimum copioſus accedens ſudor omnino diſſolvebat.

C. Nec quidpiam mihi mirum erat attendere, morbos hoſce citius, tardiuſve affluente ſudore ſolvi. Notum quippe mihi ſatis erat, ipſos, etſi variae indolis, atque variis modis ſaevientes, ab eadem craſſeſcente Lympha unice pendere, quae hinc inde concreſcens, atque affluenter accumulata, habita proportione affectae partis, ſub diverſorum *accidentium* forma Tyrannidem ſuam aperte oſtentabat. Praeter haec lympha non raro ob tenacitatem ſuam tarde progrediens, atque ſtagnans, tanta in copia in interſtitiis partium congeritur, ut ex congelatione poſtmodum magis amplum exigens ſpatium contimentium vaſculorum *tunicas* diſrumpat, indeque transfuſa tumores majores, minoreſve progignat, juxta affectae partis conditionem, atque praecipue copiam ejuſdem lymphae extra *circulationis* aream deviantis. Hinc cum hoc inter *tendinea muſculorum* ſpatia, aut ſub *membranis*, aut *cartilaginibus* oſſium *articulationes* inveſtientibus eveniebat; affectae inde partis motus eadem ratione laedebatur, contractiſque *muſculorum tendineis* fibrillis, partium *diſtenſiones* jam dictae fiebant. Quare, dum aut uſu calidarum diſſolventium potionum, aut detracto juxta indigentiam ſanguine, aut quocunque alio modo pro morbi indole, lympha haec attenuata erat & diſſoluta; quae extra *circulationis* aream conſtiterat, proxima ſubibat contiguorum canalium oſtiola, iterumque ad *circulatorium* cogebatur motum: atque eadem ſimul, quae craſſior antea reddita in *lymphaticorum* canalium cavitatibus adhuc degebat, ad motum magis expedita fiebat; unde reſtituta ſic animalis iterum *oeconomiae* meliore *ſymmetria*, pleno gurgite *ſecretorios* cutis ductus ſubibat, ad copioſos inde ſuſcitandos ſudores, priorem ideo omni jure ſolventes morbum.

CI. Quandoque tamen, diſruptis, ob dictam ſupra cauſam, *Lymphaticis* tubulis, eorundemque *ſecretoriis* porulis plus aequo ampliatis, liber fiebat hinc aditus fibroſae quoque ſanguinis portioni. Etenim, cum verum ſit, quod *lymphatici* ductus ex *lateralibus* arteriarum exiliſſimis canaliculis conflentur, qui minima habent oſtiola trajiciendae tantummodo lymphae, non vero *fibroſae*



(22) *Hier. Vid. lib.* 1. *Chriſt.*

ſanguinis portioni, proportionata; ſi aut ob excedens ſanguinis, aut Lymphae irruentis momentum ex adaucta velocitate natum: aut ob majorem lymphae copiam, ipſiuſque concretionem, ductus iſti minimi diſrumpantur, *ſecretoriaque* oſtiola majorem admodum diametrum acquirant: tunc & Lympha, & rubra pariter ſanguinis pars per hoſce eoſdem tubulos excurrit, ab iiſdem erumpit, indeque reſidet. Haec, meo judicio, unica & potior cauſa eſt morborum cutis fere omnium, *Eryſipelarum*, tum & macularum in *malignantibus* febribus, de quibus ſuo loco fuſius agemus.

CII. Fiunt vero hujuſcemodi morboſa cutis *phaenomena*, cum portio ſanguinis rubra, aut modica in copia hinc inde modo ſupradicto transfunditur, aut ſub minimis tantum cutis interſtitiis huc illuc diſperditur. Verum cum in eodem loco copioſe magis congeritur, majores, minoreſve, ſervata ratione copiae, tumores efficit, ſeu *apoſtemata* per *ſuppurationem* tantum devincenda, ſive id in internis, ſive in externis Corporis partibus fiat. Id accidiſſe obſervavi eruditiſſimo Medico Sonſis mihi amiciſſimo, qui die vigeſima prima hujuſce Menſis pure magna in copia è ſiniſtra aure effluente, a moleſtiſſimo Capitis dolore *pulſativo* & *lancinante* liberatus eſt, quo, una cum acuta forti febri *catarrhalis* indolem ex toto ſubolente, praegreſſa antea tota hebdomada detentus graviter fuerat, nil prorſus proficientibus ſudoribus identidem recurrentibus, atque ſanguinis emiſſione copioſe celebrata: cum jam *apoſtema* in aure deliteſceret, cui ſola *ſuppuratio*, atque puris opportuna eductio ſuccurrere ſatis potuit.

CIII. Nec tantum Octobri, ſed & Novembri ſubſequente toto menſe parem malorum ſeriem habuimus, cum eadem adhuc vigeret aeris conſtitutio, etſi paulo rigidior, ob nebulas fere quotidie inſurgentes ut plurimum vi Solis ſolutas, perquam raro accedentibus pluviis. *Rheumaticae* hae *affectiones* omnes plerumque ſanguine bis, terque educto, vincebantur copioſis ſubſequentibus ſudoribus, ſicuti praecedente evenerat menſe. Sudores hoſce *diluentibus pectoralibus* potionibus largo hauſtu calide aſſumptis promovere ultro non omittebam. Sanguis eductus conſuetam in hiſce ſemper glutinoſam *cruſtam* proferebat, craſſam plus, minus, pro majore, minoreve *peccantis* Lymphae copia, & tenacitate.

CIV. Ab eadem praeſertim *Rheumatica* cauſa non incongruum tunc arbitrabar deducere *Apoplecticum* inſultum, quo correpta hoc eodem menſe fuit Perilluſtris Dña Eliſabeth Boccola in Vicinia S. Vincentii, quae fere *ſyderata* liberum linguae motum omnino deperdidit, indeque balbutiens tota ſubſequente Hyeme lecto miſere devincta fuit uſque ad Ver; quando, praevia gingivarum *ulceratione*, febricula quadam indeſinenter detenta, tandem occubuit. In hac enim Domina, quae obeſum quammaxime totius Corporis habitum, ſumma vigente Lymphae copia, obtinebat, facile erat aſſerere, quod ob occurrentem aeris conſtitutionem craſ-

craſſior facta undecunque lympha in interſtitiis partium firmata fuiſſet, & maxime circa nervorum principia, in quibus dempta ideo congrua elaſticitatis potentia, Apoplexia poſtmodum ſucceſſit, quae inde paulatim evanuit ob ſubſequentem ejuſdem lymphae diſſolutionem, ab urinarum maxima accedente copia ſatis indicatam.

CV. Quod ſi hic ultro addamus peculiarem aliam *Apoplexiae*, quam *ſyncopalem* appellant, cauſam a recentioribus Medicis detectam: *polypoſas* nempe concretiones in Ventriculis Cordis progenitas, atque in grandiorem molem adauctas; tutius inde genuina innoteſcet origo fortis lethalis *Apoplexiae*, quae Seni cuidam in Vicin. S. Appolinaris eodem menſe evenit, neque ſanguinis iteratis emiſſionibus, aliiſve conſuetis remediis ſolvi potuit. Attamen ideo *Apoplexiam* hanc ab hac praecipue *polypoſa* cauſa derivandam eſſe exiſtimabam, quia certiorem de hoc ex praegreſſis conjecturam habebam. Ille namque per plures annos Aſthmate ſicco laboraverat, a quo Hyemis maxime tempore torquebatur, craſſam quandoque per excreatum lympham, modica tamen in copia, educens. Ipſi tamen ſemper rubeſcebant admodum oculi, atque inaequalis ſemper erat pulſus, non raro etiam intermittens. Huic, ſtatim ac Apoplexia correptus inopinato fuit, tumebat maxime univerſa facies, immo cum livore, tumebant oculi exterius prominentes, ſanguine non parum perfuſi, ſimulque pulſus pejorem, quam antea, inaequalitatem, atque *intermittentiam* oſtendebat, addito capitis maximo gravamine, atque reſpirationis *laborioſa* anxietate: Quibus addita ſimul Oris tortura, balbutiens factus, octo vix tranſactis diebus, e vivis miſere diſceſſit. Si itaque ex praegreſſis in hoc caſu facile erat deducere *Polypoſam* concretionem jam antea prope Cordis confinia habitam; quis non videt, quam facile in peculiari hac conſtitutione augeri haec ſucceſſive taliter potuerit, ut inopinatum hunc graviſſimum produxerit morbum? Lympha enim, quae circa Articulos, Glandulas, fauces, atque *intercoſtales* Muſculos, nec non intra Pectoris cavitatem, & in ipſa detracti Sanguinis ſuperficie congelari tunc viſa fuerat, atque variis in locis ſtagnando, varios pro diverſa affectae partis ratione morbos produxerat; Illa, inquam, lympha extimae hujuſce *Polypi* ſuperficiei adhaerens, ibidemque concreſcens, ipſum augere paulatim ita potuit, ut, praepedito repente libero ſanguinis circuitu, atque ad ſiniſtrum maxime Cordis Ventriculum congruo tranſitu, ipſe in ſuperioribus partibus, atque praeſertim in Pectore plus aequo reſideret, majoreque in copia accumularetur, eaſdem partes inſolito ſic opprimens pondere. Ex hiſce & Reſpirandi *anxietatem*, & *Apoplexiam* ipſam, aliaque *ſymptomata* omnia, & tandem mortem tuto derivari debere, nemo inficiabitur. Quod autem in hujuſcemodi conſtitutione non tantum habiti jam antea *Polypi*, ſuccreſcente mucoſa lympha, augeri facile poſſint, verum etiam de novo

novo produci; ſatis ſuperque indicant *Pſeudo-polypi* in Cadaveribus mortuorum ex *Pleuritide* hac eadem occaſione obſervati, in ventriculis nempe Cordis, & auriculis, atque in majoribus etiam adnexis canalibus: quod ultro magis denotat *cruſta* illa fere *coriacea*, quae in *Pleuriticis* externam undecunque affectorum *Pulmonum* ſuperficiem fortiter cingere multoties viſa eſt, & *pleuram* ipſam: de quibus ſingillatim agemus poſtea.

CVI. Subſequens Decembris menſis pluvioſus nunquam fuit: quamvis quotidie ut plurimum denſa caligine mane, & veſpere obtenebratus aer eſſet, totaque plerumque die obductae Coelo nubes Solis lucem magna ex parte nobis ſurriperent. Uſque ad medietatem hujuſce menſis, moderato admodum ingruente frigore, ſatis placide dies tranſegimus: non item circa finem, quando gelida perſaepe bruma ſolum coopertum fuit. Satis proſpera frui tamen valetudine potuimus: conſuetis exceptis *catarrhalibus* mitioribus morbis, & Gutturis maxime, nec non cutis *eryſipelatoſis*, & aliis etiam *efflorescentiis* variae indolis, juxta varias diſpoſitiones Corporum, in quibus apparebant.

CVII. Non defuerunt tunc etiam *Pleuritides* in Urbe, benignae tamen indolis, quae raro inſurgentes *Epidemicam* vere ſapere conſtitutionem neutiquam poterant. Plebejos ſaepius, graviuſque, atque Ruſticanos maxime corripiebant. Morbos hoſce iis facilius evenire putabam, quia ob graves indeſinentes labores, ipſi maxime caleſcebant, ſubitoque ob brumalem circum ambientem aerem frigeſcere coacti erant. Neque alia de cauſa & facilius, & frequentius, & gravius Pectoris omnis generis morbis, atque *Pleuritide* exquiſita magis laborare arbitrabar Gallos, & Pedemontanos Milites, qui in generoſa tunc obſidione inexpugnabilis Caſtri Piceleonis contra Imperiales milites diu noctuque inſudabant, ibidemque brumalis rigidioris aeris noxas, viciſſitudineſque omnes ferebant. Quamplures ex hiſce militibus in Noſocomio majore hujuſce Urbis (cum nondum militaria AEgrotantium Hoſpitia parata eſſent) curandos habui, eoſque magna ex parte priſtinae reſtitutos valetudini cito vidi; ita ut ex ducentis, qui graviſſimis hiſce Pectoris variis morbis detenti tunc ibidem fuerunt, vix decem circiter tantum Mortis victimae remanſerint.

CVIII. Hinc nil penitus mirum mihi tunc erat attendere, quod, dum pauci admodum ex Civibus gravioribus hiſce Pectoris morbis detinebantur, Urbana magis, atque maxime Ruſticana plebs laboribus indeſinenter vexata, hujuſce conſtitutionis inclementiam, & noxam tam graviter ferret. Etenim Bernardinus Ramazzinus in obſervationibus Medicis, ſicuti in omnibus praeclariſſimus, docet, anno 1691. poſt temperatum aerem, praegreſſa ante pluvioſa conſtitutione, ac poſtmodum rigidiore frigida ſubſecuta, ſanguinis coagulationes ſubortas eſſe, indeque *Pleuritides*, *Peripneumonias*

*nias* &c., quod pariter & Thomas Sydenham ſe obſervaſſe aſſerit in conſtitutione *epidemica* anni 1675., quae quidem ex toto ſimilis fuit alteri, quae anno 1730. quaqua verſus crudeliter dominata fuit, dum per totam Italiam, & ultra *Rheumatici* omnis generis morbi, & lethales praeſertim Pectoris AEgritudines graſſari viſae ſunt. Id ultro magis quiſque paſſim experitur, dum aut immoderato motu, aut igne, aut interna qualibet, externave cauſa ſummopere excalefactus, frigidiori illico aeri expoſitus, *Rheumate* ſtatim detinetur, aut ſaltem *Coryza*, aut *Branchos*, nec raro etiam gravibus aliis *Rheumaticis* morbis, & *catarrhalibus* febribus, a quibus non niſi accedente copioſo ſudore univerſali, aut affluente urinae copia, liberatur. Quod ultro magis confirmat Deſiderius Jacotius, dum morborum Thoracis cauſam a *deſtillatione* a Capite frequenter derivari ſentiens, ſic diſtincte ait (23) *Cauſa eſt deſtillatio a Capite frequens, ut auſtrina conſtitutione repleto humoribus capite, quos aquilonia ſuccedens conſtringendo exprimit, & frigore Thoraci nocens ipſum ad excipiendum praeparat.*

CIX. Si haec vera ſint (quae quidem in dubium revocari haudquaquam poſſunt) quis non videt, cur tam facile & Ruſtici, & Plebeji, & pugnantes tunc Milites hujuſce frigidioris aeris conſtitutionis Tyrannidem paſſi diſtincte fuerint? dum caeteroquin perfecta plerumque valetudine fruebantur alii quamvis ſub eodem prorſus degentes Coelo. Etenim id quod ſubita aeris mutatio ab Auſtrali in Borealem praeſtat, id adamuſſim efficere tunc poterat rigidus aer, excalefacta jam a laboribus Corpora, immediate aſficiens. Namque eatenus Corpora noſtra, Aquilonaribus dominantibus ventis poſt Auſtralem conſtitutionem paulo antea habitam, *Rheumaticis* omnis generis affectionibus, atque Thoracis praecipue gravioribus morbis divexantur: quatenus copioſa antea ſuſcitata, habitaque ob laxiorem, magiſque amplam meatuum cutis diſpoſitionem perſpiratio repente poſtea praepeditur, atque ex toto, fere dixerim, tollitur, corrugatis nempe maxime cutis fibris, ejuſdemque *ſecretoriis* porulis magna ex parte occluſis. Eadem autem in caſu noſtro militare poſſe ratio videtur. Siquidem, dum Ruſtici illi, & Plebeji, & praeſertim Milites viriliter propriis muneribus inſudabant, nullis prorſus laboribus parcentes: aucta inde in ipſis pari ratione Sanguinis velocitate, pariterque humorum univerſa maſſa ſubdiviſa, attenuataque, atque ad *Lymphaticam* indolem plus aequo redacta, augebatur eodem modo inſenſibilis, atque ſenſibilis perſpirationis menſura. Hinc frigidioris aeris vis eodem tempore adjuncta Cutis fibrillas corrugans, *ſecretorios* illico porulos adſtringendo, minorem paulatim perſpirationi ſemitam reddebat: quae ideo ipſi minus proportionata erat; quia, ob antehabitam Sanguinis jam indicatam diſſolutionem, ſecernendae lymphae copia ita adau-



(23) *Deſid. Jacot. Com. in Coac. Hippoc. lib. 5. Sec. 2. n. 18.*

cta erat, ut praepeditam ſubito per ambitum Corporis ipſius excretionem aliarum partium, & Renum maxime ſecretiones ſupplere ſatis haudquaquam poſſent. *Reconcentrata* ideo, ut ajunt, & copioſa magis Lympha reddita in internis reſidens partibus, coagulataque, *Rheumaticis* hiſce progignendis morbis anſam praebuit, qui in illis facilius partibus (habita tamen ſemper ratione variae defatigatorum Corporum temperiei) ſiſtebantur, quae aut ob majorem *lymphaticorum* ductuum numerum, affluente magis Lymphae copia gaudebant, aut immediate occurrentis rigidioris aeris injuriis magis expoſitae erant: ut ex dictis ſupra ſatis conſtat. Praeter quam quod aliunde etiam explicari commode poteſt, cur tum Milites, tum Ruſtici dicti gravibus continuo laboribus tunc vexati, indeque maxime excalefacti, rigidioris aeris injurias extrinſecus ſimul ferendo, Pectoris hoſce morbos, & gravius, & facilius ſubiverint: ſi animadvertamus, quod liquida quaeque, quo magis antea caluerint, eo firmius concreſcunt, ſi glaciari poſtea quomodocunque cogantur; quod & Clariſſimus Deſault in diſſertatione de Phthyſi cum Galeno optime ſic aſſerit. *L'experience confirme ce ſentiment de Gallien, qu'un poulmon échauffé vienne à reſpirer un air froid, les humeurs ſe condenſent, par la même raiſon que nous voyons glacer en plein été les liqueurs quand on les répand chaudes dans des vaſes glacez.*

CX. Nec tantum Ruſtici iſti Homines, & Plebeji facilius, quam alii, hiſce morbis Pectoris detinebantur: verum etiam inde gravius aegrotabant, atque magis in ancipiti verſabantur: quod & alias etiam obſervare mihi contigit. Verum hoc divini Senis oraculo optime confirmatur. (24) *Exercitata, ac denſa Corpora* (ait ipſe) *citius a Pleuriticis morbis, & pulmonariis intereunt, quam otioſa:* cujus rationem optime ſubdit Hollerius, quia (25) *quo minus per adſtrictionem cutis exhalat, ita plus materiae relinquitur putredini, & incendio. Contra in aliis multa exhalant, quia fere mollia ſunt.* Unde & Deſiderius Jacotius ibidem merito deducit, quod (26) *qui bene perſpirant, debiliores, & ſaniores, & a morbo facile convaleſcunt. Qui male perſpirant, priuſquam aegrotant, fortiores ſunt: ubi vero aegrotaverint, difficile a morbo convaleſcunt.* Quamobrem ſi de robuſtioribus Hominibus Thoracis morbis detentis timendum magis eſt, quia ob nativam cutis denſitatem minus perſpirant; omni jure ex eodem Hippocratis effato pariter conſtat, quod & facilius iiſdem AEgritudinibus tentari poſſint, quae non aliunde melius, quam a cohibita perſpiratione derivantur: quod ſaniores Medici omnes fatentur.

SECTIO

(24) *Hippot. in Coac. lib. 5. Sec. 2. n. 45.* (25) *Holler. in Com. Hipp. ibid.*
(26) *Deſid. Jacot. Com. in Coac. Hipp. ibidem.*

# SECTIO SECUNDA

## Conſtitutio Hyemalis Anni 1734.

## CAPUT PRIMUM

### *Lymphaticorum morborum, & Pectoris maxime cauſa perpenditur, ſimulque Pleuritidum generales differentiae proponuntur.*

CXI. Raegreſſam jam hujuſce Menſis conſtitutionem non abſimilis, & forte pejor aeris conditio novo initiante anno 1734. excepit, praeſertim uſque ad medietatem menſis Januarii. Etenim tunc quotidie ſub nubilo degebamus Coelo, nunquam tamen pluvioſo, flantibus ſaepiſſime Auſtralibus ventis. Tunc autem *Rheumaticas* affectiones pluſquam antea graſſantes vidimus: atque ego ipſe catarrhali correptus inopinato febri cum rigore, *Tonſillarum* tumore, difficili deglutitione, Capitis *gravativo*, & quandoque *lancinante* dolore, Aurium ſonitu, aliiſque hujuſcemodi *ſymptomatibus* octo circiter diebus commune, fere dixerim, vectigal ſolvere coactus fui. Ab hiſce omnibus ex toto liber evaſi ſudoris copioſi provido beneficio: quod ultro magis oſtendebat praegreſſam Lymphae craſſiorem indolem, ejuſdemque ſubſecutam concretionem in extimis Capitis partibus, atque glandulis, a quo unice genuinam hujuſce morbi cauſam petendam eſſe putabam.

CXII. Haec eadem Lymphae craſſa conſtitutio, atque ad ſtagnandum proclivitas eo magis invaluit, accedentibus ſaepius Auſtralibus ventis, atque identidem Borealibus promiſcue ſimul dominantibus. Quare aer eo magis nebuloſus, humidus maxime, ſimulque frigidus plus, quam antea, fiebat. Tunc ideo, laxatis quammaxime in extima Corporis ſuperficie fibris, minorem ibidem, aliiſque ſimul in partibus immediate magis Aeri expoſitis obicem inveniens Sanguis, *laterales ſecretorios* Lymphae tubulos facilius ſubibat, indeque extra aream *circulationis*, fere dixerim, aberrans & ſtagnans, varios ſuſcitabat morbos plus minuſve graves, habita ratione affectae partis, ſimulque copiae ſanguinis reſidentis, atque praeſertim pro diverſa Corporum affectorum diſpoſitione. Hinc & *Anginas*, &

*Pleuritides* varias, & *Eryſipelas*, nec non *peticulares lymphaticas* aliquas febres ſaevire pluſquam antea obſervavimus. Attamen morbi iſti mitem ſortiebantur indolem, atque perquam facile ſolvebantur, aut ſola Sanguinis ſufficienti emiſſione, aut copioſis aquae potionibus calidae ſumptis ad ſudorem promovendum. Sic omnibus tenax admodum, atque pluſquam antea craſſus in educti ſanguinis ſuperficie *pleuriticus* apparens cortex, exuberantis craſſioris lymphae dominium indicabat.

CXIII. Prope medietatem hujuſce menſis, feriantibus magis Auſtralibus ventis Aquilonarium ſucceſſive vires fere quotidie experti fuimus. Unde perquam raro Coelum nubibus obtenebratum fuit, rigidumque frigus inopinato ſe protulit, plus, minuſve identidem ſaeviens, pro ut occurrentium quandoque Auſtralium ventorum vis Borealium ſaevitiem compeſceret. Non abſimiles ideo prioribus Morbi tunc erant, graviores tamen, & praecipue *Pleuritides*, juxta Aquilonarium ventorum dominium; dum è contra de glandularum quibuslibet *Rheumaticis* affectionibus in Auſtrina potius conſtitutione plus ſolito dominantibus, obſervatu dignum fuit.

CXIV. Cum inter occurrentes tunc morbos omnes, *Pleuritides* praecipue, aliaeque Pectoris variae AEgritudines, utpote majoris momenti, magiſque infenſae, primariam Medici expeterent attentionem; ad eas ſingillatim perſcrutandas, earundemque cauſas intime magis dignoſcendas, omnem operam diligentius contuli. Quare cum in Urbe tunc pauci admodum gravioribus hiſce morbis detinerentur, totus eram, ut in Noſocomiis maxime Plebejis Ruſticiſque, atque Gallis Militibus acutis plerumque hiſce morbis Pectoris detentis, accuratiore ſolicitudine praeſto eſſem. De eorundem enim difficillima cognitione, atque curatione ab expertiſſimo Baglivio monitus ſatis eram, dum ſic effatur: (27) *O quantum difficile eſt curare morbos Pulmonum! O quantum difficilius eoſdem cognoſcere, & de iis certum dare praeſagium! Fallunt vel peritiſſimos, & ipſos Medicinae Principes.*

CXV. Quamvis morbi hi Pectoris, ſicuti & aliae quaelibet tunc occurrentes maxime lymphaticae affectiones vario modo invaderent, atque ob diverſorum *ſymptomatum* comitatum, affectarumque ſimul partium rationem variam, plus, minuſve lethales, atque contumaces fierent: eadem tamen meo judicio generalis in omnibus dominabatur cauſa. Omiſſis enim extrinſecis quibuslibet cauſis (quas in Militibus praecipue ab immoderatis Corporis violentis exercitationibus, tum & in Plebejis ab indeſinentibus laboribus petendas eſſe ſupra indicavimus) una erat ſpecialis tunc vigens aeris conſtitutio jure merito inculpanda. Conſtat quippe ex dictis, atque ex Hippocrate ipſo, & Celſo, quod in auſtrina conſtitutione tum ſolidorum fibrae omnes laxantur, atque enervantur maxime, tum fluida diſſolvuntur

(27) *Baglivius cap. proprio de Pleuritide.*

vuntur nimis, ſimulque hoſtilis lymphae ſupervacanea copia accumulatur: unde ob utramque cauſam languida admodum redduntur Corpora, ad motum inepta, atque humorum ſuperfluitatibus perquam gravata. Hinc quo uſque exuberans haec lymphae copia per apertos cutis porulos diſſipari ſatis poterat, nihil inde patiebantur manifeſte Corpora, quamvis conſuetis obeundis muneribus non aeque idonea eſſent. Aſt cum tunc perſaepe, quin immo ut plurimum Auſtralem conſtitutionem Borealium ventorum dominium ſequeretur: (28) ſpiſſato hinc maxime Corpore, atque repente ſeclusa tam neceſſariae perſpirationi via; totum id, quod ſupervacaneum extra protrudendum erat, intima Corporis penetralia ſubire debebat, atque cum univerſa humorum maſſa Corpus quaqua verſus pervadere. Factum ideo fuit, quod a *lymphatico* hoc exuberante pondere partes illae praecipue premerentur, ad quas ex conſueto naturalis OEconomiae inſtituto uberior lymphae copia tranſferri conſueverat, ut ſupra adnotavimus. Attamen non omnia Corpora pari modo ab hoc lymphae exceſſu laedebantur: cum in aliquibus aequa ratione Renum adaucta ſecretio idoneum ſubrogaret praeſidium, quo nil melius in hoc caſu erat unquam optandum. Neque partes omnes excedenti lymphae gurgite ſic preſſae parem ſortiebantur noxam; ſed illae praeſertim, quae utpote aeri magis expoſitae, ipſius rigoris ſaevitiem in aquilonari conſtitutione patiebantur. Porro in illis ſic congeſta lympha paulatim concreſcebat, variaſque ſuſcitabat morboſas affectiones variis earundem diſpoſitionibus adamuſſim reſpondentes.

CXVI. Hinc *Rheumaticorum* quorumlibet, ſeu, ut ajunt, *Catarrhalium* AEgritudinum tunc variis modis graſsantium unica & genuina origo prodiit. Hinc earundem mutationum, curſuum, & *ſymptomatum* tutior, & melior ratio emergit. Qua de re, & cutis varias affectiones, ſeu *eryſipelas*, *tubercula*, & *Tonſillarum* tumores, *inflammationes*, nec non *Articulorum*, & *muſculorum* varios morbos &c. hinc derivari quilibet videt. Eandem cum iſtis ſortiebantur originem *Pleuritides* variae tunc quoque dominantes, & Thoracis omnes morbi, qui ab eadem craſeſcente lympha, atque undecunque ſtagnante fiebant; cum eundem, tum in his, tum in illis, *pleuriticum* tenacem *corticem* ſanguis detractus proferret. Ex hoc fortaſse factum fuit, quod antiqui Medici, peculiares nondum lymphae proprietates, & motus ſatis callentes, morborum hujuſcemodi omnium, & Thoracis maxime cauſam a *catarrhis* a Cerebro ad Pectus fluxione deduxerint; ſicque ſomniatis Capitis *deſtillationum*, ut ajunt, viciſſitudinibus veram iſtarum AEgritudinum geneſin, atque de iiſdem ratiocinandi modum, & curandi rationem, tanquam firmo fulcro, minus haeſitanter adaptaverint.

CXVII. Si qui unquam ſint adhuc in

(28) *Celſ. lib. 2. Cap. 1.*

in anatomicis Recentiorum cognitionibus miſere caecutientes, qui obſoletae jam ſententiae huic adſtipulari non erubeſcant : conſulant quaeſo praeclariſs. Malpighium, atque ab ipſo diſcant, quod ſi unquam modica aliqua lymphae portio a Capite ad Pulmones defluere poteſt ad morbos ibidem varios aliquo modo ſuſcitandos, illa non a Cerebro, ſed a Glandulis in illis partibus jacentibus ſeparatur. (29) *Et ut verum dicam* (inquit ille) *ſatis dubito, quod adſint Pleuritides factae a materia, quae a Capite deſcendens per Trachaeam, inflammet Pulmones; quoniam tota materia humectans Os, & Palatum provenit a Glandulis dictarum partium, uti evidenter oſtendit Anatomia, non autem a Cerebro, eſtque in pauca quantitate; immo affluxus dictae materiae ſolito major provenit ab impetu, & perturbatione quae habetur in vaſis ſanguineis totius Corporis.* Nec tantum Caput, veluti genuinum iſtorum morborum principium, habent, ibidemque ratiocinia ſua quomodocunque firmant, ſed maleſano hoc ducti praejudicio, ad Caput praeſertim, tanquam verum fontem, totam curationis operam, ſolicitudinemque ſedulo admodum dirigunt; de quo acriter dolet eruditiſſimus Bernardinus Ramazzinus, dum ſic adverſus ipſos jure merito invehit : (30)

*Non deſunt tamen adhuc, qui*
*Obſtipo Capite & figentes lumine terram,*
*Antiquorum placitum veluti mordicus tueri, nec deſunt in morbis Pectoris Caput non ſolum Pharmacis, ſed Ferro & igne tanquam Reum plectere.*

CXVIII. Attamen nil penitus mirum erat, quod Pectoris praeſertim variis morbis illi facilius laborarent, qui alias iiſdem, aut aliis hiſce analogis affectibus vexati fuerant. In illis enim, qui haſce Pectoris AEgritudines paſſi fuerant, & praeſertim cum *ſuppuratione* pulmonaris ſubſtantiae, ipſa ibidem, ubi conſtiterat alias morbus, corrugata pari ratione erat, ſeu *calloſitatem* quandam fere induerat: eodem prorſus modo, quo fit in abſciſſis quomodocunque, combuſtis, vulneratiſque externis partibus, quae nunquam priſtinam ſtructuram acquirunt; ſed ibidem contrahuntur, atque in calloſos tumores aſsurgunt. *Corrugationes* iſtae, ſeu *calloſitates*, ſeu aliae quaevis ſint hujuſcemodi morboſae in partibus relictae diſpoſitiones humorum motibus obſtant. Quamobrem, dum aliunde, (ob peculiarem praecipue aeris conditionem ad id ſpecialiter conferentem) Sanguis, atque lympha craſſior reddebatur, atque ad concretionem maxime proclivis: in hiſce potius, quam aliis partibus facilius coagulari poterat, cum ibidem ex dictis major adeſſet renixus, qui lymphae aliunde tardius ſe moventis fluxum praepedire ultro valet. Hoc unico ratiocinio percipere ſatis poſsumus, cur ii omnes, qui alias venerea lue laborarunt: qui Arthritide detenti antea ſunt: qui callos in digitis Pedum, aut in aliis Corporis partibus geſtant &c. veridica ſe geſtare Barometra conquerantur, mediis quibus quorumcunque

(29) *Malpigh. in Oper. poſthum.* (30) *Bernard. Ramaz. in conſtit. anni* 1691.

que temporis viciſſitudinum praeſagia tuto proferunt: cum juxta Aeris peculiares diſpoſitiones vehementes in hiſce partibus reviviſcere dolores ſentiant. Quod ſi partes iſtae alias male affectae, juxta varias aeris diſpoſitiones tam facile patiuntur, cum facile in iiſdem lymphae concretiones fiant; quanto facilius id evenire poſſe credendum eſt in Pulmonum ſubſtantia alias labefactata, quae, utpote laxior, irruentis intro aeris damna citius, faciliuſque patitur, atque uberiore, quam caeterae partes, lymphae copia continuo irroratur?

CXIX. Verum, licet in omnibus, qui tunc Thoracis varios morbos patiebantur, eadem propemodum, ut diximus, generalis cauſa vigeret, non eadem tamen ratione, atque cum iiſdem *ſymptomatibus* aegrotabant. Morbi enim iſti, juxta diverſitatem partis, quam primario obſidebant, diverſa praeferebant *ſymptomata* plus, minuſve metuenda: ſive ii in externis, atque continentibus Pectoris partibus reſiderent, ſive intima *Thoracis* penetralia ſubeundo, in contentis etiam vario modo firmarentur. Hanc morborum Pectoris varietatem ab affecta parte merito petitam & ipſi Veteres omnes Medici adamuſſim indicarunt, atque praeſertim expertiſſimus Hippocratis commentator Deſiderius Jacotius, dum aſſerit, quod (31) *Partes affectae eaeque praecipue ſunt Muſculi, Pleura, capacitas Thoracis, Pulmo, Cor, Mediaſtinum, Diaphragma*. Nec tantum ratione affectae partis, ſed & ratione diverſi humoris praecipue ſtagnantis, *Pleuritides* tunc occurrentes magis, minuſve lethalem proferebant indolem, propter quam facilius, difficiliuſve ſolvebantur, fauſto, vel infauſto exitu. Etenim, aut Lympha ſolum in Corpore exuberans, atque occurrentis rigidioris aeris occaſione concreſcens, in *Thoracis* partibus reſidebat, eaſdem tumefaciens, abſque ulla ne minima quidem ſanguineorum canalium diſruptione; aut ob lymphae factam congeſtionem, & concretionem in Pectore laceratis ſimul, & *lymphaticis*, & ſanguineis ductibus, ſanguis ipſe transfuſus, atque extra *circulationis* aream dejectus, ibidem cum lympha ſimul reſidens varios progignebat tumores. Utrinque variae inſurgebant *Pleuritidum* ſpecies, quae attenta diverſitate affectae partis, variis ſtipatae erant *ſymptomatibus*, propter quae plus, minuſve graves evadebant. *Pleuritides* autem primae ſpeciei *lymphaticae ſimplices* dici merito poſſunt: Secundae vero *lymphatico-ſanguineae* nomen ſibi adſciſcunt. Praeter haſce adſunt & aliae, quae *ſanguineae ſimplices* vere ſunt, aliaeque, quas *lymphatico-bilioſas* appellandas eſſe arbitror, ac demum aliae *compoſitae*, quae de iſtarum omnium natura vario modo participes ſunt: de quibus omnibus peculiares a me habitas obſervationes diſtincte hic proponam.

Antequam tamen de *Pleuritidibus* hiſce ſingillatim differere aggrediar, operae pretium me facturum cenſeo, ſi nonnulla hic ultro ſubdam, quae

*Lym-*

(31) *Deſid. Jacot. Com. in Coac. Hipp. Sec.* 2. *l.* 5. *n.* 18.

*Lymphaticorum* morborum ſupra poſitam cauſam illuſtrare magis poſſint, adhibitaque ibidem ratiocinia confirmare, atque tueri. Etenim, dum reliqua omnia jam tranſacta typis mandaveram, atque ſubſequens caput Typographo imprimendum cum reliquis vix vix commiſeram, forte fortuna optatum jamdiu aureum librum Jacobi Keilii accepi, *Tentamina Medico-phyſica* acerrimo ingenio, ſublimique doctrina, nec non tutiore obſervationum lumine exarata complectentem, una cum *Medicina Statica Britannica &c.* Celeberrimum hoc praeclariſſimi hujuſce Auctoris opus maximis encomiis merito undique acceptum evolvens, in diſquiſitiones duas ad calcem poſitas fortuito incidi, quarum primam, utpote propoſito noſtro inhaerentem libenter ſtatim perlegi. In hac, dum eruditiſſimus hic Auctor *de frigoris ſuſcepti cauſa* agit, hanc ab impedita *perſpiratione* neutiquam pendere arbitratur. Quamobrem comunem de cauſa tuſſis opinionem penitus evertit, atq; per conſequens *catarrhalium* aliorum quorumlibet morborum hyemis tempore magis, & frequentius ſaevientium originem a nemine, ut ipſe ait, ne in dubium quidem vocatam, a veritate alienam prorſus eſſe, ſolidiſſimis rationibus, experientia ipſa favente, demonſtrat. Non enim in aere frigido, quam in calido valde imminui *perſpirationem* putat; atque proinde *humorem per inſenſibilem perſpirationem eliminari ſolitum, ab aere frigido, cutis ſpiracula conſtringente, & occludente, intus detentum, & in Pulmonis, faucium, nariumve glandulas depluentem, frigoris ſuſcepti ſymptomata excitare*, abſolute negat. Qua de re habitis, iteratiſq; in ſtatica ſua praecedentibus obſervationibus, praeter rationes etiam, firmiter, omnique jure inhaerens, ex hiſce ſatis & abunde patere, ſtatuit, *nec perſpirationem a frigore ſuſcepto diminutam eſſe, nec diminutam perſpirationem tuſſim provocare, vel provocatae humorem ſuppeditare poſſe.* Unde ſic certe concludit. *Cum igitur a quantitate ſanguinis aucta non proveniat tuſſis, a qualitate mutata ut proveniat, neceſſe eſt; quae ſane qualitas ab aere frigido inducitur, non cutis poros conſtringendo, ſed ſanguini ſe admiſcendo, frigorificiſque ſuis particulis (iiſdem fortaſſe, aut ſimilibus, quibus aquam conglaciat) quarundam particularum ſanguinearum copulam adaugendo; adeo ut, qui ab hujuſmodi copulis conſtituitur humor, Pulmonis, faucium, nariumve glandulas, copia, naturali longe maiore, perfluat.* Id ipſum confirmat in ſequente diſquiſitione ſecunda *de vi attrahente*, dum ſic effatur. *Quod ratio evincit, idem experimentis confirmatur; quibus certo certius conſtat, ſuſcepti frigoris ſymptomata non ab impedita perſpiratione, ſed ab aeris per cutis poros ingreſſu provenire.* Sagaciſſimi hujuſce Auctoris Dogmata haec perpendens quilibet primo intuitu aſſerere non verebitur, ratiocinia quaelibet ſupra a nobis propoſita, quibus non hyemalium tantum, verum & aliorum quorumcunque morborum, juxta conſuetas anni temporum viciſſitudines occurrentium, cauſas breviter enodare curavimus,

vimus, tam debili inſiſtere fulcro, ut illico, juxta hujuſce Auctoris opinionem, falſa comperiri merito poſſint. Non abs re itaque erit, ſi arrepta occaſione pauca hic denuo ſubdam, quae dogmata haec cum allatis ſupra ratiocinationibus conciliare ſatis valeant; ſicque erroris notas, quas ex his ideo cavillatores fortaſſe aliqui mihi adſcribere quaererent, a me tempeſtive avertam. Hinc tamen tantum abeſt, quod perſpicaciſſimi hujuſce Auctoris ſuper propoſitis obſervationibus in accuratiſſima ſtatica ſua, fidem denegare unquam audeam, ut potius me ipſius aſſeclam praeſtare, glorioſum mihi eſſe ducam. Id unum innuam, quod & ipſe in praefatione notat, quod nempe, quantum circa hujuſmodi obſervationes *inter Italos, ac Britannos diſcriminis ſit*, exaratae ab ipſo tabulae ſatis ſuperque indicent. Qua de re dum haſce amplectimur, *Sanctorianam Staticam* penitus reſpuere, nefas eſſe arbitror. Utrinque propria, & veridica emanat lux, qua Rationalis Medicus, ad morborum cauſas enucleandas, dextere manuduci debet. Certo enim certius cuique patere cenſeo, praecipuum inter Italos, ac Britannos diſcrimen, tum a diverſa corporum textura, ab Aeris circumambientis temperie varia, a peculiari ventorum dominio, a ſpeciali victus regimine, atque ab aliis innumeris fortaſſe diſcrepantibus rationibus petitum, non incongruum eſſe, ut inde, aliqua ſaltem ex parte, utrinque idonea veritatis lux derivanda ſit. Verum, ut ad rem propius accedam, omiſſa interim *Sanctoriana Statica*, nonnullos ab eodem Keilio Aphoriſmos Staticos ſeligam, qui ſuprapoſitam ipſius opinionem non ex toto ratiocinationibus noſtris adverſari, aperte demonſtrant. Dicit ipſe, quod *aeſtiva perſpiratio, hyemalem longe excedit*. Inſuper *in die aeſtivo maxima perſpiratio eſt trium fere librarum: in hyemali minima eſt ſeſquilibra*: ut ipſe docet. Attamen licet ex allatis ab ipſo obſervationibus liquido conſtet, quod *ea, quam perſpiratio naturalis patitur, latitudo, eſt inter ſeſquilibram, & tres libras*: ſimulque pateat, quod *hos limites nunquam tranſit ſalubris, & naturalis perſpiratio; ſed modo hic, modo illuc, pro varia corporis conditione inclinat*: pariter *ultra, citroque latitudinem ſuam naturalem perſpiratio fertur, vel calore, & exercitio, vel frigore, & quiete*: pro ut ipſe poſtea ſubdit. Itaque ſi ex hiſce clare deducitur, longe minorem hyemis tempore *perſpirationem* haberi: in confeſso quoque hinc erit, eo magis ultro, magiſque *perſpirationem* imminui poſſe, quo magis rigida fuerit hyemalis conſtitutio, ſimulque quo ſaepius, quo crudelius aquilonares dominentur venti, aliaeve quaevis vigeant cauſae, quae rigidiorem reddant aerem. Stante itaque Clariſſimi hujuſce Auctoris aſſerto, quis unquam inde deducet merito, ſupra allata ratiocinia noſtra corruere poſſe, aut tanquam minus veridica comperiri? Si occaſione rigidioris conſtitutionis plus, minuſve ſaevientis, pari ratione, *perſpiratio* decreſcit; in eadem certe

ratione

ratione *perſpirabilis* retenti humoris moles totam humorum maſsam augere debet, atque praeſertim Lymphae, cujus prorſus indolis *perſpirabiles* minimas moleculas eſse, nemo recte unquam inficiabitur: Hoc idem eſt, quod ſupra, Sanctorianis inhaerentes obſervationibus, innuimus; quod ſimul, & ab ejuſdem Keilii Aphoriſmis neceſsario elicitur. Diximus quoque, quod *perſpirabile* retentum tunc magis nocet, faciliuſque variis *Lymphaticis* accerſendis morbis anſam praebet, cum per alias vias id educi ſatis nequeat: ut per urinas maxime, quod diverſa ratione evenire, juxta varias corporum, & temporum diſpoſitiones, Sanctorius Sect. 2. Aphor. 19. ſic docuit: *Debiles magis hyeme, robuſti aeſtate, perſpirabile retentum in urinam convertunt.* Si ſupervacuum *perſpirabile* ſic retentum per *urinarias* vias eliminari nequit, aliquando etiam per alvum educitur, quod ego ipſe in enarrata conſtitutione eveniſse animadverti, ſed rarius. Si nullo autem modo id natura praeſtet, ex dictis eadem proportione ſalivae copia hyemis tempore augetur, quod diſtincte monet Pitcarnius in diſsertatione *de motu, quo cibi in ventriculo rediguntur*, ſic. *Hic autem moneo, majorem ſalivae proventum hyemi proprium ad perſpirationem nimis imminutam pertinere, ab eaque pendere.* Attamen ego quoque, aliam, praeter haec, exquirendam eſse cauſam puto Hyemis tempore ſpecialiter vigentem, quae Hyemalium quorumcunque dictorum Morborum principium vere conſtituit. Quo uſque enim *perſpirabile* retentum lymphae molem undique auget, haec autem debitam obtinet fluiditatem, propter quam ad motum ſatis expedita quaqua verſus corpus pervadit: nullae inde *ſtagnationes* fiunt, nullae *lymphaticae concretiones*, atque proinde nullae emergunt hyemales aegritudines: licet, ſervata ratione copiae *perſpirabilis* retenti, corpus majoris ponderis evadat. Concedam itaque cum praecitato hoc Auctore, praeter haec, a frigido aere *frigorificas*, ut ipſe ait, particulas emanare, corporis porulos undique ſubire, eaſdemque univerſam humorum maſſam pervadendo, *quarundam particularum ſanguinearum copulam adaugere*: puta lymphae praeſertim ad concreſcendum magis idoneae, quae poſtea variis in partibus, ut diximus, coagulata, & ſtagnans varios procreat morbos plus, minuſve metuendos. Mihi enim firmum, ratumque eſt cum Keilio in ſtaticis aphoriſmis, quod, *per omnes Corporis poros continuus, faciliſque aeri patet ingreſſus, & egreſſus.* Hac poſita ſententia, patet facile, praeter dicta, cur poſt *auſtrinam* humidiorem aeris conſtitutionem diutius dominantem, *Aquilonia* ſubſecuta plerumque, & majores numero, & graviores Pectoris varios morbos procreaverit, ut ſupra obſervavimus. Ab humidiore enim aere, ideo Lymphae moles praeſertim quammaxime augetur; quia indefinenter aer iſte cutis poros undique pervadens, novas ſemper ſanguini addit aqueas particulas, quae ſucceſſive in majorem copiam congeſtae, accedente *aquilonari* conſtitu-

ſtitutione, difficilius egredi poſſunt. *Aquilonaribus* enim dominantibus ventis, dum cutis fibrillae undecunque corrugantur, minora redduntur *perſpirationis* oſtiola, ſimulque *frigorificae*, quae ingrediuntur, particulae exuberantem variis in locis lympham figunt, atque ad *concretionem* citius, validiuſque cogunt. Secus evenit in *aquilonari* ſimplici conſtitutione, quæ, non derepente poſt Auſtrum irruat, ſed paulatim accedat. Nam tunc *Aer purus, & tenuis, humidi parum habet, quod corporibus etiam inanitis ſuppeditet:* ut Keilius diſquiſit. 2. de vi attrahente docuit. Unde tunc, & ſi *frigorificae* ingrediantur particulae, minorem inveniunt copiam humoris illius, quem facilius figere poſſint. Animadvertendum tamen eſt, quod ſi *Aquilonia* ſimplex conſtitutio diutius perduret, *lymphatici* quoque morbi pariter fiunt. Siquidem, cum diutius hinc corrugata remaneat cutis, ſicque diutius adſtricti *perſpirationis* meatus, quotidie *perſpirabile* retinetur, quod in dies majorem ſemper in molem intus coacervatur, eodemque tempore accedentibus *frigorificis* ſupradictis particulis, ſtagnat, atque concreſcit. Quae omnia allatae ſupra obſervationes, aliaeque, quae ſequentur, ſatis ſuperque confirmant. Hiſce etiam poſitis, habitas ſupra aeſtivorum morborum explicationes veritati conſonas eſſe comperiemus, ſi ultro dicamus aeſtatis tempore, loco *figentium* dictarum particularum, *diſſolventes* alias aeſtivum aerem corporibus ſuppeditare, Bilis magis activae copiae in dies augendae perquam idoneas: unde non immerito Sanctorius ipſe Sect. 2. Aphor. 35. monet, quod *Corpora acriori perſpirabili aeſtate referta ſunt, quam hyeme*. Ad alia itaque tranſeamus.

SECTIO

# SECTIO SECUNDA

## CAPUT SECUNDUM

### *Pleuritis lymphatica ſimplex, ubi & de Pleuritico cortice, & ratione emittendi ſanguinem in hiſce morbis.*

CXX. Genere *lymphaticarum ſimplicium* ſpeciales tunc vidimus *Pleuritides* quaſdam, quae inopinato corripientes gravia ſtatim in initio *ſymptomata* oſtentabant; aſt paulo poſtea ad exitum feliciter pergere videbantur aut ſeptima, aut nona die, ſemper ante decimam quartam. Haſce plerumque levis praeibat rigor, abſque ordine procedens, atque extenſus. Dolor ut plurimum non pungens, ſed *gravativus* potius ex alterutra, vel utraque parte, quandoque uſque ad jugulum, & brachium extenſus fiebat: cum rubore faciei vel univerſali, vel ex ea parte magis vigente, quae affectae reſponderet parti, cum reſpirandi maxima difficultate, praecipue in actu inſpirationis. Pulſus tamen magnus admodum erat, & mollis cum moderata frequentia. Hujuſcemodi *Pleuritides* copioſo ſemper accedente ſudore, quandoque etiam maxima urinae copia ſolvebantur; abſque quod nil penitus vel bilioſum, vel ſanguine tinctum, multoque minus purulentum per *exſcreatum* educeretur. Spumoſa tamen ſemper tenax, & albicans lympha copioſe prodibat, ob repetitas *Pulmonum* fortes concuſſiones occaſione tuſſis factas, a *lymphaticis bronchialibus* ductibus identidem ſeparata. *Pleuritides* hujuſce indolis, prae caeteris, ſanos Homines, & bene nutritos invadebant, illoſque maxime, qui nunquam alias hiſce morbis detenti fuerant. Etenim ipſi poſt violentas Corporis exercitationes rigidioris aeris injuriis ſucceſſive expoſiti, inopinato aegrotabant; inter quos Galli praeſertim jam ſupra dicti Milites. Hinc certe arbitrabar, *Pleuritides* haſce, utpote *benignae* ſatis indolis, minus quam alias, Medico negotium faceſcere debere, cum a craſſeſcente tantum lympha in Pectore originem ducerent. Exiſtimabam enim, quod certe in hiſce eodem prorſus modo, quo lympha in articulorum cellulis, aut muſculorum interſtitiis firmata, tum *articulares* varios, tum *Rheumaticos* dolores alios producit: ita & pari modo, diſruptis propriis ductibus, aut ſaltem plus aequo repletis, ipſa quo-

que

que transfuſa, aut remorata circa *Thoracis* partes concreſceret, ibidemque magna in copia coacervata *gravativum* efficeret dolorem, aliaque ſimul morboſa *phaenomena* nulla alia prorſus ratione tollenda, quam concreſcentis lymphae congrua diſſolutione. Hinc enim apta reddi ipſa poterat, ut proprios iterum ſubeundo tubulos, ad priſtinam *circulationis* ſemitam reduceretur, indeque copioſo ſuccedente ſudore, aut affluentis urinae beneficio, extra corpus eliminati poſſet: quod natura ipſa ſatis ſuperque indicabat. Nulla ideo in hiſce tutior aderat curationis methodus, quam quod neceſſariam hanc lymphae diſſolutionem ſanioribus omnibus, mitioribus tamen, praeſidiis Medicus viriliter promoveret.

CXXI. Id, praeter caetera, commode admodum praeſtabat Sanguinis emiſſio juxta indigentiam parce magis, minuſve celebrata: ſicuti & diluentes potiones magna in copia calidae ſumptae, & iterata fomenta etiam, quorum ope tenuvior diſſolvens humor per meatus cutis obrepens, maxime intento ſatisfacere poterat. Praecipua autem mihi erat cura, ut AEgroti, pro ut fieri poterat, tepidi ambientis aeris beneficio gauderent, atque ſtragulis optime cooperti in lecto jacerent, ad ſolicitandam magis, magiſque perſpirationem, in qua unice tunc primarius curationis ſcopus aderat. Si Alvus inobediens erat, *Clyſteres* emollientes praeſcribebam, aut Oleum amygdalarum dulcium, atque etiam Seminum Lini pro AEgrotorum tolerantia: ſolventibus aliis validioribus omnibus, & praecipue *catharticis* omiſſis, a quibus cane pejus, & angue in hiſce morbis abſtinendum eſſe, certe arbitrabar: tum quia Morbi cauſa nihil penitus in Abdomine reſideret, tum quia peccantis lymphae expulſionem per Alvum non conveniret promovere, cum eam natura ipſa ſudoris copia, aut urinae tuto ſemper perficeret.

CXXII. Quod ſi *Pleuritides* iſtae a concreſcente in *Pulmonibus* ſola lympha factae nil penitus metuendae erant: quanto magis fauſtum portendere praeſagium poterant *ſpuriae* aliae, quae tunc quandoque occurrebant, utpote ab eadem tantum lympha derivatae, quae in interſtitiis muſculorum *intercoſtalium*, aliarumve externarum Pectoris partium moram traheret: Haſce ab illis facile diſtinguere quilibet poterat, manu affectae parti appoſita. Si enim comprimendo, aut quomodocunque confricando dolor augebatur, ſtatim de externa concretione judicium aderat. (32) *Externorum phlegmone preſſu, contractuque deprehenditur, ac notham Pleuritidem parit*: admonet Deſiderius Jacotius. Hinc in externis hiſce evincendis *lateralibus* doloribus, praeter ſanguinis emiſſionem (quam tamen aliquando omittebam, niſi aut de bene nutrito ageretur Corpore, aut doloris vehementia urgeret, aut ſupreſsae conſuetae evacuationes hanc ſpecialiter expeterent) nullum melius, atque



(32) *Deſid. Jacot. Com. in Coac. Hipp. l. 5. Sec. 2. n. 18.*

efficacius remedium experiebar, quam repetitos fotus ex ſimplici decoctione Malvae, florum Sambuci, Chamaemeli, & Seminum Lini. Ad inunctiones tum in hiſce, tum in aliis *Pleuritidibus* raro admodum confugiebam, optime noſcens, quod oleoſae particulae difficili admodum modo poros cutis ſubeunt, niſi cum volatilibus, atque incidentibus aliis remediis efficaces magis reddantur. Hinc ſi unguentis, aut oleis in hiſce caſibus quandoque uti ſatius exiſtimabam, aut ad ipſam *politice*, ut ajunt, confugere neceſſe erat: ſemper illis congruam ſpiritus Vini ſimplicis, aut *Camphorati* portionem adjungebam, ut illa magis permeare poſſent, quod & externis ſimul frictionibus promovere non omittebam. Sunt qui *Theriacam* tum in *nothis* hiſce *Pleuritidibus*, tum in *legitimis* gravioribus ad ſedandum dolorem, atque diſſolvendos ibidem concreſcentes humores etiam, atque etiam commendant. Ego tamen, utpote quorundam obſervationibus oculo praejudiciis obcaecato factis nil penitus fidens, ſemper exiſtimavi, quod ſi *Theriaca* in hiſce caſibus prodeſſe unquam poſſit, id eveniat, quia calide applicata lenientes ſimul, ac diſſolventes particulas per Cutis poros protrudit, quod aeque & melius praeſtare poſſunt, tum dicti fotus, tum inunctiones una cum ſpiritu Vini camphorato praeſertim magis actuoſae redditae, ut ſupra indicavi, atque ego ipſe fauſto toties eventu contigiſſe novi. Attamen in *externa* hac *Pleuritide*, ſicuti & in omnibus aliis praeter haec externa remedia ſupra recenſita, internas diſſolventes potiones ſimul ſumendas neceſſario monebam, ut intrinſecus lympham melius diſſolvere, atque attenuare poſſem.

CXXIII. Verum licet *internae lymphaticae Pleuritides* jam ſupra expoſitae plerumque feliciter ad exitum medio ſudore properarent, non in omnibus ſemper aeque benignam ſortiebantur indolem. Quandoque enim tanta in copia *lymphaticus* humor totam undique *Pulmonum* ſubſtantiam inundabat, atque in extima praeſertim eorundem ſuperficie proprios ductus taliter adimplebat: ut ibi craſſior factus, concretuſque nullis unquam diſſolvi praeſidiis, atque inde removeri ſatis poſſet. Hinc gravi, quo tum interius, tum exterius detinebantur, pondere extra modum gravati *Pulmones*, vix conſueto muneri paululum ſatisfacere poterant. Quare idonea ſic deficiente ſanguini ad motum concitatione, & ipſe lente admodum ſucceſſive movebatur, ita ut paulatim ad coagulationem vergens inevitabilem accerſeret obitum. *Lymphaticas* graves haſce *Pleuritides* diſtincte noviſſe, atque adamuſſim explicaſſe expertiſſimum Lucam Tozzium conſtat, dum haec habet. (33) *Accidit preterea, ut ab impedito Lymphae curſu, vel etiam a copia, & craſſitie ejuſdem, quae in Pulmones irruit, contingat Peripneumonia; ſi videlicet illos expandere non permittat, atque ſanguinis praeterfluentis motum quoquo modo retardet, unde haerens ipſe*

(33) *Luc. Tozzius Cap. de Peripneumonia.*

*ipſe tumorem parit Phlegmonodem.*

CXXIV. Craſſioris, ſtagnantiſque hujuſce lymphae dominium in Pectore ſatis teſtabantur mortuorum ex hiſce morbis cadavera: dum & craſſam in *Pulmonum* cellulis latentem lympham, eorundemque *Parenchyma* intime ipſa imbutum, atque inde tumens maxime, induratumque conſpicere datum erat, ſimulque extimam ipſorum ſuperficiem, & quandoque etiam *Pleuram* ipſam mucoſa hac lympha tam fortiter obvolutam, ac ſi nova coriacea, fere dixerim, fortis tunica exterius ipſis adjuncta eſſet. In hujuſcemodi *Pleuriticis gravativus* magis, quam in aliis, dolor aderat, praecedente rigore magis extenſo, cum majore Pectoris anguſtia, ita ut non raro vix erecta cervice ſpiritum ducere miſere poſſent, cum intenſo admodum faciei rubore, atque tumore ſatis ſenſibili. *Lymphatica* tantum, & ſpumoſa ſputa aderant, ut ſupra dixi, magna in copia prodeuntia, quibus perquam raro ſanguinea vix tenuiſſima filamenta immixta erant. Pulſus frequens ſemper erat, atque adſtrictus, qui ſucceſſive magis inde, magiſque imminuebatur, quo magis affluente lympha univerſum *Pulmonum* tumeſcebat *Parenchyma*, majoreque inde facta vaſorum compreſſione, minor remanebat aditus ſanguini per *pulmonares* tubulos trajiciendo.

CXXV. Quando *lymphatica* haec pejoris indolis *pleuritis* noſci hinc opportune poterat, largius ſanguinem emittere omni jure expediens admodum, atque praecipuum remedium erat. Quo enim magis tota ſanguinis maſſa imminuebatur, magis proportionata fiebat arctatis, ob ſtagnantis lymphae compreſſionem, pulmonaribus vaſculis liberius ſubeundis. Porro liberalis Sanguinis eductio tunc ideo magis conveniens erat, quia non ſolum *Pulmonares* capſulas craſſa haec lympha propemodum adimplebat; verum & in ventriculorum Cordis, in cavitatibus, in auriculis, adnexiſque ipſi majoribus vaſis accumulata, & concreſcens, *pſeudo-polypoſa* ibidem corpora conſtruere ſolebat, quae juxta molem, atque configurationem ſuam, liberum ſanguinis circuitum magis, minuſve praepediebant. *Pſeudo-polypoſas* concretiones haſce in confiniis Cordis factas, atque praecipue circa ſiniſtrum ventriculum aperte indicabat pulſus tum inopinato depreſſus maxime, atque imminutus, ſimulque inaequaliter vibrans, cum difficultate reſpirandi, atque anhelitu. Nec aliunde melius vitioſas haſce pulſus conditiones deducere quis poterat, quas non raro, ſuperveniente affatim copioſo ſudore, totaliter ſolutas vidimus. Non enim ab organica quavis fixa cauſa talem pulſus inaequalitatem, & depreſſionem praeſtabat deducere: cum & derepente illae fierent, & derepente ut plurimum ſolverentur. Melius ideo conjectari hinc poſſe certe putabam, *Pſeudo-polypoſa* haec corpora in univrſali lymphae circa *Pulmones* congelatione fieri, atque in ejuſdem provida diſſolutione paulatim imminui, indeque ex toto evaneſcere: quo modo liberiore reddito

ſanguini circa Cordis confinia tramite, & priſtinus poſtea pulſui naturalis rhythmus reſtituebatur.

CXXVI. Tunc autem mirum mihi magis erat quandoque attendere maximam alterutrius pulſus ab altero diſcrepantiam: quando nempe aut dexter, aut ſiniſter pulſus inaequalis erat admodum, nullamque alter ſaltem ſenſibilem inaequalitatis notam praeferebat. Scio enim tum morboſa corpora in Cordis confiniis latitantia, (ſive veri ſint *polypi*, ſive *pſeudo-polypi* in *Pleuriticorum* Cadaveribus plerumque obſervati) tum & vitioſas quaslibet alias ad id conferentes Cordis, adnexorumve ipſi majorum canalium configurationes, pulſus inaequalitates varias progignere poſſe; ſicuti & *Pulmonum* vitia quamplurima pulſum omnimode a naturali ſymmetria dejicere. Verum tunc par ſemper motus ſanguinis vitium in utroque pulſu aequaliter deprehenditur: niſi tamen ſpecialis adſit alterutrius Arteriae Carpi mala diſpoſitio: quod parum refert. Quod autem in alterutro magis *ſyſtematicae* pulſationes fiant, dum in altero totaliter a naturali deflectunt ordine: hoc perquam difficile mihi videtur explicatu. Namque dum Cor male quomodolibet ſe habet, indeque Sanguinis propulſio in Aortam Arteriam non ſucceſſivo aequali ſemper impetu occurrit: incongrua haec ſanguinis propulſio aeque fit per *Subclaviam* Arteriam dexteram, ac per ſiniſtram, ſicuti & per omnes alias Arterias tum aſcendentes, tum deſcendentes, cum omnes ab eodem primario Aortae trunco deveniant; Quare & eadem incongrua ſanguinis commotio tam in dextero, quam in ſiniſtro pulſu fiat neceſſe eſt: dummodo, ut ſupra diximus, in alterutra ex *ſubclaviis* dictis organica peculiaris mala conſtructio non adſit majorem in una, quam in altera parte inaequalitatem producens, quae tamen, caeteris paribus, etiam extra *Pleuritidis* occaſionem evenire deberet. Ideo, quod tantum, vigente hoc morbo, talis diſcrepantia pulſus paſſim obſervetur, id peculiarem aliam ſuperadditam tunc indicat cauſam, quam diligenter inveſtigare tunc non omiſi, atque repetitis Cadaverum diſſectionibus intime magis pervadere in animo habui.

CXXVII. Hoc autem facilius aſſequi me poſſe arbitratus fui, quoties alterutrum ex *Pulmonibus* in ſuperiore parte verſus *axillares* ramos praeter modum tumefactum inveni, ibidemque fortiter adhaerentem, ut non tam facile illinc divelli poſſet, propter quod & *Subclaviae* ejuſdem partis Arteriae compreſſiones fieri maxime poterant, indeque pulſus inaequalitates variae ſuboriri. Praeterquamquod aliquando in alterutra ex *ſubclaviis* Arteriis, & Venis maxime *pſeudo polypoſas* concretiones varias latitare, cadaverum diſſectiones in hiſce morbis perſaepe oſtendunt: quod ulterius hujuſce *phaenomeni* patentem aliam indicat cauſam. Caeterum quod compreſſis Arteriis *Subclaviis* ex alterutra parte in eadem tantum inaequalitas pulſus ſuboriri poſſit, & ipſe indicat clariſſimus Vir Knips-Macoppe in Patavina celeberrima Univerſitate Medicinae Profeſſor

feſſor famigeratiſſimus. (34) *Ita dextero pulſu inalterato* (inquit ipſe) *ſiniſtrum tantum inordinatum a Compreſſis Arteriis ſubclaviis, ob apoſtema ſub axillae ejuſdem lateris glandulis obſervavit Pannarolus &c.*

CXXVIII. Nec tantum *ſubclaviae* Arteriae, ob fortem adhaeſionem tumefacti *Pulmonis*, compreſſiones fiunt, unde inaequalis ibidem, ut diximus, pulſus evenit: verum & Nervi quoque iiſdem canalibus uniti pari modo comprimuntur: quare & tremores, & dolores, & conſentientis partis contractiones, tumores *oedematoſi*, atque etiam impotentiae ad motum, ſuſcitari poſſunt. Sic ob eandem cauſam Nobilis Dominus Chriſtophorus de Muſſiis prope Divi Philippi Nerii Eccleſiam degens, quondam maximo derepente tremore in dextero brachio correptus fuit, cum ex eadem parte *ſuppuratio* in *Pulmone* facta eſſet, cum *acuto*, & *gravativo* ſimul dolore fere ſemper ſuperius ſub *Clavicula*, uſque ad *jugulum* protenſo. Tremor iſte, & dolor paulatim evanuit diſſolventibus variis, atque laxantibus ſimul extrinſecus adhibitis remediis, atque praeſertim puris maxima copia per *exſcreatum* educta, cujus ope affectus *Pulmo* a gravi, quo prius tenebatur, *infarctu* liberatus, non amplius conſentientes nervos comprimere poterat. Non hinc tamen ex toto illico convaluit, relicta forſitan in affecta parte non modica laeſione ab excretis *purulentis*, a vocis raucedine, Tuſſi, & ſpirandi difficultate identidem magis, magiſque vigente &c. ſatis indicata; quod plerumque poſt *ſuppuratorios* Pectoris morbos evenire, quilibet noſcit. Hinc quoties major copia puris in affecto Pulmone concreſcebat, nova ſtatim fiebat nervorum compreſſio, unde denuo aut tremor, aut languor in eodem brachio inſurgebat, quod in ipſo pluries obſervavi.

CXXIX. E *Lymphaticarum* genere eo magis *Pleuritides* iſtae dignoſci, praeter dicta, poterant a mucoſa tenaci admodum cruſta, quae in educti ſanguinis ſuperficie ſemper exiſtebat, quae modo magis, modo minus albicans erat, modo virenti, aut intenſe flavo colore intincta, juxta varias ipſius lymphae conditiones alias, quas poſtea proponemus. Interim non abs re hic erit peculiares meas ſubjungere ſpeculationes, atque obſervationes praeſertim, quas ad hujuſce *pleuritici corticis* intimum magis examen perficiendum neceſſarias quammaxime eſſe arbitratus fui. Non modici enim momenti in curatione *Pleuritidum* a ſanioribus Practicis habetur hujuſcemodi contemplatio, a qua, veluti tutiore fundamento, ſanguinem ſatius detrahendi, tum & de exitu morbi firmius praedicendi rationem ſcrupuloſe admodum ipſi deſumebant.

CXXX. Tanti fecit ſolertiſſimus Baglivius hujuſce *pleuritici corticis* tempeſtivam apparitionem in emiſſo ſanguine, ut aperte monuerit, quod (35) *In Pleuritide, Peripneumonia, & hujuſcemodi inflammatoriis Pulmonum morbis, ſi in ſanguine è vena*



(34) *Knips-Macoppe Epiſt. de Aortae polypo.* (35) *Baglivius Cap. de Pleuritide.*

*ſecta extracto non appareat in ſuperficie cruſta alba, quae neceſſario apparere debet, peſſimum; materies namque illa cruſtam efficiens in Pulmone remanet.* Licet clariſſimi hujuſce Viri accuratiſſima obſervatio veritati affinis plerumque eſſe comperiatur, nonnulla tamen ſuper hac non incongruum erit adjungere, quae novis ultro a me toties habitis obſervationibus inhaerentia, rem magis magiſque illuſtrare poterunt, novaſque clinicis Medicis ratiocinationes, atque cautiones praebere, non ex toto fortaſſe ſpernendas.

CXXXI. In primis autem nunquam concedam, quod haec *cruſta* in quocunque Pectoris *inflammatorio* morbo apparere debeat, ut ipſe abſolute aſſerit. Quotidiana enim experientia ſatis docet, ſaepe graviſſimas occurrere *Pleuritides*, in quibus ſanguis eductus nullum penitus praeſefert *pleuriticum corticem*; & tamen non raro fauſtum ſortiuntur exitum. Expedit itaque primo accurate diſtinguere, an Pleuritis vere, aut primario ſaltem, a ſtagnante in *Pulmonum* confiniis lympha dependeat (cujus indolis *Pleuritides* a me jam ſupra obſervatas fuiſſe breviter indicavimus) an vero Sanguinis veram concretionem in aliqua Pectoris parte, ut in *Pulmone* maxime, factam ſubſequatur, unde tumor *Phlegmonodes* ſuboritur, cujus peculiares obſervationes paulo poſtea ſubjiciam. Aliud enim eſt, meo judicio, quod ſanguis in *pulmonaribus* vaſis reſideat, atque concreſcat, quia, facta a circumaffluente, & coagulata lympha forti compreſſione, vaſa conſtringantur, atque neceſſaria *elaſtica* vi ſua inde fraudata, *circulantis* per ipſa ſanguinis motum ſolicitare neutiquam poſſint; maxime cum etiam, arctatis ob eandem cauſam *bronchialibus* tubulis, ſufficiens aeris in *Pulmones* idonea trajectio non habetur, a qua, juxta communem ſententiam, vi quaſi *concuſſionis*, *circulatorii* ſanguinis motus perennitas, atque juſtum moderamen habetur: Aliud eſt quod Sanguis abſque *lymphatica* dicta cauſa a ſuo motu ferietur, indeque ad concretionem ſucceſſive in *Pulmonibus* tendat.

CXXXII. Si lympha craſſior, atque ad coagulationem tendens pro cauſa *Pleuritidis* habeatur, tunc verum eſt, quod *neceſſario apparere debet cruſta alba*, quae *lymphaticam* ſpecialem ſanguinis diſpoſitionem indicat. Id enim, & in aliis peculiaribus Morbis a lympha primario ſubortis evenire, cuique notum eſt. Sive ſit *Pleuritis*, ſive *Rheumatiſmus*, ſive *glandulares* quilibet alii ſint etiam morbi ab eadem lympha pendentes: qui inter ſe ratione tantum affectae partis differunt, atque plus, minuſve ſunt metuendi; dum aliunde omnium generalis eadem eſt cauſa. Hinc nil mirum eſt, quod doctiſſimus Sydenhamius diſtincte adnotaverit, quod in *Rheumatiſmo* detracti Sanguinis color (36) *Pleuriticorum ſanguini tam eſt ſimilis, quam Ovum Ovo &c.* Inſuper in hoc caſu verum eſt, quod ſubdit idem Baglivius loco ſupra citato, quod nempe tunc peſſimum ſignum

(36) *Sydenh. de Rheumatiſmo Cap. 5.*

ſignum ſit, quod haec cruſta non appareat eo, *quia materies illa cruſtam efficiens in Pulmone remaneat*. (37) *Bonum autem ſi altera miſſione incipiat apparere*. Si enim lympha illa in Pulmonum confiniis reſidens concreta taliter ſit, ut nil penitus diſſolvi poſſit, atque ad *circulatorium* motum diſponi, ut denuo ſanguini adjuncta cum ipſo educatur, atque in ejuſdem ſuperficie appareat: peſſimum & perquam lethale ſignum eſt, inevitabilem certe in hujuſcemodi circumſtantiis mortem praedicens.

CXXXIII. Aſt, ut verum fatear, impoſſibile pene mihi videtur, quod *cruſta* illa *pleuritica* non appareat, quoties *lymphatica* vera ſit *Pleuritis*. Etenim certum mihi, ratumque eſt, non ſolum craſſam lympham illam tunc in Pectoris partibus, ſive contentis, ſive continentibus, ſive utriſque ſimul variis modis concreſcere: ſed ejuſdem etiam portionem aliam cum ſanguine quaqua verſus per totum Corpus in circuitum agi: unde dum ſanguis exit, neceſſario partem proportionatam ejuſdem lymphae ad concretionem tendentis ſecum ſimul afferet, quae in refrigerati poſtea ſanguinis ſuperficie manifeſtabitur. Quod autem, dum *lymphaticae* iſtae concretiones in Pectore occaſione *Pleuritidum* fiunt, in tota ſimul ſanguinis maſſa ejuſdem lymphae magna copia adſit, ſatis ſuperque ex *Pleuriticorum* diſſectis Cadaveribus didici. Porro nunquam *Pulmones* mucoſa hac lympha intime ſaturatos, eorundemque extimam ſuperficiem, ſicuti & *Pleuram* ipſam variis modis plus, minuſve involutam eodem *lymphatico* glutine inveni: quod ſimul & *Pſeudo-polypoſae* concretiones in dextero praeſertim Cordis ſinu, & auricula, in *Pulmonum* vaſis, in Vena Cava, atque ejuſdem ſuperioribus, & inferioribus truncis, uſque ad *Emulgentes* quandoque protenſae in conſpectum non venerint; dum ſimul & ipſe *Pericardii* liquor a nativa maxime fluiditate ſua deflectens non raro praetermodum craſſior factus, ac fere concretus, partim internae ejuſdem ſuperficiei adhaerens inventus eſt: ut omittam & *Pſeudo-polypoſas* minores concretiones in *Durae Matris* ſinibus, atque in aliis *Cerebri* ſanguineis vaſis obſervatas.

CXXXIV. Quae nam autem tutior haberi unquam poteſt conjectura, ut clarius pateat, quod in *lymphatica Pleuritide*, dum Pectoris partes a lympha hac concreſcente maxime vinciuntur, eadem in toto ſanguine militet *lymphatica* morboſa diſpoſitio, quae ideo in Pectore crudelius ſaevit, & copioſius reſidet, quia eo tendit reflua a toto ſanguine lympha, atque per proprios ductus ibidem affluentius, quam alibi ſeparatur, ibidemque ad coagulationem eo facilius diſponitur, quo immediate magis extrinſeci ambientis aeris rigidioris vim patitur, ob indeſinentem ejuſdem in *Pulmones* irruptionem? Verum, dum non a craſſeſcente, & reſidente lympha, ſed a vera ſanguinis, ut ajunt, ſtaſi in *Pulmonibus Pleuritis* ſubolitur (quod ſaepe evenire ex ſequentibus patebit) fruſtra *pleuriti-*



(37) *Baglivius in appendice de Pleuritide.*

*cum corticem* anxie expectamus: quin immo rutilantem conſpicimus ſanguinem, in quo plerumque modica ſeri quantitas ſecernitur. Unde & hujuſcemodi *Pleuritides* ad exitum, aut *ſuppuratione* facta, aut per *reſolutionem*, aut alio modo quandoque abſolute perveniunt, quin ne minima quidem hujuſce *cruſtae* nota in Sanguine antea apparuerit.

CXXXV. Attente ideo in *Pleuritidibus* quibuslibet diſcernere oportet ſemper ex congruis ſignis, an *Lymphatica* vere ſit primaria earundem cauſa, an vero a ſanguinis genuina concretione proficiſcantur, anteaquam de conditione educti ſanguinis ullum proferamus judicium; quod maxime, & ad tutiorem prognoſim confert. Quoties ideo abſque *cortice* hujuſcemodi rutilantem ſanguinem in *Pleuriticis* eductum quiſpiam attendat, atque aliunde ex ſputis maxime, & urinis &c. de *ſanguinea* concretione ſuſpicionem ultro habeat, timeat maxime Medicus, dum hinc in maximo vitae diſcrimine AEgerotus verſatur; praeſertim cum ſumma ſpirandi difficultas, pulſus concitatus admodum, parvus, & durus &c. univerſalem in *Pulmonibus ſtaſim*, ut ajunt, aut magna ex parte in ipſis factam denotent, conſuetis aliis accedentibus ſignis, de quibus infra agemus, ſpeciales de hiſce obſervationes afferendo.

CXXXVI. Hinc dilucide ſatis evincitur, ut ſupra diximus, quod eadem penitus ſit mucoſa materies in ſuperficie detracti ſanguinis apparens, ac illa, quae in Cadaveribus *Pleuram*, & *Pulmones* obvolvere videtur, eorundemque *Parenchyma* undecunque pervadit, atque in tumores attollit varios: Sicuti & illa, quae in Canalium majorum, & Cordis cavitatibus accumulata *Pſeudo-polypoſas* illas concretiones producit. Toties enim mucoſa haec craſſamenta attente conferens mutuo, de hoc certior factus ſui; ita ut aliunde *phaenomenon* hoc explicari melius poſſe abſolute diffidam. Id ipſum aſſerit praeclariſſimus Malpighius, dum ſic effatur: (38) *Eſt obſervatio certa in Pleuriticorum ſanguine reperiri quantitatem cujuſdam ſubſtantiae albae, ac ſolidae, uti lardum, quae in ſuperficie ſanguinis extracti, & etiam inter partes rubras illius intercepta obſervatur; quin immo in Cadaveribus viſa fuit dictae materiae copia in vaſis Pulmonis, & Cordis repraeſentans Polypum, aut Cornu Cervi. Hoc corpus ſane non eſt Pituita, quoniam non eſt aqueae naturae, nec eſt res conſueta, ſed quidem portio Seri, aut Succi nervei, qui ob diſpoſitionem, quam habet, in hujuſcemodi morbo ad congelandum, ſeu ob defectum illius principii, quod mixtionem ſervat, ſeu ob vitium fermentationis, ſeu ob aliam cauſam, quam neſcimus, congeſtus praecipue in aliquo Pulmonis lobulo, ejuſque minimis vaſis, prohibet motum ſanguinis, qui pertranſire deberet, producitque abſceſſum in una, aut pluribus partibus Pulmonis &c.*

CXXXVII. Licet, meo judicio, impoſſibile captu evadat, prout & Auctor iſte perſpicaciſſimus innuit, quod nam vere ſit principium illud *coagulativum*, quod in *Pleuriticorum* ſan-

(38) *Malpighius op. poſt.*

ſanguine, & lympha ſpecialiter dominari, nemo inficias iverit; Non abs re erit peculiares a me ſuper hac re factas obſervationes hic adducere. Dum in educto mox a *Pleuriticis* ſanguine, atque in duobus vaſis recepto, in alterutro ex hiſce nitroſi liquoris portionem immiſi, mirabile viſu fuit, quod, praecipitatis illico rubicundis ſanguinis globulis, reliqua ſanguinis portio in mucoſam quandam ſatis craſſam, fere albicantem ſubſtantiam abierit, quae pluſquam medietatem totius ſanguinis aequabat; dum interim reſiduus ſanguis dicto carens liquore, juxta conſuetudinem paulatim coagulari viſus eſt, modica admodum ſecreta Seri portione, ſuperpoſita conſueta *pleuritica cruſta*, quae multo minus craſſa, quam in primo vaſe remanebat. Id terque quaterque, cum aliis expertus fui; quod cum pari pacto alias non ſemper eveniret, non a nitroſi liquoris diverſa actione tantum, ſed a varia diverſi ſanguinis, in quo periculum faciebam, diſpoſitione petendum id eſſe, arbitrabar. Alia etiam expertus fui, varios addens emiſſo nuper ſanguini liquores alios, unde variae emergere videbantur ſanguinis mutationes, propter quas plus, minuſve rubrorum globulorum praecipitatio fiebat. Quod nitroſum principium, aut aliud non abſimile, Aquilonaribus dominantibus tunc ventis, in aere vigens quid ſimile in ſanguine praeſtare poſſet, atque hujuſcemodi lymphae copioſas magis ſecretiones, concretioneſque progignere, non abs re fortaſſe erit ſuſpicari, quod fuſius hic non vacat explicare. Id conforme ex toto eſt allatae ſupra ſententiae clariſſimi Jacobi Keilii, a quo didicimus, hyemis tempore (quod magis in aquilonari conſtitutione verum eſſe comperietur) *frigorificas* quaſdam vigere particulas, quae una cum aere poros cutis pervadendo, ſanguinemque ſimul, peculiares ipſius particulas ad coagulationem magis diſpoſitas (lymphaticas fortaſſe melius, & facilius) maxime figunt, ſtrictioremque earundem *copulam* efficiunt: a quo unice, potioreque ratione, tum *pleuritici* dicti *corticis*, tum *pſeudo-polyporum* dictorum, tum & aliarum quarumcunque *lymphaticarum* concretionum in Pectore exiſtentium magis veriſimile principium derivatur. Quidquid ſit de hoc, ſatis hic ſit innuere, quod ab hac praecipitatione rubrorum globulorum in Sanguine, ſeu melius ablutione fibroſae ejuſdem ſubſtantiae, hujuſce *cruſtae* principium deducit celeberrimus Malpighius in diſſertatione de Polypo, in qua cum Sydenhamii explicatione convenire videtur. Dicit etiam ibidem, quod *cruſta* haec ab aliquibus habita fuerit pro chyli portione, mox pro ſucco nerveo, mox pro puriore ſanguinis parte &c.

CXXXVIII. Quod autem concretiones iſtae omnes, quas ex eadem penitus proſapia eſſe arbitramur, vere ſint lymphae glutinoſo principio praeditae craſſamenta, ſeu melius concretiones, ultro cuique ſatis patebit, ſi eductum ſtatim a *Pleuriticis* ſanguinem, anteaquam frigeſcat, ſimulque, dum frigeſcit, ſedulo

dulo attendat. Mirabile enim tunc viſu eſt, quod dum tota illa ſanguinis fluida maſſa ad coagulationem diſponitur, ex gravitatis lege, primo graviores ſanguinis fibroſae partes fundum petunt, ſimulque uniuntur: eodemque tempore *lymphaticae* leviores in ſpecie ſuperius tendentes in extima ſuperficie paulatim concreſcunt, & *cruſtam* firmant. Tamque tenax quandoque eſt *lymphaticum* hoc gluten *corticem* hunc conſtituens, ut, dum concreſcens cum tota fibroſa ſanguinis portione in minorem reducitur circulum, quam ſit *peripheria* vaſis circularis, in quo continetur, ſuperficiei ejuſdem vaſis internae mediis tenacibus fibrillis ita adhaereat, ut ab ea, licet aliquantulum recedens, ex toto liberari non tam facile poſſit. Inſuper *lymphaticae* hae moleculae inter ſe tam ſtricte, tam intime uniuntur, atque ope dicti glutinis ita devinciuntur, ut emergens inde *circularis cruſta elaſticam* fere nanciſcatur vim, propter quam, ad centrum exterius undecunque contranitendo, concavam efficere utplurimum ſuperficiem videatur, quae tunc magis plana evadit, quo minus craſſa, minuſque tenax *cruſta* fit, parem & in concreſcente intra corpus lympha conditionem indicans.

CXXXIX. Suppoſito hoc glutinoſo forti admodum principio, ſatis patet, quomodo haec eadem lympha intra vaſa ſenſim, & ſine ſenſu *pſeudo-polypoſas* concretiones dictas producere facile poſſit, nil penitus obſtante perenni *circulatorio* Sanguinis motu. Placet autem mihi hic ultro accuratiſſimi Sydenhamii animadverſiones de hac eadem *pleuritica cruſta* breviter adjungere, atque ex habitis obſervationibus ad trutinam ſedulo revocare. Dum praeclariſſimus hic Auctor de hac loquitur, dicit illam eſſe puris aemulam, adinſtar ſevi liquefacti, cuticulae tenacis, & fibris refertae formam exhibentem. Statuit inſuper, quod nihil aliud illa ſit, (39) *quam fibrae ſanguineae, quae rubicundo, ac naturali ſuo integumento per praecipitationem exutae, ambientis aeris frigore in membranam hujuſcemodi ſubalbidam concrevere*. Niſi praevia adeſſet mucoſae exuberantis Lymphae ad fortem coagulationem diſpoſitio, quam diſtincte in hiſce morbis adnotaſſe Malpighium, jam ſupra indicavimus: nunquam intelligere ſatis ullus poſſet, unde nam talis *cortex*, qui quidem multo magis tenax eſt, quam tota fibroſa ſanguinis concreta maſſa, *ſolo ambientis aeris frigore*, ex fibris tantum ſanguineis conſtrueretur. Nulla enim, meo judicio, potior adeſſet ratio, quare in uno potius, quam altero Corpore talis praecipitatio fieret, cum utriuſque eductus ſanguis ab eodem aeque rigidiore aere verberetur. Inſuper ſi conſimiles concretiones tum in Cordis cavitate, tum in majoribus vaſis, atque circa *Pleuram*, & *Pulmones* fieri obſervavimus; etiamſi hae partes non aeque, ac eductus ſanguis coagulantem aeris vim patiantur; Certe hinc ſtatuendum neceſſario eſt, aliam in ſanguine reperiri cauſam,

(39) *Sydenham. Cap. 3. de Pleuritide.*

cauſam, praeter aeris frigus, propter quam concretiones hae fiant: quam quidem ex dictis patere ſatis conſtat, poſita praeſertim peculiari Lymphae ad concreſcendum diſpoſitione, quam in toto quoque ſanguine hiſce morbis praeviam, & ipſe indicavit doctiſſimus Ramazzinus in conſtitutione anni 1691., factas ſimul de inventis Cordis *polypis* majorum vaſorum incolis obſervationes in *Pleuriticorum* cadaveribus referens.

CXL. Non ibo tamen inficias, quod iſtarum concretionum cauſa, praeter dicta, ad ipſius etiam rigidioris aeris conditionem ſit omni jure referenda, pro ut ſupra, cum doctiſſimo Jacobo Keilio adnotavimus. Namque id ſpecialiter teſtari ultro poſſunt, *lymphaticae* tenaces concretiones, quae in extremitatibus pedum, & manuum (ubi major diſtantia adeſt a Corde, ac proinde alia etiam ultro de cauſa minor humorum velocitas) occurrunt, *Perniones* dictae, quae hyemali ſemper tempore frequentius in Puerulis accidunt, quorum fibrillae, utpote minus rigidae, minus per conſequens ſunt elaſticae, minuſque idoneae, ut ſtagnantes humores ad motum juxta neceſſitatem ſolicitent, parique ratione *frigorificis* aeris permeantibus moleculis facilius aditum concedunt. Praeterquamquod, caeteris paribus, majorem in Pueris, quam in adultis *lymphatici* humoris copiam adeſſe putandum eſt, quare & facilius in ipſis, quam aliis concretiones hae in Pedibus exſurgunt, foventur, atque magis magiſque firmantur. Addendum hic id ultro eſt, quod de *Pleuritici* hujuſce ſanguinis apparitione diligenter ſe obſervaſſe teſtatur accuratiſſimus idem Sydenhamius, dum ſic admonet: (40) *At vero (ut id obiter attingam) animadvertendum eſt, quod ſi ſanguis è ſecta vena non recto flumine verſus horizontem proſiliat, ſed per cutim repens perpendiculariter dimanet, ut ut celeri ſe proripiat gradu, ſaepe tamen ad dictum colorem non accedit, cujus ego me cauſam neſcire fateor. Neque AEger ab iſtiuſmodi ſanguinis miſſione perinde levatur, ac ſi modo primum deſcripto fluat. Quin immo cum hoc ipſo modo extrahitur, ſive orificium anguſtius, ſive quid aliud obſtiterit, quo minus pleniore exeat gurgite, neque hic ſanguis Pleuriticorum ſanguinem colore aemulatur, neque AEger par exinde commodum capit.*

CXLI. Quod, dum ſanguis a puncta vena pleno, expedito, gurgite non fluit, ſed per cutim repens lente admodum proſilit, non aeque facile *pleuriticum* praeſeferat *corticem*, ſeu colorem: de hoc certior nondum ſatis fieri ex ſufficientibus obſervationibus potui; quare de hoc fides ſit penes tantum Virum. Hoc unum innuam, quod, anteaquam ſuper educti ſanguinis conditione hac firmum quiſpiam praeſtare judicium tentet, animadvertendum ſedulo eſt, atque ex congruis ſignis recte primo ſtatuendum, ut ſupra dixi, an vere *Pleuritis ex lymphaticarum* genuina progenie ſuborta ſit, an vero potius ſit ex aliis pejoribus, quae veram ſanguinis concretionem in

*Pul-*

(40) *Sydenham. Cap. proprio de Pleuritide.*

*Pulmonibus* factam immediate ſubſequuntur. Si *Pleuritis* ex hiſce vere ſit, quas *ſanguineas* merito appellandas eſſe ſtatuimus; incaſsum expectabit Medicus *pleuriticum corticem*, qui nunquam apparebit, ſive Sanguis è vena lento maxime profiliat motu, ſive libere pleno gurgite prodeat, ſive alio quovis modo *perpendiculariter*, prout hic Auctor ait, aut non, ipſe procedat, ut ſupra obſervavimus. Verum ſi ad *lymphaticarum* cenſum tunc *pleuritis* ſit referenda, in quibus aut minor, aut major, craſſior, aut tenuior, aut alia quavis ratione varius *cortex*, juxta morbi diverſas diſpoſitiones, neceſsario apparere debet; non tam difficile eſt captu, cur in allatis a Sydenhamio circumſtantiis ſanguis conſuetis *pleuriticis* notis carere poſſit. Fortaſse enim dum per anguſtiorem ſciſsuram ſanguis prodire coactus eſt, mucoſa illa craſſior ſubſtantia cruſtam conſtituens exire commode nequit. Quod inſuper aeque facile intelligitur, ſi putemus, quod, dum per ſtrictius foramen ſanguis exit, ipſius componentes particulae plus aequo compreſsae, inter ſeſe mutuo magis uniuntur, devinciuntur, atque ita adhaerent, ut *lymphaticae* illae moleculae magis tenaces ab aliis ſe expedire nil penitus poſſint, etiamſi ſanguis jam eductus in conſueto vaſe reſideat. Id etiam evenire poteſt, ſi ſtatim ac ſanguis è vena defluxit, valide concutiatur, atque intime miſceatur, ut ſeparatio recto ordine non ſuccedat, quod idem hic Auctor ſe obſervaſſe notat, dicens: (41) *Obſervavi etiam, quod ſi ſanguis recens extractus, quocunque demum modo fluxerit, immiſſo digito agitetur, ſuperficie rubenti, ac florida, ut in aliis morbis quibuslibet, ſpectabitur.*

CXLII. Rationem hanc confirmat urinarum diligens inſpectio. Etenim iſtae in tumultuoſa ſanguinis validiore concuſſione, in ſummo praeſertim vigore febris, ſeparatae nullum contentum oſtendunt, ſed confuſae, & perturbatae maxime vario modo apparent; eo quia a tali validiore concuſſione contentorum particulae intimæ miſcentur cum reliquo urinoſo latice, ut neque vi ſpecificae propriae gravitatis, dum urina in Matula conquieſcit, aliae ab aliis ſeparari commode poſſint, atque congruis ſuis locis aptari: quod quidem veteres Medici a vi *concoctrice* debili, occaſione Morbi, reddita, minus haeſitanter derivarunt. Quod vero AEgrotus par exinde commodum non capiat, quando minus pleno Sanguis gurgite in *pleuritidibus* educitur: manifeſte ex ſe patet. Tunc enim reſiduus in venis ſanguis non ita ad motum inde ſolicitatur ultro, pro ut requiritur, ut ex adjuncta nova velocitate, ipſius portio, quae in affecta parte reſidere putatur, majore inde congruo addito momento, ad motum urgeatur, ut ſucceſſive circumpoſita ſubiens vaſcula, cum reliquo *circulatorium* iterum aſsumere motum poſſit. Cuique enim notum eſt ſanguinis emiſſionem in hiſce, ſicuti & in aliis *inflammatoriis* morbis, ideo conferre;

(41) *Sydenh. Cap. proprio de Pleuritide.*

re ; tum quia copia ſanguinis imminuitur, majoreque canalium facta capacitate, commodior inde rarefactioni reſidui ſanguinis, ejuſdemque neceſsariae diſsolutioni locus conceditur ; tum quia totus, qui ſupereſt ſanguis, velocius pari ratione movetur, juxta citiorem, tardioremve motum, quo a puncta vena ſanguis proſilire valet.

CXLIII. Hinc non ſatis percipio, cur ſolertiſſimus Pitcarnius tam ſcrupuloſe in hiſce morbis jubeat, ſanguinem ſemper ab oppoſita parte mittendum eſse, ne ab affecta eductus, ad eandem concitatiore motu reſiduum ferri cogat : quod quidem neceſsarium aliunde eſse videtur, ut novo hoc adjuncto, ob velocitatem adauctam, momento ſanguis affectam ſubiens partem, in ſtagnantia fluida majorem faciat impetum, eaque facilius ad motum ſolicitet, ſolida ſimul ad validiores *oſcillationes* cogendo : in quo unice conſiſtit magis tuta, magiſque expedita morbi ſolutio. Fateri tamen hic poſsum, quod licet ut plurimum, ob allatam rationem, ab affectae partis latere ſanguinem tunc educi juſserim, aeque feliciter res pro votis mihi etiam ceſserat, dum oppoſiti brachii venam aperiri imperaveram, quod data opera toties fieri ſatius duxi, ut ex repetitis obſervationibus tutius obtinerem judicium, ad ſcrupuloſas haſce quaeſtiones rationabilius dirimendas, in quibus cavillari nimis conſueverunt veteres praecipue Medici, inter quos varii varia ſentire viſi ſunt.

CXLIV. Hollerius tamen aperte ſtatuit, ſemper venam ex eodem latere affecto ſecandam eſse. Id congruit cum divini ipſius Senis effato, aſserente Valleſio, oppoſitum tuentibus Avicenna, aliiſque Arabibus, unde Valleſius ſic ſtatuit : (42) *Verum jam omnibus fere ventum eſt in ſententiam Graecorum, ſecaturque jam ubique in brachio lateris affecti*. Andreas Veſalius, pro ut idem refert Hollerius, *Jecorariam* ſemper venam brachii dexteri ſecandam eſſe certo arbitrabatur: quod ideo merito praeſtandum eſſe ipſe putat, quia ex parte dextera venam *Azygos* venae Cavae trunco implantari animadvertit, atque per illam facile *pleuriticam* materiam retrahi poſſe opinatur. Hujuſce opinionis examen idem Hollerius accuratiſſime profert (43) eamque ſolidiſſimis rationibus ab Anatomia petitis funditus evertit.

CXLV. Quidquid ſit de hac controverſia : ego iterum dicam, me alias perſaepe, atque in hac potiſſimum conſtitutione obſervaſſe, ſanguinis emiſſionem non ſolum abſque ulla noxa, verum etiam cum aequali AEgrotorum levamine ſemper evaſiſſe, ſive vena è latere oppoſito, ſive ex eadem parte ſecaretur ; dummodo congrua fieret ſanguinis emiſſio, juxta vim morbi, atque AEgrotorum tolerantiam ; quod quidem in quacunque *Pleuritide* obſervavi, atque *circulationis* ſanguinis doctrinae magis conſonum videtur.

(42) *Valleſ. Com. de rat. victus in morb. acutis*. (43) *Holler. de Morbis internis lib.* 1. *Cap.* 26.

videtur. Id unum dicam, quod, poſt celebratam ſanguinis emiſſionem ex alterutro brachio, atque etiam ex utroque, ſi opus eſſet, proficuum maxime expertus poſtea ſemper ſui, venam Pedis aperire; quicunque ille vere ſit modus, quo hujuſcemodi ſanguinis emiſſio prodeſſe a quamplurimis putetur: ſive per revulſionem, ſive non: de quo hic non vacat ultro verba facere. Addam etiam, quod, quandoque ad vehementiores *pleuriticos* dolores ſedandos, praeſertim externos, uſus ſum utiliter *cucurbitulis ſcarificatis* parti eidem affectae appoſitis, quarum ſuctionis magna vi concreſcentes humores ad motum illico ſolicitari poſſe, ex ſe patet; propter quod & veteres Medici eodem hoc praeſidio feliciter uſi fuerunt, tum in hiſce caſibus, tum in *Angina* maxime contumaci, aliiſque *inflammatoriis* morbis non procul a Cute firmatis. In *Angina* autem magis periculoſa, aliis praehabitis conſuetis praeſidiis, ſub Mento, prope *Thyroideas* glandulas apponere *cucurbitulas* haſce conſuevi, & quidem cum manifeſto levamine, atque ſubita Morbi ceſſatione: de quo iteratis toties obſervationibus certior fieri potui. Id ipſe ſe quampluries obſervaſſe fatetur eruditiſſimus Antonius Franciſcus Bertini (44) quondam Medicinae Profeſſor praeclariſſimus Florentiae, ſub cujus diſciplina ſolidioris Practicae medicae fundamenta ego ibidem jeci, conferentibus ad id mihi quamplurimum ſanioribus documentis praeſtantiſſimi ejus Filii Joſephi Bertini mihi amiciſſimi, qui nunc inter clariſſimos Florentinos Clinicos Medicos eximia virtute floret.

CXLVI. Attamen ex repetitis obſervationibus, atque allatis ſupra rationibus, ſtatuere certo poſſum, primarium, praecipuumque *Pleuritidum* auxilium, ſicuti & in *inflammatoriis* quibuſcunque morbis, a ſanguinis emiſſione ſperandum merito eſſe; maxime ſi ex patente ſatis inciſione fiat, ut liberiore, atque ſolicito magis motu ſanguinis eductio ſuccedat. Non hinc tamen quis unquam putet, me ſupervacaneas, atque plus aequo copioſas, ſeu fere ad animi deliquium iteratas emiſſiones ſanguinis laudare, uti cum veteribus Medicis nonnulli ſentiunt, & faciunt. Scio enim, quod, quo magis viribus ſic deſtituitur AEgrotus, eo minor pari ratione remanet vis reniſus in ſolidis partibus ad concreſcentes diſſolvendos humores, eoſque ad motum ſolicitandos. Habita ideo ratione morbi, & roboris affectorum Corporum, ſive quantitatis ſanguinis ſpecialiter attendendae, ſāguinem plus, minuſve expedit mittere, ne quis nos merito arguat cum doctiſsimo Ramazzino, dum ſic exclamat: (45) *Quot vero modis per venae ſectionem peccatur? Jam Phlebotomus, veluti gladius delphicus, paſſim tam in magnis, quam in levibus morbis ſtringitur, ad innocentes victimas ſaepius mactandas, quam graves affectus jugulandos.* Si tamen unquam in *Pleuriticis* copioſam magis ſanguinis emiſſionem convenire merito putandum ſit: id maxime evenire arbitrarer in *Pleuri-*

(44) *La Medicina difeſa p.* 240. (45) *Ramazzin. diſſert. de conſtit. anni* 1691.

*Pleuritide* potius vera *ſanguinea*, (de qua fuſius infra diſſeremus) quam in *lymphatica*; in illa nempe, quae primario a ſanguinis, genuina concretione, non vero a lymphae congelatione ſuboritur: tunc ma ime cum eductus primis vicibus ſanguis modicam admodum Seri portionem in vaſe ſecernit, nullamque recenſiti toties *pleuritici corticis* notam exhibet. Caeterum, ut ſummatim loquar, certo aſſerere hic poſſum, *Pleuritides lymphaticas* haſce fere omnes tunc fauſto plerumque omine ad exitum perductas eſſe, earundemque curationem me paucis admodum remediis compleviſſe. Etenim poſteaquam pro indigentia, ſanguis detractus ſatis fuerat, ſolis externis fomentis, atque internis *pectoralibus*, vulgo dictis, potionibus copioſe, & calide aſsumptis totam operam adimplebam, reliquum operis ſagaciori naturae perficiendum relinquens, dum ipſius greſsus attente admodum perpendebam.

SECTIO

# SECTIO SECUNDA

## CAPUT TERTIUM

*Pleuritis Lymphatico-biliosa, ubi & de variis Pulmonum cum Pleura, aliisve Pectoris partibus adhaesionibus; de cortice pleuritico iterum; de Pseudo-polypis; de Pleuritidum diversa sede, atque exitu vario; de earundem symptomatibus, & curatione.*

CXLVII. AD *lymphaticarum* classem reduci pariter poterant Pleuritides aliae, in quibus eductus sanguis non albicantem, ut plerumque solet, & diximus, sed flavo, aut *flavo-virenti* colore infectam *crustam* proferebat: cujus pariter coloris sputa quoque ipsa videbantur. In hisce autem satis patebat exuberantis bilis dominium, quae cum lympha commixta, atque in Pectore crassescens, congelataque morbum constituebat. Ex repetitis namque toties Cadaverum dissectionibus satis didici, ejusdem pene indolis semper esse, & sputa, & *pleuriticum corticem*, & mucosas concretiones in Pectore factas, a quibus morbus provenit; ita ut ante sputi apparitionem, educti sanguinis attento colore, futurorum sputorum, & residentis in Pectore lymphae conditionem certe semper praedicere potuerim. *Pleuritides* hae, quas ideo *lymphatico-biliosas* appellabam, frequentius, & gravius corripere visae sunt cachecticos maxime, aut obesos, aut biliosos praesertim Homines, liberaliori Vini usui indulgentes, aut cujuscunque generis eduliis large, atque inconsiderate utentes. Quamobrem hisce Milites fere omnes, quos in Nosocomio nostro curandos tunc habui, detentos plerumque graviter vidi. Caeterum hujusce indolis *Pleuritides* non aeque facile, ac aliae supra descriptae *lymphaticae simplices*, per sudorem solvebantur: cum non raro per biliosas dejectiones, aut per copiosas croceae urinae excretiones, non neglectis tamen biliosis sputis, solverentur. Unde non eandem penitus in hisce, sicuti & in aliis, semper curationis methodum servandam esse, satis superque novi. Neque istae aeque facile ad exitum perducebantur, cum minus salutare praesagium utplurimum proferrent.

CXLVIII. Non hic diutius immorabor, ut distincte ostendam, quo

quo nam modo bilioſus iſte humor a conſuetis *promptuariis* ſuis ad Pectus aſcendere poſsit, ibidemque cum lympha concreſcere. Nondum enim ex diligentioribus obſervationibus, accuratiſque Cadaverum diſsectionibus conſtare ſatis potuiſse arbitror, an bilis haec per peculiares breviores vias a *biliariis* ductibus ad Pectus transferatur: an potius per conſuetum *Circulationis* tramitem cum univerſa humorum maſsa delata, ibidem cum lympha ſecernatur, atque reſideat. Satis ſuperque pro inſtituto meo eſse cenſeo, ſi de *bilioſis* hiſce *Pleuritidibus*, ſeu melius *lymphatico-bilioſis* ſpeciales a me factas obſervationes, adhibitamque a me in ipſis Methodum, quam fere ſemper utilem attendi, in medium proferam.

CIL. Statim ac in hujuſcemodi *Pleuritide* flavum ſputum primis diebus attendebam, cum amaritie Oris, ructibus, inanibus ad vomitum concitationibus, cum Inteſtinorum murmure, aut ſimilibus, in faginatis praeſertim Corporibus, largiori cibo omnis generis inconſulte indulgentibus, exuberantem ſimul in primis, ut ajunt, viis humorum copiam, atque bilis maxime dominium noſcens; ſtatim ad *Emeticum* confugere ſatius arbitrabar. Attamen cum ſatis noſcerem, quod quandoque, ob effraenatam *Emetici* actionem, contractis pari modo Inteſtinorum membraneis fibris, atque per conſenſum *meſeraicis* ſimul omnibus in violentas criſpationes adactis, coarctantur ibidem eadem ratione ſanguinei tubi, totaque ſanguinis maſſa pleniore gurgite ſuperiores, & Pectoris maxime partes ſubire cogitur, ubi minor ob eandem cauſam renixus adeſt (quod quidem ſicuti in alio quocunque morbo, ut ſupra oſtendimus, ita praeſertim in Pectoris affectionibus timendum magis eſt); Ideo primo deplenda eſſe ſatis vaſa, ope congruae ſanguinis emiſſionis, antecedente die jubebam. Hinc levius, tutiuſque ſeligens *Emeticum* remedium, ſummo mane ſufficientem *Ypecacuanhae* doſim ipſis propinabam, Adſtantibus ſimul indicans, ut, quoties AEgrotus, aut inanibus Vomendi conatibus detineretur, aut tenaces admodum, viſcidaſque materies difficile rejiceret, demulcentis pectoralis potionis iteratis vicibus ſumendae calide magnam copiam ipſi exhiberent, cujus ope, aut facilius vomere, aut per inferiora expurgari commodius poterat, vehementiorem ſic *Emetici* actionem evitando,

CL. Hujuſcemodi remedii beneficio res quandoque tam feliciter evadebat, ut immutata illico graviore morbi ſpecie, liberiore reddita reſpiratione, Pectoriſque imminuto gravamine, *ſymptomata* reliqua omnia leviora redderentur, atque facilior, magiſque copioſa *anacatharſis* ſubſequeretur. Hinc AEgroti jam de ſalute tuto ſperare ſe poſſe videbantur, cum antea in graviore morbi inſultu Mortis potius, quam vitae ſibi ipſis omen luctuoſe praefinirent. Neque haec ad jactantiam data opera prolata eſſe, ullus unquam putabit, ſi ex Praxi didicerit,

rit, in gravioribus quibuslibet Morbis, ſicuti & Pectoris maxime, naturam perſaepe admirabiles moliri *criſes*, & quidem in tam remotis, & variis partibus, ut nulla prorſus ex anatomicis ratiociniis congrua earum explicatio deſumi poſſit. Si quis autem in re tam obſcura, innumeriſque difficultatibus undecunq; ſcatente ratiocinandi locus mihi concedatur, ob duplicem cauſam in *Pleuriticis* hiſce *Emetici* uſum feliciter evaſiſſe exiſtimarem. In actu enim vomitus, concuſſis fortiter Pectoris internis partibus, totaque ejuſdem cavitate non modice quaſſata, concreta ibidem lympha commoveri, imminui, atque diſſolvi poterat, ſicque aptior reddi, ut partim circumpoſitos ſubiens *lymphaticos* ductus in aream circulationis provide redacta, nunc per Urinam, nunc per ſudorem ejiceretur; quod non raro tunc evenit: partim in *bronchiales* minores tubulos intruſa, indeque ad majores migrans, per *exſcreatum* educi poſſet: quod ſaepius eveniſſe novimus. Quod ſi bilioſum ſimul ſpectemus humorem ibidem cum lympha commixtum, atque ab inferioribus *biliariis emunctoriis* illuc quomodocunque derivatum: non minoris momenti alia emerget ratio, fauſtum adhibiti *Emetici* exitum indicans. Quo magis enim congruis auxiliis in hiſce morbis, tutis tamen praeeuntibus indicationibus, bilioſus exuberans humor ſic provide educitur, minor quoque ejuſdem copia affectas Pectoris partes ſubire valet. Addam ultro, quod dum de ſaginatis praeter modum Corporibus agebatur, depletis ſic *Inteſtinorum* cavitatibus, demptaque imi Ventris turgeſcentia, *Diaphragmatis* depreſſio facilius habebatur, ac proinde liberior reſpiratio. Id aperte teſtantur occurrentes paſſim in *Hypochondriacis* corporibus graves anxietates, quae ſola ventris idonea evacuatione ſtatim ſolvuntur.

CLI. Eo autem veritati magis affine habendum eſſe ratiocinium hoc arbitrarer, quo magis cum ipſius Hippocratis obſervationibus congruit, dum aſſerit, quod (46) *in doloribus Pleuriticorum utile eſt Alvum mollem eſſe*: quod fuſius in propoſitum noſtrum explicat Deſiderius Jacotius, innuens (47) *utile eſſe per dolores pleuriticos, ſi molliter Alvus feratur, non propter corruptionem alimenti, aut naturae irritum motum, aut Ventriculi, vel Hepatis in conſortium mali adducti offenſionem, quibus omnibus modis mollior Alvus Pleuriticorum periculoſa eſt, plerumque lethalis: ſed initio Morbi, propter materiae derivationem: in ſtatu cum ſignis concoctionis, propter ejuſdem criticam expurgationem*. Quid ergo mirum, quod ſi ex Oris amaritie, nauſea, vomitu, ructibus &c. bilioſi humoris turgeſcentia indicata ſatis eſſet, ob ejuſdem *derivationem* tutis praeſidiis promotam, melius admodum ſe habere AEgroti iſti manifeſte ſentirent? Quod autem iſtiuſmodi derivationem in allatis circumſtantiis primis morbi diebus blando *Emetico* promo-

(46) *Hippoc. in Coac. lib. 5. Sec. 2. n. 25.* (47) *Deſider. Jacot. in Com. ibidem.*

promovere congruum magis esset, quam per inferiora omnimode solicitata expulsione, ratio ipsa ex supra allatis animadversionibus satis indicat. Siquidem eodem tempore, quo per breviorem viam biliosi humoris expulsionem tentabam, ex succedente inde analoga concitatione, concrescentium in Pectore humorum necessariam commotionem, atque dissolutionem egregie, tutoque suscitabam.

CLII. Non eadem tamen semper in quocunque AEgroto, etsi *lymphatico-biliosa* hac *Pleuritide* detento, methodo curationem exordiebar; sed congruo habito respectu ad occurrentes peculiares circumstantias, saniores inde desumebam indicationes. Hinc si de gracili agebatur Corpore, tenui nimis humorum universa constitutione ditato, in nativa Pectoris angustia, cruentis praeviis sputis, ab *Emetico* totaliter abstinebam, optime conscius, quod, promoto hinc uberiore ad *pulmonaria* vasa sanguinis affluxu (maxime cum de laxa admodum canalium structura in corporibus haemorrhagiae assuetis ageretur) perquam facile vasorum lacerationes, & copiosae sanguinis eruptiones oriri poterant. Qua de re si aliunde tum ratione attentae Morbi conditionis, tum ex praegressis liberalioris nutritionis erratis, necessario ventris expurgatio indicata erat; Id praevio Oleo Amygdalarum dulcium, aut seminum Lini, adhibitisque successive laxantibus *anodinis* Clysteribus, perficere curabam. Porro sic, etsi remedio, quod ex toto par morbo esset, tunc non uterer, paulatim tamen aeque feliciter, quo magis tuto, expetitam humorum *derivationem* promovebam, contraindicantibus omnibus simul satisfaciens.

CLIII. Invalescente successive morbo, adauctisque inde non raro *symptomatibus*, iterum sanguinem ex Pede mittere satius existimabam, & quidem in congrua quantitate, quae simul, & vim morbi, & specialem AEgrotorum constitutionem adamussim respiceret. Non omittebam simul *pectoralium decoctionum* usum, in quibus unice, post sufficientem sanguinis emissionem, omnem conferebam spem: quippe cum & ratione, & experientia, & saniorbus simul Auctorum documentis ab omni praejudicio alienis satis noscerem, nil magis tutum, magisque efficax in hisce morbis remedium adhiberi posse, quam ferventium, fere dixerim, hujuscemodi potionum copiosum usum: cum hae & facilius per canales intrusae affectas subire partes citius possint, suaque attenuante, & scindente vi minima quaecunque partium interstitia pervadere, mucosamque lympham satis dissolvere, & permeabilem reddere. In hunc finem plerumque in usum revocavi decoctionem ex Rapa, Radice Altheae, Passulis, Jujubis, foliis Farfarae &c. cum seminibus Lini, quibus & flores Chamaemeli non inutiliter adjungebam, maxime cum dolor vehementius saeviret. Id autem peculiare fere semper in *lymphatico-biliosis* hisce *pleuritidibus* occurrebat, secus ac in *lymphaticis simplicibus*

*cibus*: quod dolor acutus magis esset utplurimum; pulsus adstrictus magis, durus, & concitatus; color faciei *flavo-rubescens*, cum majore universali agitatione, *symptomatumque* aliorum omnium vehementia, simulque cum aucta magis febri.

CLIV. Neque tunc mirum quidpiam erat attendere majorem hanc morbi vehementiam, cum peculiare adesset simul bilis dominium. Humor enim iste natura sua magis mobilis, magis activus, & penetrans, ubicunque consistat, partes magis distendit, fortiter aestuando, irritat, mordet, atque lacerat, magisque ardentem excitat febrim, atque magis acutos dolores, continentes solidorum fibrillas in violentiores *oscillationes* cogendo. Verum quidem est, quod non eodem modo in omnibus vigebat morbus iste, cum non semper eadem, aut aeque gravia *symptomata* dominarentur, plerumque ratione peculiaris sedis variae, quam in Pectore obtineret. Aliquando enim totus afficiebatur Pulmo, mox in superiore ipsius parte versus jugulum morbus firmabatur, mox in inferiore versus *Diaphragma*, mox in cava extima Pulmonis parte ad *Mediastinum*, mox in gibba ad *Pleuram*, mox utrobique. Alias simul *Pleurae* interstitia *pleuriticus* humor subibat, sive quia humor ab ipsa ad Pulmones derivatus esset, sive vice versa. Non raro & ab ipsa *Pleura* ad *intercostales*, indeque ad externos alios musculos insinuatus, sub cute ipsa in externa Pectoris parte residebat. Internas quoque Canalium, ventriculorumque Cordis, aut auricularum, aut utrorumque cavitates pervadendo, varias plerumque efficiebat *pseudo-polyposas* concretiones, quae tum ratione molis, tum ratione configurationis, atque adhaesionum plus, minusve exitiales, & molestos reddebant morbos, variisque suscitandis *symptomatibus* ansam praebebant: pro ut ex quamplurimis *Pleuriticorum* cadaverum dissectionibus certior fieri satis potui.

CLV. Valde profecto, atque praeter instituti mei rationem, dissertatio protraheretur, si peculiaria quaeque hic signa in prospectum ponere quaererem, quae speciales hasce quaslibet *Pleuritidum* circumstantias in morbi decursu indicare valent. Quin immo quilibet crassioris audaciae notas mihi merito incuteret, cum eo usque minus haesitanter medicum judicium evehere tentarem, quo humana mens nil penitus pervenit. Jure namq; ac merito in propositum nostrum adduci hic potest, id, quod ingenue fassus est doctissimus Malpighius. (48) *Fuit documentum sapientis Viri* (inquit ipse) *morbos, seu symptomata, quae multa, & varia quotidie observamus, non posse omnia reduci sub speciebus, aut ideis determinatis ob variam complicationem causarum, & effectuum inde productorum, qui restringi non possunt sub regulis, utpote ineffabiles; quare videtur Medicus attingere quasdam syndromas, & collectiones diversarum rerum convenientium, & ex iis, quantum potest, efformare diversas radices, ac Capita illa deter-*

(48) *Malpigh. oper. post.*

*determinando ab evidentiori, & urgentiori laeſione, quam perſpicit in laeſis operationibus Animalis*. Nonnulla tamen ex repetitis cadaverum obſervationibus, cum praegreſſi morbi *ſymptomatibus*, ea, qua potui, ſolertia collatis, deprompta hic placet adducere; quae, licet omnimode Clinicum Medicum in hiſce edocere nequeant, clariorem tamen ipſi lucem afferent, ut minus a veritatis ſemita & ſpeculando, & curando aberret.

CLVI. Quotieſcunque ſola Pulmonum ſubſtantia *lymphatico-bilioſo* hoc humore quomodocunque turgeſcebat, nullaque penitus in *Pleura* concretio aderat, dolor non *acutus punctorius*, ſed *obtuſus* potius, & *gravativus* erat, magis tamen ſenſibilis, quam in ſimplici Pulmonum *lymphatico infarctu* abſque ulla bilis commixtione, pro ut ſupra de *lymphaticis* ſimplicibus diſſerens diſtincte a me obſervatum indicavi. Deerunt penitus, credo, feliciſſimo hoc ſaeculo a praejudiciis omnibus ex toto repurgato, ſanioribuſque cognitionibus undecunque imbuto, qui me falſitatis arguere tentent, dum affectum Pulmonem doloris proprii participem indico, quod a veteribus pleriſque Medicis ex toto falſum exiſtimabatur. Solus namque pro omnibus laudatus toties immortalis Malpighius controverſiam hanc ſatis ſuperque diremit, dum ſic admonet: (49) *Mihi ſemper viſum fuit ſatis arduum, quod vulgo docetur, Pulmonem ſenſu carere; ſubſtantia enim eius componitur ex aggregato membranarum, quae ex communi ſententia dolori ſubjiciuntur: adſunt etiam vaſa ſanguinea, & trachaea, & quod magis eſt, multi nervi, qui ſolent eſſe radix ſenſus in partibus*: quod ultro confirmat ex Hippocratis ſententia in libro *de internis affectionibus*. Praeter haec potiorem aliam cum ipſo adjungere rationem poſſumus, ex qua ultro evincitur, laeſionem quamlibet, a ſola in Pulmonibus concretione humorum ſubortam, exquiſitum aliquando ſuſcitare poſſe dolorem. Novit enim & ipſe oculatiſſimus Auctor, utplurimum Pulmones maxime *Pleurae* alligatos eſſe, ope aliquarum, ut ipſe ait, *appendicum* membranae inveſtientis coſtas. Ideo, dum tumet Pulmo, atque ſtagnantis plus, minuſve in caſu noſtro *lymphatico-bilioſi* humoris copia gravatur, maxime dum AEgrotus utrinque ad latera, & praeſertim in parte ſana decumbit, contrahuntur ligamenta haec, adnexaque *Pleura* in conſenſum adducta, magis acuti doloris *ſymptoma* ſuſcitat. Id & ipſe novit Deſiderius Jacotius: qui, quamvis cum veteribus Medicis putaret, Pulmonem omnimode ſenſu carere, teſtatum tamen Poſteris reliquit, quod (50) *Licet Pulmo ſenſus ſit expers, tumens tamen ſentientem membranam, qua obvolvitur, deprimit, & gravantem dolorem movet, potiſſimum in extremis partibus, quibus Pectori, & Spinae alligatur*.

CLVII. Dum de hiſce Pulmo-



(49) *Malpigh. oper. poſt.* (50) *Deſid. Jacotius Com. in Coac. Hipp. lib. 5. Sec. 2. n. 34.*

num adhaesionibus cum Pleura agimus, non abs re erit, si pauca hic ultro subdam ex repetitis, tum aliorum, tum propriis observationibus deprompta, quae illarum genesim magis explicent. Primo autem oportet distinguere *adhaesiones* illas, quas in decursu Morbi factas esse putamus, ab aliis, quas ante morbum extitisse ratio suadet. Ad primam classem pertinere illas puto, quas concreta in extima Pulmonum superficie lympha, glutinosa admodum reddita, facit. Propter hoc *lymphaticum* gluten, in *Pleuriticorum* Cadaveribus non solum Pulmones variis modis sive superius, sive inferius *Pleurae* adhaerentes toties vidi: verum etiam ipsi *Pericardio*, & *Diaphragmati*. Quamobrem varia inde evenerant *symptomata* plus, minusve gravia, juxta diversitatem partis alligatae. Tenax gluten hoc ejusdem penitus naturae semper compertum est, ac erant *pseudo-polyposa* Corpora in Cordis confiniis tunc observata; nec quidpiam differre videbantur a *Pleuritica crusta* in superficie educti sanguinis visa, ut supra monuimus. Unde si crusta haec in hisce praesertim *Pleuritidibus lymphatico-biliosis* flava erat, aut viresens; idem propemodum color, tum in glutine colligante Pulmones, tum in *pseudo-polyposis* Corporibus vasa, & Cor occupantibus videbatur. Quare facile hinc erat deducere, quod aut tum *crusta pleuritica*, tum *pseudo-polypi*, tum gluten Pulmones vinciens ab eadem viscosa lympha penderent, ut jam innuimus; aut ejusdem stagnantis in Pectore lymphae portio per laterales canales absorpta cum toto sanguine in circulum adducta esset; ut inde cum ipso a puncta vena exiens, in educti sanguinis superficie postea concrescens modo albicantem, modo virentem, modo flavo-virentem *corticem* illum constitueret: quod a veritate ex toto alienum probari nunquam poterit. In hisce enim *Pleuriticis*, in quibus eductus prima vice sanguis nullam profert *pleuriticam crustam*, aut quasi nullam: ipsa tamen, dum iterum vena secatur, manifeste, & quidem crassa satis apparet: (quod non raro evenire solet) non aliunde certe *phaenomenum* hoc derivari unquam potest, quam si dicatur: prima vice initio Morbi nondum ab affecta parte *lymphaticum* illud gluten in sanguinem absorptum esse, quod postea, ineunte morbo, evenit, dum *corticem* illum sanguis refert. Etenim tunc nullus conjectandi locus adest, quod ab universali coagulante principio in tota lympha suppositio *crusta* hujuscemodi eveniret; Nam tum in prima, tum in secunda sanguinis emissione necessario semper, atque simili modo apparere debuisset, cum semper proportionata lymphae copia cum sanguine prodeat: Nisi forte suprapositia jam Sydenhamii opinio hic locum habeat; quod nempe non aeque libere, non aeque expedite sanguis tam prima, quam secunda, & tertia vice effluere potuerit; quod non tam facile verum comperiri posse arbitror, maxime cum ego ipse agenti Chirurgo plu-

ries

ries assistens diligenter attenderim, eodem pene modo ab utraque incisione sanguinem fluxisse, atque nihilominus una potius, quam altera vice *pleuriticum corticem* observaverim. Tenax admodum quandoque adnotavi *lymphaticum* hoc gluten, Pulmones cum *Pleura*, aut *Mediastino*, aut *Pericardio*, aut *Diaphragmate* devinciens, ut inde nisi per vim, nec tam facile divelli possent. Caeterum istiusmodi *lymphaticam* adhaesionem, occasione tantum praegressi morbi, factam fuisse, nemo negabit.

CLVIII. Praeter hoc, aliud quoque ex toto dissimile vinculum Pulmones cum *Pleura* fortiter colligans pluries in *Pleuriticorum* cadaveribus observavi, quod membranacea quamplura ligamenta modo tenuia, modo crassiora referebat, quae, juxta variam eorundem texturam, divellenti digito plus, minusve resistere videbantur. Ligamenta haec membranacea occasione morbi tantum, tam brevi temporis intervallo constructa esse, quis nam unquam arbitrabitur? Quare concedendum merito est, illa nihil aliud esse, quam *appendices* membranae investientis costas a praelaudato Malpighio indicatas, mediis quibus melius ipse indicat causam vehementiae doloris in *Pleuriticis* versus costas, etiamsi morbus in *Pulmonibus* vere, & primario resideat. Quod *appendices* istae ante morbum plerumque extiterint, neque tempore morbi factae sint, idem Auctor ex Tulpii asserto deducit, dum cum eodem docet, (51) *Paucis in Corporibus Pulmonem esse liberum, sed semper vinctum membranosis illis propaginibus, quas Higmorus putavit esse pituitam exsiccatam: arbitrorque hasce potius juvare, opitulando dilatationi Pulmonum, quam nocere respirationi, uti alii arbitrati sunt, videns ipse in Avibus omnes illas Costis haerere, propterea existimo nonnullas ex illis membranis plenas abscessu facto in Pleuritide, posse trahere adjacentes, & successive movere appendices illas, & ita excitare vehementiam doloris in illis partibus sanis, quae cum fortiter alligatae sint costis, & non liberae, uti sunt multae, Pulmonis fortiori tractioni, simulque dolori obnoxiae fiunt.*

CLIX. Quamvis praeclarissimus Alexander Knips-Macoppe in supra enarrata epistola sua de *Aortae Polypo*, & ipse asserat, hujuscemodi *adhaesiones Pulmonis* cum *Pleura* haberi posse, absque quod respirandi difficultas emergat: ex Riolano tamen deducit, *dyspnaeas* inde in sanis etiam corporibus suboriri: sed in tali casu *suspirioси* fiunt AEgroti, atque expiratio inspiratione difficilior evadit, ob inhibitam *Pulmonum* totalem *subsidentiam*, ad inspirati aeris expressionem maxime necessariam. Attamen testatur & ipse, *adhaesiones* hasce *Pulmonum* cum *Pleura*, tum ab ipso Hippocrate, tum a Claudino, Saxonia, & aliis indicatas esse, quas postea sagax tota novit Posteritas. Ad hujusce observationis firmandam ultro veritatem, dicam me data opera nonnulla cadavera secuisse Hominum lethalibus Capitis vulneribus intra viginti qua-

(51) *Malpigh. op. post.*

tuor horas mortuorum, atque fere semper inveniſse alterutrum, aut etiam utrumque ex *Pulmonibus* fortiter *Pleurae* alligatum, mediis membranaceis hiſce filamentis, quae occaſione morbi progenita fuiſſe, neutiquam exiſtimabo; cum antea nunquam Pectoris ullo morbo detenti fuiſsent, quod ante mortem ab ipſis diſtincte ſciſcitatus data opera fueram. Quin immo id ſpecialiter me tunc, & alias etiam adnotaſſe dicam; membranoſas haſce *appendices* tanquam fiſtuloſas a me habitas fuiſse, & quidem ex quamplurimis minimis vaſculis conſtructas, per quae ſpecialem ſanguinis haberi circuitum diſtincte novi, propter quem, fortaſse tum *Pleurae* cum *Pulmonibus*, tum *Pulmonum* cum *Pleura* communicatio habetur, quae ſatis eſse poterit ad varia explicanda *phaenomena* in *Pleuritide* paſſim occurrentia, atque ad dirimendam vulgarem illam veterum Medicorum quaeſtionem de genuina *Pleuritidis* ſede, quam in *Pleura* tantum haberi ipſi putabant, dum contra a facta in *Pulmonibus* concretione, *Peripneumoniam* veram derivari opinabantur; Quare aliter Recentiores omnes unanimi conſenſu ſtatuerunt *Peripneumoniam* (52) *ejuſdem plane indolis cum Pleuritide eſſe, atque ab illa in eo tantum differre, quod Peripneumonia univerſalius Pulmones afficiat*, ut Sydenhamius monet.

CLX. Poſita hac *lymphatico-biliosa* concretione in *Pulmonibus* facta, habitaque ſimul eorundem cum *Pleura adhaeſione* ſive ope glutinoſae lymphae extrinſecus *Pulmones* vincientis, ſive ob praeexiſtentes membranaceas *appendices*, ſive utroque modo: varia oriebantur morboſa *phaenomena*, quae propriis inter ſe ſignis collata, genuinam Pectoris internam laeſionem vero magis proxime indicabant. Dico tamen *vero magis proxime*: nam ſi ullus unquam ſoli conjecturae locus quomodolibet conceditur in Medicina: id de veridicis ſtatuendis morborum Pectoris ſedibus, & cauſis, atque *Pleuritide* maxime diſtincte cognoſcenda, verum comperiri cum ſanioribus confiteri ſemper non erubeſcam, quod & ipſe celeberrimus Malpighius Adverſario ſuo obtrudit ſic: (53) *Addere volo aliquid, quod oppoſitori, & mihi diſplicet, nimirum in hiſce morbis ſigna eſſe adeo aequivoca, & naturam, aut morbum tot efficere mutationes inter ſe contrarias, ut non credam humanum ingenium huc uſque potuiſſe evidenter aſſignare veras cauſas.*

CLXI. In tam obſcura hujuſcemodi morborum, eorundemque cauſarum caligine, ob ſignorum *aequivocationem*, nonnulla hic proferam a me diligenter perſpecta, & adnotata ſigna, quae veritatis inveſtigationi non ex toto inutilia mihi evaſerunt. Vidi autem ſemper, quod non tantum perpendendus rite eſt *Pulmonis* locus, quem *lymphatico-biliosa* concretio occupat, verum & adnexio ipſius *Pulmonis* cum *Pleura*, quae quocunque modo habeatur, peculiares excitat varios Pectoris morbos. Quo ad partem

(52) *Sydenham. cap. de Pleuritide.* (53) *Malpigh. op. poſt.*

tem Pulmonis affectam verisimilius dignoscendam, veritati consonum semper arbitrabar, sicuti in aliis, ita & in hisce divini Senis documentum, dum & ipse haec merito profert. (54) *Et quibus morbus est ad alteram claviculam, superior ala Pulmonis una laborat: quibus vero utraeque claviculae laborant, superiores utraeque Pulmonis alae aegrotant: quibus secundum mediam costam, media: quibus secundum septum transversum, inferior: quibus vero una tota pars laborat, omnia, quae ei respondent parti, aegrotant.* Saniora haec sunt, magisque tuta signa, quae in exercenda praxi veritati magis consona expertus semper fui, ad dignoscendas facilius affecti Pulmonis partes, a stagnante lympha gravatas: quod ultro indicabat peculiaris *symptomatum* conditio in quibuscunque ex hisce facile attendenda. Etenim dum superior *Pulmonis ala* laborabat, non tantum dolor ad *claviculam* insurgebat, verum & respiratio difficilis magis erat, magisque pulsus depressus, atque imminutus: quod quidem ex compressione forti tum *bronchiorum*, tum vasorum *pulmonarium* evenire, tutum erat aserere: quae, cum in superiore *Pulmonis* parte, ubi nempe majores tum *bronchialium*, tum *sanguineorum* vasorum ductus adsunt, eveniret, majoris momenti, & pejoris ominis erat: quare & Hippocrates ipse (55) formidabiles eas merito indicat.

CLXII. Pari hinc desumpto ratiocinio, si vel media *Pulmonis* pars, vel infima, vel intima ejusdem substantia, vel extima tantum tumore *lymphatico-bilioso* hoc premebatur; vel pari ratione, aut in majoribus tantum, aut in minoribus *Pulmonum* tubis compressio fiebat, inde gravia magis, aut levia *symptomata* insurgebant. Generatim loquendo, quotiescunque *lymphatico-biliosa* haec concretio sive superius, sive inferius intimam *Pulmonum* substantiam occupabat, ita ut nulla adesset stagnatio, aut saltem levis admodum in extima eorundem superficie, nullaque in *Pleura*, aut *membranaceis propaginibus* dictis *Pulmones* cum *Pleura* devincientibus, aut prope *Diaphragma*, aut in *Mediastini* confiniis; febris quidem in principio acuta admodum erat, pulsus frequens, & tensus, respiratio difficilis; sed in caeteris nulla aderant pejora *symptomata*. Dolor non tam acutus erat, atque utplurimum in utroque latere decumbere satis poterant AEgroti, etsi quandoque in latere sano majorem respirationis anxietatem experirentur, urgente tunc affecto *Pulmone*, a concreta lympha ponderoso magis reddito, atque oppositum sanum lobum premente. Ad exitum tamen citius, & facilius plerumque feliciter properabat morbus. Etenim cum *lymphatico-biliosus* humor hiantes undecunque, & proxime haberet tum *bronchiales*, tum *lymphaticos*, *sanguineosque* ductus: aut illos subiens, facili, & solicita *anacatharsi* primis usque diebus promota, per *exscreatum* morbi causa dissipari commodius poterat: aut per *lymphaticos*, *sanguineosque* iterum absorptus, indeque

(54) *Hipp. in Coac. lib. 5. Sec. 2. n. 47.* (55) *Hipp. in Coac. lib. 5. Sec. 2.*

indeque ad circulationis viam redactus, sive per copiosas urinas, sive per affluentem sudorem, non raro etiam per laudabiles Alvi expulsiones excernebatur. Hinc *lymphatica* apparebant sputa bile plus, minusve inspersa, quae quo citius videbam, eo tutius de futura, & quidem perquam proxima salute pronuntiabam. Unde ex Hippocrate ipso habemus, quod (56) *In morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breviat: si vero posterius appareat, producit.*

CLXIII. Plerumque a residente in *Pulmonibus* magna hujusce *lymphatici* humoris copia, distentae nimis laterales continentes fibrae disrumpebantur, unde effuso successive sanguine, prodiens per exscreatum lympha non tantum citrinum colorem, verum & sanguinea parva filamina secum ferebat. Neque id pejus unquam proferebat omen, dummodo & expedita, & facilis, & cum levamine *anacatharsis* haberetur. Quin immo & aeque facile solvebantur, ut ex hisce nulli fere decimam quartam diem absque totali morbi solutione transcenderint: quod consonum maxime erat divini ipsius Senis asserto, dum absolute statuit, quod: (57) *Pleuritides biliosae simul, & sanguineae utplurimum nona, aut undecima judicantur, & maxime convalescunt.* Revera quoties primis usque diebus *lymphatica* haec sputa bile simul, & sanguine moderate inspersa, atque libere prodeuntia attendebam, etiamsi acutissima adesset febris, una cum tussi molesta, atque respirationis anxietate: (dummodo extra *Pulmones*, sive in *Pleura*, sive alibi, in cavitate tamen Pectoris, concretionem aliam simul haberi, non vererer) de futura cito perfecta AEgroti salute certe praedicebam, a solicito nimis remediorum usu ideo simul abhorrens. Quotidie enim admirabar in hujuscemodi *Pleuriticis* naturam ex se satis, & melius AEgrotorum saluti conferre, majorem successive *anacatharsim* promovendo, quam, dum aliquis operosum nimis in Medicina affectans munus, pessime praepediebat, naturae ipsi tutiori medicatrici se opponens, fractis AEgrotorum inde viribus, res in pejus paulo postea ruebat, aut saltem diuturnior reddebatur morbus, qui aliunde naturali motu suo progrediens, ad exitum citissime properasset.

CLXIV. Discant hinc Tyrones Medici ad hujuscemodi *Pleuriticos* accersiti, se plus non agendo, quam agendo prodesse posse, cum in his ex se sola satis agat natura, quam admirari magis, quam perturbare expedit. Satis superque in illis esse observavi, naturam provide admodum, & tuto agentem imitari, ipsique in suis motibus, si opus fuerit, opportune, ast non operose nimis, opitulari. (58) Itaque *tale sputum promoveri debet* (loquor cum doctissimo, expertissimoque Dureto) *iis, quae expurgationem juvant, molliendo, leniendo, & sputum ciendo: non autem sanguinis detractione retrahi, & impediri,*

(56) *Hipp. Aphor.* 12. *Sec.* 1. (57) *Hippoc. in Coac. lib.* 5. *Sec.* 2. *n.* 26.
(58) *Duretus Com. in Coac. Hipp. lib.* 5. *Sec.* 2. *n.* 9.

*diri, quod usuvenire videmus, non sine maerore, & nemesi, ab istis pragmaticis vulgo dictis, qui omnem Pleuritidis curationem exigunt in sanguinis detractione saepius iterata, quamdiu Pleuriticus hujusmodi sputa expurgat, cum spe salutis praedivite. O Homines Reipublicae calamitosos, atque funestos. Ipsam Pleuritidem, quae sua sponte nullius operis indigens cum tali sputo quiesceret, ex eventu reddunt mortiferam.* Juxta doctissimi Dureti monitum hoc, cum statim primis diebus in hujuscemodi *Pleuriticis* sanguinem semel, aut bis ad summum in *Plethoricis* robustioribus detrahi jussissem, ad *Emeticum* inde juxta indigentiam, si opus esset, in saginatis maxime Corporibus, ut supra indicavi, confugiens, aut ad leve aliud purgans, statim ab opere totaliter quiescebam, id unum caute attendens, ut tum internis, tum externis lenientibus, atque emollientibus naturae tuto agenti praesto semper esem. Utilia hinc maxime erant fomenta externa, atque decoctiones *pectorales* vulgo dictae, tepide larga dosi exhibitae, quibus identidem, pro ut opus erat, Oleum Amygdalarum dulcium adjungebam.

CLXV. Unica, meo judicio, haec est ratio, & non alia penitus, qua in *Pleuriticis* faciliorem sputi exitum promovere unquam potest Medicus. Quandoquidem dum exterius tepentia adhibemus fomenta, musculorum pectoralium, atque intercostalium, simulque continentium quarumvis Pectoris partium fibras laxamus, atque ad Pectoris dilatationem expeditas magis reddimus, quod praecipue liberiori *anacatharsi* confert. Tenuvior etiam fotuum vapor cutis poros subiens ad cavitatem ipsam Pectoris insinuatur, ibidemque tum affecti *Pulmonis* fibras a morbo nimis contractas laxat, lenit, & molles reddit, concretumque dissolvendo humorem, aptiorem illum reddit, ut lateralia *bronchiorum* ostiola facilius, atque affluentius pervadens, citius per *trachaeam* educatur. Quod si externa hujuscemodi laxantia ad id maxime conducere, credendum est: quanto melius & interna ejusdem indolis prodesse certe poterunt? Decoctiones enim consuetae laxantes magna in copia usurpatae, tum & oleosa quaeque remedia commendari merito debent: quae etsi immediate ad affectam partem non transferantur, communi tamen circulationis lege, cum tota lympha, & sanguine aliquantulum saltem commiscentur, humoresque omnes simul temperant, & fluxiles magis reddunt, indeque laxandis solidorum contractis, atque irritatis fibris, fluidisque concrescentibus, & crassioribus commode attenuandis, atque ad motum solicitandis peregregie conducunt.

CLXVI. Reliquis remediis, quae vulgaris Medicorum nimis facile credentium opinio ad *expectorantium* validiorum, tutiorumque seriem reduxit: *Julapiis* nempe *saccaratis*, aut *mellitis* quibuslibet, & *saponeis*, ut ajunt, nil prorsus unquam fidere solitus fui: cum iis ad pompam potius, quam necessario quandoque

utens,

utens, ea ad id nil propemodum conferre plerumque obſervaverim. Dum enim AEgroti hujuſcemodi *ſaccarata* remedia aſſumunt, aut ſugunt, aut paulatim, pro more, quomodocunque lambunt; ipſa non per *Trachaeam*, ſed per *OEſophagum* illico deſcendunt, indeque ad Inteſtina delata, laxante, qua pollent, vi Alvum potius praemature ſolvunt, quam lacteas ſubeant venas, ut poſtea ad Pectus tranſeant. Utrum autem hujuſcemodi remedia largius uſurpata, tum intempeſtive ventrem laxando, tum & Ventriculum inutiliter infarciendo in ipſius plicis facile remorantia, AEgrotis damno eſſe facile poſſint, quilibet judicet, qui tamen ab empiricae Medicinae praejudiciis ex toto liber ſit. Quod ad me ſpectat, fixum mihi, ratumque fuit, eritque ſemper, tutius omnino eſſe iis nil penitus plerumque uti, quam inutiliter, quin immo ad AEgrotorum manifeſtam perniciem ea uſurpare. Dicam tamen, quod haec aliquando proſunt, tunc cum aridae nimis ſunt fauces, & lingua, & maxime cum *Laryngis* oſtium glutinoſis, & tenacibus materiis implicatum eſt, quae & *Epiglottidem*, & linguam ipſam adeo devinciunt, ut vix loqui rauca voce AEgroti queant. In hiſce caſibus hujuſcemodi *Julapia*, aut *Saponeas* non parum prodeſſe arbitror, iiſque tunc uti non inutiliter ſoleo, cum ea & exſiccatas in ore partes, tum & a confluxu biliosae lymphae irritatas leniant, emolliant, atque *catarrhoſas* hinc inde inhaerentes faucibus particulas vinciant, ſimulque in unum redigant, ut facilius eliminari poſſint. Id tamen auxilii praeſtant *lambitiva* haec, dummodo diu in ore detineantur: nam ſi ſtatim per *Pharyngem* decidant, fruſtratur votis ex toto AEgrotus, & Medicus. Quod autem remedia haec a Pectore materies haurire citius, aut melius poſſint, ſicque inchoatae *anacatharſi* opitulari, aut deficientem promovere: hoc prorſus ex dictis nego.

CLXVII. Non inficiabor tamen, me tanquam remedio utili ſaepiſſime uſum fuiſſe *ſpermate Ceti*, utpote congruo remedio tum ad faciliorem reddendam *anacatharſim*, tum ad ſedandum reſpirationis anhelitum, tum ad tutiorem lymphae ſtagnantis diſſolutionem: maxime cum *Camphora* ipſi adjungeretur in ſufficienti doſi, quam & in hujuſmodi morbis omnibus merito laudat Baglivius, aliique Auctores quamplurimi. Qua de re quotieſcunque in hiſce caſibus natura ſuo munere non fungebatur, praeter externa, & interna demulcentia dicta, in veſperis, atque etiam mane, pro ut oporteret, exhiberi utiliter curabam *Spermatis Ceti* ſemidrachmam, cum duobus tribuſve granis *Camphorae*, cui etiam ſcrupulum unum *Succini* albi optime praeparati adjungebam. Si *ferina*, ut ajunt, magis, & ſicca urgeret tuſſis, ſequentem bolum in veſperis utiliter propinabam: nempe ſcrupulum unum *Spermatis Ceti*, grana octo *Pillularum* de *Cynogloſſa*, cum *ſalis volatilis Succini* granis tribus, facto bolo cum ſirupo de *Papavere*

Er-

*Erratico*, post coenam sumendo, superbibendo Cyathum aquae tepidae *pectoralis*, aut emulsionem ex amygdalis dulcibus.

CLXVIII. Interim totus eram, ut occurrentia successive sputa diligenter perspicerem, ut inde de futuro morbi eventu tutius ratiocinari possem. Ii, quibus statim in initio sputum apparebat modica bile, & sanguine hinc inde insperso, Alvo simul modice fluente, cum idonea urinae excretione, absque ullo in Pectore strepitu, perquam facile, & cito sanitati restituti sunt. Id quoque Hippocrates ipse testatur. (59) *In doloribus Pleuriticorum utile est alvum mollem esse, sputa colorari, urinam facile prodire, strepitum in Pectore non fieri. At contraria iis difficilia, & sputum dulce factum.* Sententiam hanc in propositum nostrum clare explicat Desiderius Jacotius in commentario, ut supra diximus. Quod alibi ultro confirmat Hippocrates dicens: (60) *Sputum non multo permixtum sanguine, flavum in principio quidem salutare est.* Cum autem sputum bile maxime saturatum, atque intime perfusum erat, etsi libere prodiens, nihil inde imminuta respirationis anxietate, malum adferebat omen. Multo pejus erat, si *aeruginosa* admodum prodirent sputa, Olei seminum Lini tincturam fere repraesentantia. Ex hisce enim nullos fere servatos vidi, quod quidem rationi ipsi consonum videtur. Quando enim *aeruginosa* bilis haec obscure sic admodum sputa tingens una cum lympha, aut sola etiam, (quod magis lethale signum est) *Pulmones* premit, ipsosq; intime subit, erodente vi sua continentes undecunque eorundem fibrillas vellicat, & scindit, indeque in tam fortes contractiones cogit, ut *strangulatis*, ut ita dicam, ob id sanguineis illuc tendentibus canalibus, concretiones postea sanguinis necessario eveniant, aut proinde inflammatio, gangraena & Mors.

CLXIX. De hisce sputis bile nimium saturatis, atque aeruginoso forti colore infectis, nec non aliis merito sic scripsit Hippocrates: (61) *Omnino pravum, quod flavum sincerum est, & viscosum, & album, & rotundum, & cum virore pallidum valde, & spumosum, & lividum, & aeruginosum. Pejus autem aliquanto est, quod ita meracum, ut nigrum appareat.* Non raro in hisce casibus properante, & confirmata inflammatione, dolor inopinato minor fiebat, atque etiam omnimode evanescebat. Caveant tamen in hujuscemodi *Pleuriticis* Tyrones Medici, ne ab improvisa doloris imminutione ignominiose capti faustum salutis praesagium proferant, dum omnia caeteroquin plena timoris sunt. Enim vero ex Hippocratis monito (62) *Lateris dolor in sputo bilioso citra rationem evanescens insaniam movet:* quod plurics observavi. Unde & ipse Desiderius Jacotius ibidem cum Galeno merito monet, (63) *Ne Medicus repente ad AEgrum ingressus,*

(59) *Hippoc. in Coac. lib. 5. Sect. 2. n. 25.* (60) *Idem ibidem n. 32.* (61) *Idem in Coac. lib. 5. Sec. 2. n. 31.* (62) *Hipp. ibid. n. 72.* (63) *Defid. Jacot. in com. ibid.*

*greſſus, & morbi, ac doloris levationem eſſe factam, laetoſque, qui adſunt, comperiens, temere cum ipſis liberatum AEgrum pronuntiet: verum prius diligenter inquirat, facta ne ſit judicatio aliqua, aut abſceſſus. Quorum nullum ſi eveniſſe audierit, neque ullum remedium convenienter adhibitum, interea autem oculos AEgri perturbatos, & quaedam delirii ſigna obſervet, tum magnum ſubeſſe malum praeſagiat.* Siquidem ex eodem Hippocrate habemus ultro, quod (64) *Mortifera omnia, quae abs re miteſcunt, mortem in propinquo eſſe teſtantur.* Idemque alibi ſic docet: (65) *Quae immerito levantur, & levant; iis non eſt credendum, neque conquieſcendum.* Quod ultro aliter idem confirmat. (66) *Quae pravis cum ſignis miteſcunt, mortifera ſunt.*

CLXX. Hujuſcemodi ſigna, atque alia etiam, quae divinus Senex variis in locis ad *Pleuritidum* conditiones varias dignoſcendas, earundemque praedicendos exitus accuratiſſime nobis propoſuit, veridica tunc fere ſemper inveni. Aſt cum extra Pulmonis ſubſtantiam *lymphatico-biliosa* concretio quomodolibet facta erat, aut ſimul intra, & extra, tunc nihil certi ex apparentibus ſputis deducere poteram. Quandoquidem non ſemel benignam admodum tum colore, tum ſubſtantia, indolem occurrentia affluenter ſputa oſt entabant; dum caeteroquin nihil inde imminuebatur dolor, reſpiratio aeque gravis erat, atque caetera omnia peſſimum ex toto ſtatum praeſeferebant. Tunc autem judicare me tuto poſſe arbitrabar, aut nullam in Pulmonum corpore concretionem factam fuiſſe, aut ſaltem modicam admodum, quae paulatim accedentibus bonae indolis ſputis ſolvebatur: ſimul autem pejorem aliam extra *Pulmones* adeſſe, aut in *Pleura*, aut in *appendicibus membranaceis* ejuſdem ſupra indicatis, quam prodeuntia ſputa oſtendere neutiquam poterant; cum extra quomodocunque ſtagnans *pleuriticus* humor, nullo modo, aut ſaltem non tam facile extimam *Pulmonum* tunicam penetrare valeat, *bronchialeſque* ſubire tubulos, ut per *Trachaeam* poſtea educatur. Quamobrem anteaquam quis ex ſputorum conditione qualibet de futuro morbi eventu judicium audacter nimis proferat, ad haec, & reliqua ſedulo attendat, ſimulque omnia conferat.

CLXXI. Hujus indolis concretiones extra *Pulmonum lobos* variis modis fieri, variaque inde prodire *ſymptomata* gravia magis, minuſve, quamplurium, quae tunc diſſecui, & maxime tranſactis annis, cadaverum accurata inſpectio, mihi aperte demonſtravit. Quandoquidem exterius undecunque affectum *Pulmonem lymphatico-biliosa* hoc obductum glutine vidi, quod ibidem tanta in copia concreverat, uſque ad altitudinem pluſquam unius tranſverſi digiti: ita ut *Pulmo* nova quaſi, craſſaque admodum, atque forti tunica involutus videretur. Morboſa hac tunica affectum *Pulmonem*

(64) *Hippoc. Prorrhet. n.* 17. (65) *Hippoc. Aphor.* 26. *Sec.* 2.
(66) *Idem in Coac. lib.* 1. *n.* 51.

*monem* variis modis involutum nunquam vidi, quin simul, vel ope ejusdem glutinis *Pleurae* adhaereret, vel ope *membranearum appendicum*, de quibus supra: plerumque utroque modo. Attamen tunc semper, & *Pleura* ipsa glutinoso eodem humore simul taliter perfusa erat in interna maxime superficie sua, quae cavitatem Pectoris respicit; ac si eodem modo, quo de affecto *Pulmone* diximus, nova ipsi pariter densa tunica eodem glutine constans tunc superaddita esset. Haec autem in iis attendere potui praesertim, qui & parum per *exscreatum* eduxerant, nullo postea subsequente levamine, & in parte sana decumbere nil penitus absque dolore potuerant; cum tunc, in oppositum latus retrocedente *Pulmone* affectae *Pleurae* adhaerente, & ipsa in contrarium traheretur: unde doloris exacerbatio. Insuper hujuscemodi AEgroti difficiliorem inspirationem habebant, quam exspirationem: dum eatenus difficilior evadebat *costarum*, & *sterni* maxime elevatio, quatenus ob *adhaesionem* affecti simul Pulmonis cum *Pleura*, magnum aderat superandum obstaculum, quod eo majus prae consuetudine erat, quo affectus Pulmo, & interius, & exterius, simulque ex eadem parte *Pleura* ipsa majore glutinosae hujusce lymphae copia obruta erat.

CLXXII. Eodem penitus modo, quo supra nunc superiorem, nunc inferiorem, nunc mediam *Pulmonis* substantiam *lymphatico-biliosa* hac materie intime gravari diximus; ita & ab extra modo superius, modo inferius, modo aliter *Pulmonem* eodem *pleuritico* humore perfundi, atque *Pleurae* ipsi diverso modo devinctum passim fuisse, experientia ipsa teste toties novimus; unde varia insurgebant *symptomata* plus, minusve molesta, plus, minusve gravia. In illis, quibus gravatus superius *Pulmo* versus *jugulum Pleurae* fortiter adhaerens erat, anxietates majores, magisque difficilis respiratio evaserat: nec raro, ob compressionem sanguineorum ductuum ab eadem parte ad Brachium properantium, peculiaris pulsus inaequalitas, aut diversus saltem, quam in altero Carpo, rhythmus fiebat, ut supra etiam monuimus. *Phrenitidem* plerumque iis evenisse toties adnotavi, quibus affectus in inferiore parte *Pulmo Diaphragmati* fortiter adhaerebat. Quamquam & asserere certo possum, me non raro affectum *Pulmonem Diaphragmati* fortiter adnexum invenisse, absque quod ne minimum quidem delirio correpti AEgroti unquam antea fuissent. Hoc autem sic aliquando evenisse arbitror; quia non semper aeque fortis aderat adhaesio, neque semper usque ad *tendineam* ipsius partem extensa fuerat; nempe ubi Phrenici nervi majorem suorum filaminum numerum *Diaphragmati* impertiuntur. Insuper adnotavi in quamplurimis glutinosam concretionem dictam in parte cava affectum quandoque *Pulmonem* obsidere, versus *Pericardium*, propter quam & ipsi fortiter adnectabatur. In hisce autem casibus magis vehementes anxietates fiebant: pulsus magis concitatus, &

depres-

depreſsus: ob compreſſionem *Pericardii* ab affecto adhaerente ipſi fortiter *Pulmone* factam, quae & liberam inde ventriculorum Cordis dilatationem non parum praepedire proinde poterat.

CLXXIII. Nec tantum internam *Pleurae* ſuperficiem, quae *Pulmones* reſpicit, concretiones hujuſcemodi obſidebant: ſed non raro glutinoſus humor membranacea ejuſdem interſtitia ſubibat, ibidemque concretus, nervea ejus filamina diſtendens, magis acutum efficiebat dolorem, difficilemque magis reſpirationem reddebat. Nec ſemel vidi in diſsectis cadaveribus concretionem internam hanc a *Pleura* ipſa exterius ad intercoſtales muſculos, atque ad Pectoralem majorem uſque, immediate etiam ſub integumentis ipſis, permeaſse, ita ut, hiſce ablatis, mucoſa ibidem *flaveſcens*, aut *flavo-vireſcens* lympha in conſpectum illico veniret muſculos undecunq; ſtrictiſſime obvolvens. Attamen tunc dolor etiam extrinſecus tactu, & preſſione, & confricatione manus exacerbari videbatur: dum ſimul alia non deerant graviora *ſymptomata* internam majoris momenti concretionem ſatis indicantia.

CLXXIV. Admiratione non parum captus fui, cum in diſsectis Cadaveribus, inter *appendices* etiam *membranaceas Pleuram* cum *Pulmone* colligantes, coagulationes haſce ſimul ſubortas eſse inveni, modo ſuperius verſus *jugulum* factas, modo inferius verſus *Diaphragma*, aut alio quovis modo juxta varias affectorum Corporum diſpoſitiones: unde & variis merito ſtipari *ſymptomatibus* morbus ſolebat: pro ut ex dictis etiam ſupra ſatis conſtat. Quotieſcunque ſola *lymphatica* concretio, aut alia ratione *lymphatico-bilioſa* eveniebat, abſque ulla ſanguinis ne minima quidem ſtagnatione: tunc neque ſuppuratio, neque vera inflammatio, neque grave aliud quodvis *ſymptoma* ſequebatur. Tunc autem (quomodocunque concretio ſuborta eſſet, ſive in ipſa *Pulmonis* ſubſtantia, ſive extra ipſam in *Pleura*, aut *appendicibus* dictis ipſam cum *Pulmonibus* devincientibus) morbus ſolvi poterat, ope diſſolventium tum internorum, tum externorum, concretam lympham attenuare, atque ad neceſſariam expulſionem ſolicitare valentium; de quibus ſupra ſatis ſuperque egimus.

CLXXV. Tali lymphae attenuatione, atque diſſolutione ſaniore methodo facta, ad exitum ipſa ſibi aditum variis modis quaerebat, ut inde a morboſo, quo antea premebantur, pondere affectae partes liberatae, ad priſtinum reducerentur naturalem ſtatum. Quod attinet ad *lymphatico-bilioſam* concretionem in *Pulmonibus* ipſis variis modis factam, haec facilius, quam aliae, ſolvi poterat; cum undecunque *bronchiales* praeſto eſſent tubuli, quos diſſoluta lympha ſubire commode poterat, ſicque breviore tramite per *trachaeam* exitum ſibi parare. Aſt concretiones aliae extra *Pulmonem* (ut ſupra obſervavimus) quomodocunque factae non aeque facile ſolvebantur; cum nulla immediata adſit via, per quam humor in *Pleura* coacervatus

ſubire

subite *Pulmones* illico possit, atque per consuetam *bronchiorum* semitam cito extra propelli. Satis enim de quacunque hujuscemodi concretione verum id comperitur, quod in rem nostram sapienter protulit Malpighius, dum contra Spigelium sic docet: (67) *Fieri non posse transitum purulentiae (etiamsi dicta disrumperetur membrana) in Pulmones, qui non obtinent foramina ilia, ac poros in extima membrana, quos imaginati fuere Antiqui, quoniam aerem retinent, sed quidem (concesso Pleurae hiatu) advertere illam facilius in Pectoris cavitatem praecipitari.*

CLXXVI. Quomodo ergo *lymphatica* haec concretio congruis remediis, aut natura ipsa agente, dissoluta a *Pleura* ad *Trachaeam* pervenire possit, ut per exscreatum educatur, & per quasnam vias, nemo usque nunc explicare satis potuit. Non mediocris ad hoc momenti, quin immo ingeniosa admodum videtur ratiocinatio doctissimi Lancisii, qui in eruditissima epistola sua ad celeberrimum nostri hujusce aevi Anatomicum primarium, totius Italiae lumen Morgagnium missa, merito dubitari posse arbitratur; quod per minimos ramusculos venae *Azygos*, *Trachaeae* annulos, interioremque tunicam pervadentes, facilior, & brevior parata sit via, ut *pleuriticus* humor per exscreatum educi queat, etiamsi in *Pleura* vere constiterit, quin ad longiorem viam confugiendum sit: quod tunc eveniret, cum *pleuritica* materies illa ad dexterum Cordis ventriculum, ope venae Cavae, translata, ad *Pulmones* media *arteria pulmonari*, indeque ad *Bronchia*, & *Trachaeam* ascendere coacta esset, ut postea expelleretur. Hujuscemodi opinionem suam peculiaribus anatomicis observationibus roborare praesertim conatur eruditissimus hic Auctor, dum docet; quod primarius venae *Azygos* truncus in dextera Thoracis parte venae Cavae superiori tubo insertus, in plures subdividitur ramusculos, qui tam dexteram, quam sinistram Thoracis partem, ac *Pleuram* ipsam, musculosque intercostales partim pervadunt: partim in arcum quasi flexi supra tubum *Asperae arteriae* inter quartam, & quintam utplurimum Dorsi Vertebram assurgunt. Nec tantum hujusce venae ramusculi interiores Pectoris partes, ut cum ipso diximus, percurrunt: verum etiam externas munire, ut ipse subdit, solent; unde potiorem rationem deducit, propter quam nonnullae *Pleuritides* ab intro extra, & e contrario deriventur, & quandoque externos sub cute ipsa tumores efficiant. Alias quoque sic inde deducit cognitiones, quas methodicam *Pleuritidis* curationem reddere, satius ducit.

CLXXVII. Quod venae hujusce *Azygos* ramusculi *Pleuritidis* causam aliquando praestare quoquo modo possint, & ipsi norunt veteres Medici: quare Ludovicus Duretus varias *Pleuritidum* species considerat, ob varium materiae affluxum (68) *per venam jugularem, Azygos, mammariam, & Thoracicam. Hinc veniunt*



(67) *Malpigh. Oper. Post.* (68) *Duretus Com. in Coac. Hipp.*

*Pleuritis superior*, *inferior*, *antica*, *postica*, *sive dorsalis*. Quod autem per ejusdem venae varios ramos materia *pleuritica*, quaecunque ea sit, sive *lymphatica simplex*, sive *lymphatico-biliosa*, sive *sanguinea* in Pectoris continentibus partibus quibusvis extra *Pulmones* residens, ad *Trachaeae* cavum transferri possit: atque, ob eandem rationem, quicunque concretus humor in *Pleura*, aut aliis internis Pectoris partibus, ab intro extra retrocedens, morbificam causam usque ad externos musculos transferre queat; non tam facile unquam concedam. Quidquid enim sit de observationibus ab ipso diligenter peractis, per injectionem crocei liquoris in caudicem ejusdem venae *Azygos*, qui per nares, & per os emanare visus est: firmum, ratumque cum sanioribus Anatomicis habeo, Venam hanc, sicuti & alias omnes, sanguinem a partibus ad majorem Venae Cavae truncum, indeque ad Cor transferre. Quamobrem aperte hinc deducitur, *Pleuriticam*, materiem antea in partibus concrescentem, ac postea dissolutam, minimosque venae *Azygos* ramos subeuntem, per ipsos ad *Trachaeam* transferri nullo modo posse; quin immo potius ad Venam Cavam pergere, indeque toti sanguini addi, ut in circulum postea acta, juxta peculiarem partium dispositionem, alibi consistat, atque etiam facilius in *Pulmonibus*, ut ab iis postea per *exscreatum* effluat.

CLXXVIII. Praeter hanc nullam aliam certe ex Anatome haberi posse rationem arbitror, propter quam *morbifici* in *Pleura* concrescentis humoris, aut in aliis contiguis partibus extra *Pulmones* firmati, translatio ad *Pulmones* ipsos fieri queat; cum extima eorundem tunica nullis unquam ditata sit meatibus, ut cum Malpighio supra ostendimus. Attamen quoties in Cadaveribus, nullis etiam Thoracis morbis unquam antea detentis, *membranaceas appendices* vidi sanguineis satis patentibus canaliculis ditatas, quorum ope *Pulmones* *Pleurae* hinc inde adnectebantur; suspicari coepi, quod per hasce melius, & facilius, quam per alias fortasse vias, *pleuriticus* humor tum a *Pleura*, tum ab *intercostalibus* etiam *musculis* ad *Pulmones* immediate transferri possit, atque inde mediis *bronchialibus* ductibus per *exscreatum* citius eliminari.

CLXXIX. Utrum hoc veritati consonum magis evadere queat, Sapientibus magis dirimendum relinquo. Satis enim mihi est, hac posita sententia, pro certo asserere, quod tutior inde emergat etiam ratio, qui fiat, ut quandoque in externis continentibus Pectoris partibus, atque magis in *Pleura*, quaelibet factae concretiones per *metastasim*, ut ajunt, ad *Pulmones* propagentur: & vice versa a *Pulmonibus* ad externas alias partes: quod passim evenit. Quod si conjectura mea haec nil penitus veritati affinis credatur: nullus certe, meo judicio, alius restat modus, quo residens in iisdem partibus humor ad *Pulmones* migrare valeat. Qua de re, dum ille attenuatus, dissolutusque satis est, nulla prorsus alia ratione detrudi inde potest, quam aut *Azygos* venae

ramus-

ramuſculos, ut ſupra diximus, ſubeundo; aut etiam *Mammariae*, aut *Thoracicae*, per quorum tramites denuo ſanguini ſuppeditetur, ut inde extra corpus protrudatur; ſive ad *Pulmones* perductus, per *exſcreatum*; ſive ad *Renes*, per Urinam; ſive ad cutis glandulas, per ſudorem, & inſenſibilem perſpirationem; ſive ad alias quaslibet partes, alio quocunque modo. Verum cum hujuſcemodi *pleuritici* humoris regreſſus in venas (ſive ob vitium humoris ejuſdem nimium craſſi, atque concreſcentis, ſive ob quamlibet recipientium vaſorum peculiarem diſpoſitionem) non tam facile fieri ſemper poſſit, cum aliunde immediatus ad *Pulmones* tranſitus prorſus deſit: Hinc fit, quod plerumque illi, in quibus concretiones hae *lymphaticae*, aut *lymphatico-biliosae* extra pulmonarem ſubſtantiam, ſive in *Pleura*, ſive in *Mediaſtino*, ſive in *appendicibus* dictis *membranaceis* occurrunt; citius, & facilius moriantur, atque gravioribus detineantur contumaciſſimis *ſymptomatibus*, quam alii, quibus intra Pulmones concretiones eaedem fiunt (dummodo non ſint univerſales) quas & facilius diſſolvi, & citius, atque commodius per *exſcreatum* diſſipari ſaepiſſime obſervavi.

CLXXX. Neque tantum ob concretiones haſce *lymphaticas*, aut *lymphatico-biliosas* quomodolibet extra Pulmones, aut intra factas, primarium vitae periculum AEgrotis hiſce imminere attendi: ſed multo magis, & citius ob concretiones *pſeudo-polypoſas*, quas plerumque, ob eandem cauſam, in majoribus vaſis, quin immo, & in ipſis Cordis cavitatibus ſimul fieri non ſemel novimus. Iſtiuſmodi *pſeudo-polypi*, pro ut citius, vel tardius, pro ut majores, minoreſve mole fiunt, morbum plus, minuſve breviant, atque ad exitum AEgrotos vel paulatim, vel derepente perducunt. Item juxta varias, quas obtinent, configurationes, juxta propagines diverſas ſuas, peculiareſque illorum vaſorum conditiones, in quibus continentur, ſive iiſdem quomodocunque adhaerentes, ſive in eorundem cavitatibus liberi: varia etiam inde afferunt *ſymptomata* plus, minuſve gravia, plus, minuſve exitialia. Non vacat hic quamplurimas de hiſce obſervationes peculiares a me factas ſingillatim retexere, atque innumeras pene *pſeudo-polypoſas* hujuſce indolis concretiones, quas varias in variis cadaveribus ſemper vidi, diverſoque modo figuratas, hic diſtincte numerare: cum de hiſce omnibus quilibet Medici ſatis ſuperque edocti ſint, illi praeſertim, qui non ſola librorum lectura, ſed iteratis Cadaverum inſpectionibus naturae arcana tuto reſerare ſatagunt, peculiareſque morborum quorumlibet cauſas oculis ipſis attingere. Neque prorſus hic refert genuinam adferre rationem, propter quam *concretiones* iſtae, & facilius in venis, quam Arteriis, in dextero Cordis ſinu potius, quam in ſiniſtro tunc producantur, ibidemque citius in enormes excreſcant moles ſanguinis tramitem ex toto occludentes; cum de hiſce ſatis, diſtincteque egerit Malpighius, aliique omnes, qui accuratas de *Polypis*

dissertationes lucubrarunt. Inde enim quilibet percipit, quod cum multo minor sit sanguinis velocitas in venis, quam arteriis, atque insuper venosus sanguis multo minus comminutus sit, quam arteriosus, qui paulo ante *Pulmonum* necessariam actionem, cum ad Cor tendit, passus est: in illis potius, quam istis *polypi* fiunt, atque in majores excrescunt moles. Id unum innuam, quod quotiescunque in *Pleuriticis concretiones* istae aderant, semper detractus sanguis consuetum, & magis crassum in superficie corticem antea obtulerat: cum una, & eadem sit materies, ex qua tum crusta haec, tum *pseudo-polypi* illi generantur: ut ex dictis supra etiam patet. Tunc ultro major aderat respirationis anxietas, major depressio pulsus, frequentia, inaequalitas, cum speciali sensu doloris prope Cor, quandoque etiam in alterutro, vel utroque ex brachiis, torpore etiam plerumque comite, qui ad sternum, non raro ad Dorsum, atque inferiores quoque Corporis partes vario modo protendebatur: pro ut nempe concreta haec corpora superiora potius, quam inferiora, aut pleraque Corporis vasa occupabant, in quibus proinde inordinatus magis, minusve fiebat sanguinis motus. Talia autem morbosa *phaenomena* eo gravius evenire semper vidi, quoties non tantum in venis, sed in arteriis etiam ipsis, sinistroque Cordis ventriculo, atque in ejusdem auricula istae *concretiones* genitae erant; quod non semel in Cadaveribus animadvertere mihi datum fuit. In hisce iisdem, in quibus, & numero, & mole majores inveni *concretiones pseudo-polyposas* hasce, semper magna Seri copia cavitatem Pectoris inundabat.

# SECTIO SECUNDA

## CAPUT QUARTUM

*Pleuritis lymphatico-ſanguinea, ubi de variis puris excretionibus in quibuſcunque Pectoris ſuppurationibus, & praeſertim in Empyemate; item de diverſis abſceſſibus in hiſce morbis occurrentibus; de uſu Veſicantium, atque Balſami de Copaiba &c.*

CLXXXI. Ethales ultro magis in *Pleuriticis* reddebãtur *lymphaticae* hę, aut *lymphatico-biliosae concretiones* ſive intra, ſive extra Pulmones, ſive & utrobique factae, quoties ſimul in ſanguineis vaſis ſanguis ipſe concreſceret, aut extra circulationis ſemitam dejectus in interſtitiis partium variis modis conſiſteret; ſive id *primario* fieret initio morbi, ſive *ſecundario* ob compreſſionem vaſorum, a concreſcente ibidem, atq; ſtagnante lympha, invaleſcẽte morbo, evenirent. Tunc enim ſuppurationes variae inde fiebant, quas ex propriis ſignis facile erat dignoſcere. Si ſuppurationes hae in *Pulmone* ipſo aderant, minus lethales plerumque evadebant, cum liberior inde adeſſet aditus, ut genitum pus diſſolvi, atque breviore, longioreve temporis intervallo educi poſſet; quod plerumque quadraginta dierum ſpatio fieri, Hippocrates ipſe pluries docuit. Si autem diutius ibidem remoratum pus corrodente vi ſua *Pulmonis* ſubſtantiam exedit, ulcerationes variae, atque *Phthyſes* ſubſequuntur.

CLXXXII. Non aeque facile res fauſto cedebat omine, quoties pus *Pulmonem* obſidens in *folliculari*, ut ajunt, aliquo occludebatur tumore, qui cum nil penitus diſrumperetur, nullus excretioni puris aditus remanebat: quare aut Mors inopinato ſequebatur, aut *chronici* fiebant morbi utplurimum inſanabiles. Memini me Hominem quendam in Noſocomio majore noſtro tunc curandum habuiſſe, qui pluſquam per menſem ſpirandi difficultate maxima laboraverat, cum dolore continuo totum fere Pectus, dexteramque praeſertim partem occupante. Hic poſt cruenta ſputa identidem excreta ad Noſocomium acceſſit tumidus in facie, atque toto Corpore, mente quammaxime obtenebratus, accedente lenta febri in veſperis magis adaucta, nihil penitus expuens,

niſi ſpumantem tantum lympham, quae ab indeſinenti *Pulmonum* concuſſione, compreſſioneque, ob continuam tuſſim, per vim expreſsa videbatur. Poſt paucos dies è vivis diſceſſit. Secto Cadavere, ſiniſter *Pulmo* naturalem fere ſtatum ſervabat. Dexter autem tumidus admodum erat undecunque tum *Diaphragmati*, tum *Pleurae* taliter adhaerens, ut dum ipſum magna vi a *Pleura* ſeparare tentarem, *Pleura* ipſa praeter conſuetum craſſa admodum reddita a coſtis divelleretur potius, quam ab affecto *Pulmone* liberari unquam poſſet. In ſuperiore extima *Pulmonis* parte verſus *jugulum* inſignis aderat tumor, qui (dum adhaerentem *Pleuram* inde removere quaererem) inopinato diſruptus magnam copiam ſubrufi puris, maxime foetidi, ejecit, quod diuturno admodum tempore, tanquam in *folliculo*, ibidem occluſum remanſerat, quin poſtea neque per *exſcreatum* educi potuiſſet, neque in cavitatem Pectoris unquam effundi.

CLXXXIII. In quacunque autem humorum concretione in Pectore facta, ſicuti & in ſuppuratione qualibet, eo citius, tardiuſve, cæteris paribus, morbus ſolvitur; habito non tantum reſpectu ad copiam *Pleuritici* firmati humoris (quod non parum intereſt): verum etiam ad peculiarem Pectoris partem, in qua ipſe ſpecialiter conſiſtit. Etenim, ſi verum eſt, quod ſola *exſcreatio* tutior illa eſt, & brevior ſemita tanti ab omnibus habita, per quam hujuſcemodi morbi reſolvi melius poſſunt: reliquum eſt, ut quo plus, minuſve facilis ad *Trachaeam* aditus *Pleuritico* dicto humori pateat, eadem ſervata ratione, vario modo prodeat. Hinc fit, quod quotieſcunque transfuſus humor iſte, aut quacunque alia de cauſa concreſcens, *Pulmonis Parenchyma* tantum obſidet, inde facilius educatur. Praeſto namque ibidem undecunque ſunt *bronchiales* ramuli, quos ſubire commode poteſt, & ſucceſſive ad majores tubos pertranſire, ut per *exſcreatum* exeat. Attamen non hoc ſemper aeque facile evenit; etiamſi morbus in Pulmonibus unice reſideat. Namque (ſive *Pleuriticus* humor in centro, ut ita dicam, *Pulmonaris* ſubſtantiae concreverit, ſive in ſuperiore ejus parte verſus *jugulum*, ſive in inferiore verſus *Diaphragma*, ſive in extima non procul a tunica *Pulmones* extrinſecus cingente) variae inde emergunt rationes, propter quas plus, minuſve ſolicita excretio evadit; cum inde plus, minuſve a majoribus *bronchialibus* dictis ramis Morbus diſtet. Ideo evenite tiam, quod perſaepe *Pulmonum* iſti Morbi, per ſolam, ut ajunt, *reſolutionem*, ſolvantur, nullaq; facta ſuppuratione: quoties nempe prope majora *Bronchia pleuriticus* humor conſiſtat, quae ideo citius ſubire valet. Secus hinc evenire neceſſario debet, dum extra *Pulmones* quomodocunq; Morbus magna ex parte vigeat: quod plerumque contingere quotidiana ſatis docet experientia. Quandoque enim variis modis *Pleuram* ipſam occupat: modo *mediaſtinum*: modo adhaeſiones *Pleurae* cum *Pulmone* a concreſcente glutinoſa lympha, ut

ſupra diximus, factas: modo in *membranaceis appendicibus* dictis *Pulmonem* cum *Pleura* nectentibus ſubſidit. Tunc autem, ſuppuratione ſubſequente, Pus per *exſcreatum* fere nunquam educitur; cum nullus penitus ad *Pulmonum bronchiales* tubulos immediatus inde aditus pateat. Quamobrem aliunde Morbi ſolutio mutuanda eſt. Hoc autem fit, dum attenuatum Pus quaqua verſus in affecta parte impetum faciens, propinquiores, magiſque patulos ſubit *lymphaticos*, *venoſoſve* ductus; ut poſtea aut cum lympha, aut cum ſanguine mixtum in circulationis aream reducatur, totumque corpus pervadat. Hoc modo tantum, & non aliter, poſita peculiari partium Pectoris ſtructura, percipere poſſumus, quod *pleuriticus* ſuppuratus humor Thoracem occupans, atque in illis diſtincte partibus firmatus, quae immediatum cum Bronchiis commercium neutiquam habent, per *exſcreatum* educi queat: quod diuturno admodum tempore, neque tam facile evenire poſſe, quilibet noſcet. Tunc ideo Natura ſagax breviorem, tutioremque morbi ſolutionem affectans, Pure jam ad communem circuitus ſemitam, ut ſupra diximus, redacto, plerumque ad alias partes *metaſtaſes* molitur; quod proficuum magis evadit; maxime cum id temporius fiat, anteaquam ſcilicet ex toto fractae AEgroti vires fuerint, aut Pus, ob diuturniorem moram, affectas partes nimium exederit. Haec omnia tunc diſtincte magis, clariuſque patebunt, cum peculiares a me habitas obſervationes plurimas paulo poſtea ſubjiciam.

CLXXXIV. Hiſce de cauſis omni certe jure adnotavit oculatiſſimus, atque in obſervationibus praeſertim diligentiſſimus Deſiderius Jacotius: quod in illa *Pleuritide*, (69) *quae vel exquiſita non eſt a Phlegmone muſculorum intercoſtalium, vel Notha, ubi reliqui Pectoris muſculi patiuntur, febris multo diuturnior interdum perſeverat, & ſputa pauca excluduntur, non ſolum propter humoris frigidioris craſſitiem, quae non facile expulſioni paret, ſed etiam propter locum, a quo humor introrſum, aut nullo modo permeat, aut minus, ac difficilius*. Quare paulo poſtea ſubdit, quod *in eo dolore, ſive ſanguinis fluxio fiat a vena Cava Cordi aſſidente in eam, quae Azygos dicitur, & inde in tenues coſtarum venas, ac muſculos Meſopleurios: ſive in externos Thoracis muſculos irruat per ramum, qui a vena Cava in alam emergens propagatur in partes Thoracis externas: ſive è ſummo Capite per cervicem in ſcapulas, & omoplatas, tandemque in lateris externos muſculos, modo priores, modo poſteriores deſcendat humor frigidior: quocunque, inquam, modo excitatus ſit is dolor, ſiquidem febris diutius perſeveret, nec tumor vel expectoretur, vel reſolvatur propter cutis externae denſitatem: tandem ad ſuppurationem vertitur, cujus materia intro effuſa Empyema adfert: exterius propulſa (quod frequentius eſt) Abſceſſum.*

CLXXXV. Quod de externa praeſertim *Pleuritide* expertiſſimus hic Auctor docuit, idem & de interna



(69) *Deſid. Jacot. Com. in Coac. Hipp. l. 5. Sec. 2. n. 75.*

quilibet verum comperiri, nemo inficiabitur, ſive extra, ſive intra *Pulmones* extiterit: unde variae, ut ſupra adnotavimus, differentiae emergunt, quae, ſicuti magis, minuſve gravibus *ſymptomatibus* anſam praebent, ita magis, ſunt minuſve timendae. Quamobrem praeclariſſimus Jo: Baptiſta Fantonus Regis Sardiniae Archiater meritiſſimus &c. ampliſſimus vere Vir, de Medicina multifariam optime meritus, omni profecto jure adnotandum, cuique ſedulo oſtendit, quod (*) *Inflammatio Pulmonis interdum in tota ſubſtantia fit, frequenter in aliqua parte ejus ſuperiori, vel inferiori: laterali vel media: ſuperficiali, vel intima*. Hinc, cum juxta peculiarem partis laborantis rationem, non ſemper eadem *Pleuritici* humoris copia in Pectore quomodocunque ſubſiſtere poſſit, neque eodem ſemper temporis ſpatio ibidem firmari; modo brevior, modo diuturnior evadit morbus: tum quia (ſi ad ſuppurationem vergat) nunc citius, nunc tardius id evenit, parique hinc ratione, vel facilius, vel difficilius ſuppuratio rumpatur, ut inde per *exſcreatum* pus educatur, ſi ad hoc patula ex dictis non deſit via. Hinc non aeque cito, non aeque facile ſuppurationes fieri, aut rumpi, ſemper obſervavi; unde ex Hippocrate ipſo diſcimus, quod (70) *Plurimae ſuppurationes rumpuntur die vigeſimo: aliae quadrageſimo: quaedam ad ſexageſimum diem*. Atque expertiſſimus Hollerius ultro admonet, quod (71) *multis pleuriticorum, ubi longior morbus eſt, ſuppuratio accidit, non omnibus tamen. Materia enim partim reſolvi, partim concoqui poteſt, ut ſine pure concoctum ſputum tandem prodeat*. Quod ego quoque non ſemel in hac praecipue conſtitutione animadverti. Quotieſcunque tamen haec fiebant, congrua ſemper praeibant, & ſequebantur ſigna, quae varia in variis comperiebantur, juxta diverſitatem partis, in qua humor ſuppuratus reſidebat, nec non juxta ejuſdem copiam majorem, minoremve.

CLXXXVI. Dum haec ſedulo in AEgrotantibus obſervabam, divini ſimul Senis maximam admirabar ſolertiam, atque indefeſſam ejuſdem ſolicitudinem, in minimis quibuslibet circumſtantiis ſedulo attendendis, atque tranſmutationibus omnibus graphice exponendis, ſicuti in aliis, ita in hiſce praeſertim Pectoris morbis: quae omnia tutiſſimis indicavit ſignis, ſanioremque de iiſdem praedicendi modum adamuſſim expoſuit; quare cum Galeno omni jure ſtatuendum eſt (72) *ejus ſententias, ut Dei voces habendas*, atque Hippocratem ipſum ideo maxime exiſtimari debere, quum in rebus medicis (73) *Tam fallere, quam falli neſciat*. Dicit autem Hippocrates, quod (74) *qui ſuppurati fiunt maxime ex Pleuritide, ac Peripneumonia, eos calores comitantur, interdiu tenues, nocte vehementes, & nihil memoratu dignum expuunt, ſudantque circa collum, &*

(*) *Fanton. obſervat. Anotomico-Medic. obſ. 16. in ſcholio.* (70) *Hippoc. in Coac. lib. 5. Sec. 2. n. 51.* (71) *Holler. in Com. ibidem n. 75.* (72) *Galenus lib. 1. de uſu partium.* (73) *Macrobius.* (74) *Hippoc. in Coac. lib. 5. Sec. 2. n. 49.*

*& claviculas. Et his oculi cavantur, maxillae vero rubent. Pejus autem calent digiti extremi, & refrigeſcunt, & circa Pedes tumores excitantur, & circa corpus puſtulae. Abhorrent a Cibis &c.* Id ipſum comprobatur ex hiſce, quae Baglivius protulit ſic: (75) *Sanata Pleuritide, ſi remaneat tuſſicula quaedam, & circa veſperas blandus calor per univerſum corpus excitetur; aut Pleuritidis recrudeſcentiam, aut ſuppurationem prognoſticato.* Haec etſi tuta magis, & genuina ſint ſigna, quae plerumque ſuppurationes in Pectore factas comitari videntur, non omnia tamen in omnibus eveniſſe, attendere potui. Praeterquamquod confirmatam potius ſuppurationem indicare ut plurimum haec ſolent, quam incipientem, aut proximam, quam aliunde etiam cognoſci poſſe anno praeſertim elapſo animadverti, quando maximam copiam *Pleuriticorum* plerumque ad ſuppurationem tendentium in Noſocomio habui.

CLXXXVII. Tunc autem quoties *Pleuritici* initio morbi, aut parum per exſcreatum educebant, aut, etſi copioſa habita *anacatharſi*, dolor tamen fixus, & vehemens erat, nihilque febris inde remittebat; ſed cum agitatione maxima Corporis AEgroti noctes irrequieti tranſigebant, comite pulſu frequenti admodum, & duro, mani ſimul tuſſi ipſos moleſtante, cum genarum rubore, ſenſu caloris in Pectore, non raro etiam gravaminis: Suppurationem tunc quam proxime futuram, tutum erat aſſerere. Haec omnia licet ut plurimum poſt decimam quartam diem, in pleriſque occurrere conſueſcerent: non raro etiam ante ſeptimam evenire viſa ſunt, in iis maxime, in quibus ſanguineae veridicae concretionis ſigna adeſſent (de quibus infra) aut nihil prorſus per exſcreatum expurgati fuiſſent. Vidimus aliquando ſoluram ex toto *Pleuritidem* circa decimam quartam diem, praevia laudabili ſputi eruptione morbi cauſae analoga, ac paulo poſtea, (dum de perfecta ſanatione tum AEgroti, tum Medicus, communi Adſtantium plauſu gaudebant) exaſperari denuo inopinato febrim, difficilem magis reddi reſpirationem, cum pulſu concitato, frequenti admodum, cum intenſo calore, & genarum rubore, ſputo iterum cruento, & quandoque etiam minimis tantum ſanguineis filamentis infecto, praevia fere ſemper horripilatione plus, minuſve forti, aut recurrente, juxta concretionis factae variam conditionem.

CLXXXVIII. Dum concretiones hae ad ſuppurationem vergentes aderant, ſive initio morbi, ſive recrudeſcente ipſo, dolor modo magis, modo minus *punctorius*, aut *gravativus* fiebat, pro ratione partis, in qua ipſa ſpecialiter firmabatur. Namque, dum in *Pulmone* aderat, *gravativus* potius, quam *punctorius* dolor evadebat: niſi tamen ob *membranaceas appendices*, aut ob *lymphaticum* dictum gluten *Pulmo* affectus *Pleurae* adhaerens, ipſam in conſenſum traheret, ut ſupra novimus. *Pulmonis* locum, ubi fiebat ſuppuratio, doloris varia poſitio indicabat.

Inſu-

(75) *Baglivius Cap. proprio de Pleuritide.*

Inſuper, quibus *Pulmo* ſic affectus erat, continentibus aliis omnibus Pectoris partibus illaeſis evadentibus, ii minorem in inſpiratione aeris tunc copiam exſugere poſſe videbantur: minuſque in exſpiratione, dum affectus concidit *Pulmo*, quam in inſpiratione, dum ipſe dilatatur, patiebantur; niſi tamen tam copioſa in ipſo adeſſet ſtagnatio, quae utramque reſpirationis actionem aeque labefactare, atque difficilem reddere poſſet. Quotieſcunque tamen extra *Pulmones*, ſive in *appendicibus* dictis, ſive in *Pleura*, ſive in *intercoſtalibus* etiam muſculis, ſive prope *Mediaſtinum* ipſum, pejus circa *Diaphragma*, ſpecialiter aderat concretio ad ſuppurationem vergens: illos ſicca ſemper torquebat tuſſis. Adnotavi inſuper, quod ſi in *Pulmonibus* id praecipue fiebat, rauca etiam reddebatur aliquando vox, non raro cum ſtrepitu quodam tam in inſpiratione, quam in exſpiratione aeris, ac ſi materiae fluctuationem intrinſecus repraeſentaret: quod non aeque ſemper occurrebat.

CLXXXIX. Quo magis ad ſuppurationē appropinquabat morbus, eo omnia graviora reddebantur, atque vehementior reddita febris periodum fere alternativam ſervabat: quod & Baglivius ipſe adnotavit. Etenim (76) *quando inflammatio pleurae, aut tuberculorum* Pulmonis (ait ipſe) *deſinit in apoſtema, & pus, tunc febris vehemens, & continua excipitur a Tertiana, vel Quotidiana intermittente; idq; fit circa ſeptimam diem, eſtque ſignum certiſſimum incipientis apoſtematis.* Id ex Hippocrate ipſo deſumptum eſſe videtur, dum ait. (77) *Febres in ſuppuratione intermittentes, ſubinde exſudantes fere ſunt.* Periodicam hanc ſimulatam febrium acceſſionem plerumque anteibant *horripilationes* recurrentes, quales ut plurimum evenire ipſis, etiam abſque ordine, paſſim noſcimus: iis quoque, quibus perquam facile in Pectore *Tuberculoſi* tumores fiunt, atque ad ſuppurationem tendunt: ſubſequente poſtea ardente febri, quae, prodeunte exinde pure, imminuitur; quod identidem, & in Phthyſicis ipſis evenit. *Sudatiuncula* illa, intermittentibus hiſce *ſuppuratoriis* febribus comes ſemper adjungitur, accedentibus quoque promiſcue *horripilationibus* dictis: quod idem monet Hippocrates. (78) *Qui identidem inhorreſcunt, ad ſuppurationem deveniunt. Sed & febris iis ſuppurationis eſt comes.* Inveteratam tamen ſuppurationem tanto facilius noſcere quis poteſt, quanto clarius & ipſa AEgrotorum facies per ſe loquitur: unde & Deſiderius Jacotius animadvertit, quod, (79) *Purulentus ab exercitato Medico ſolo fere aſpectu deprehendi queat, ut ſi inter totius faciei colorem ſubviridem, obſcurum, cavos oculos, pupillam obſcuram, Corporis extenuationem, collum gracile, vultum triſtem, cum tuſſicula ſaepius irritante, veluti flos quidam ruboris tenuis genas ſuffundat.* Hiſce addam faciei tumorem, & manuum, frontis nitorem quendam, totiuſque etiam faciei,

(76) *Baglivius Cap. proprio de* Pleuritide (77) *Hipp. in Coac. lib. 5. Sec. 2. n. 78.*
(78) *Hipp. in Coac. lib. 5. Sec. 2. n. 76.* (79) *Deſid. Jacot. in Coac. Hipp. ibid. n. 78.*

ciei, ac ſi albumine ovi facies undecunque oblinita eſſet.

CXC. Haec autem tutiora ſunt ſigna: nec ſimul omnia, neque eodem ſemper modo, aut tempore obſervantur, cum juxta varias ſuppurantis materiae conditiones, affectaeque partis peculiarem indolem, varia in variis comperiantur: quare *aequivocationi* locus perquam facile ſupereſt. Attamen tutius ſignum purulenta ipſa prodiens materies patefacit, quae, ſi album colorem, nec foetidum odorem referat, laudabiliterque effluat, indeque pari modo *ſymptomata* omnia recedant, aut ſaltem miteſcant, ſolvere morbum tuto conſueſcit. Talis puris eductio facilius, citiuſve evenit, ſi in *Pulmonibus* ipſis ſuppuratio facta ſit, ut ſupra monuimus, atque liber ad *Bronchiales* tubulos aditus remaneat: non autem aliis modis extra Pulmones conſiſtat, pro ut & infra magis patebit. Ex dictis enim ſatis conſtat, quod eo magis difficilis puris excretio fit, ſi in *Pleura*, ſi in intercoſtalibus muſculis, ſi in appendicibus colligantibus *Pulmonem* cum *Pleura* concretio, & ſuppuratio praeceſſerit. Attamen non negaverim, naturam ignotas quandoque in AEgrotorum bonum vias quaerentem, per cava illa filamina, appendices dictas contexentia, purulentum hunc humorem a *Pleura* ad *Pulmones* transferre poſſe: quae quidem brevior eſſet via intento ſatisfaciens melius. Per hujuſcemodi enim filamina immediata communicatio adeſt *Pulmonis* cum *Pleura*.

CXCI. Verum ſi nullo modo, aut non tam cito optata haec Puris eductio haberi poſſit: ſtagnans ibidem diutius pus, *Pulmonarem* corrodit ſubſtantiam, aut ſaltem maxime mordet; unde continentes fibrillae illae contrahuntur, atque, ſtagnante ſucceſſive ſanguine, lethalis ſubſequitur inflammatio. Ad hanc provide evitandam mille tentat molimina nunquam inexperta natura, dum *folliculus* rumpitur, in quo pus continebatur. Si hoc fiat verſus cavitatem Pectoris, in eam pus ſtatim, & affluenter effundit: ſi verſus externas partes, ad interſtitia intercoſtaliũ, aut aliorum muſculorum ipſum demandatur; quandoque uſque ad extimam Corporis ſuperficiem, ubi in unum collectum partem in tumorem elevat: ſive adjacentium canalium hiatibus ita pus ſeſe aptat, ut *venoſos* inde, & *lymphaticos* fortaſſe melius tubulos ſubiens, ad communem reducatur *circulationis* ſemitam, indeque ad diverſa deferatur *emunctoria*. Dum purulenta haec materies ad ſanguinem tranſmittitur, exacerbatur illico febris; quia ab ipſa diſſolvitur maxime ſanguis, atque in aeſtuantes tumultus reducitur.

CXCII. In cavitatem Pectoris pus praeſertim eructant ſuppurati tumores illi, qui immediate ſub Pulmonum tunica extima conſiſtunt, quae facilius, citiuſque diſrumpitur. Hinc, & praelaudatus ſupra Fantonus in libro ſupra citato accuratiſſime obſervavit, quod *ſi in parte aliqua* (Pulmonis nempe) *non procul a ſuperficie cum magna ſanguinis irruptione*

*ne fiat* inflammatio, *facile in abſceſſum tranſit, & diſrumpitur Pulmo, materiaeque effuſio in cavitate Thoracis ſubſequitur*. Hujuſce quoque effuſionis genuinam rationem ibidem ſapienter ſubdit. Id etiam pari modo evenit, quoties inflammatio in ipſa *Pleura* reſidet: dummodo tamen ipſa non adeo tenax ſit, ut, genito abſceſſu, purulentus humor undecunque impetum faciens, eandem diſrumpere queat. Talem puris in cavitatem Pectoris effuſionem, rupta *vomica*, factam facile erat dignoſcere ex gravitate praeſertim circa *Diaphragma*, quae tunc innoteſcit in reſpirationis actu, difficiliore inde ideo reddito; quia difficilius movetur *Diaphragma* adjuncto novo hoc pondere preſſum. Hinc dum movetur Corpus, ab uno in alterum latus, ſtrepitus quidam, praeter gravitatem, plus, minuſve efficitur, habita ratione copiae puris jam transfuſi, atque illius etiam, quod illuc continuo tendit.

CXCIII. Inter quamplurimos, quos tunc habui, atque antecedente praeſertim anno *empyematicos* curandos, inveſtigare ſedulo non omiſi, per quas nam vias, & quomodo nam pus in cavitate Pectoris latitans *Pulmones* immediate ſubiret, ſicque per exſcreatum educeretur. Sciebam enim, nonnullos tranſacti ſaeculi Auctores, & Helmontium praeſertim, ut Lucas Tozzius refert, (80) exiſtimaſſe, extimam *Pulmonum* tunicam innumeris ſatis patentibus porulis munitam eſſe, ita tamen, ut contentum in cavitate Pectoris pus educi poſſet, aeri autem inde neutiquam aditus concederetur ad cavitatem dictam, congruis ad id obſtantibus valvulis propter hoc a natura ipſa induſtrioſe fabrefactis. Quidquid ſit de hac ſententia, quae eo minus veritati affinis credenda eſt, quo magis chimaerice ſupponit: ex repetitis obſervationibus certe didici, duplici tantum, & non alia quavis ratione *Empyematicorum* pus *Pulmones* ſubire: nempe, vel dum *vomica* in *Pulmone* ipſo diſrupta extimam ipſius tunicam laceraverit: vel dum illaeſo ex toto *Pulmone*, ruptaque *vomica* in *Pleura*, aut *appendicibus* ejus, aut in *Mediaſtino*, effluens poſtea pus per adnexos hinc inde hiantes tubulos aſſumitur, atque ad *circulationis* ſemitam cum univerſa humorum maſſa pergit, ut tandem ad *Pulmones* perveniens firmari ibidem poſſit, atque inde educi. Si habitis a me pluries Cadaverum inſpectionibus credendum unquam eſt, certe aſſerere non vererer, prima plerumque, quam ſecunda potius ratione *Empyematicorum* Pus per *Pulmonum* viam excerni; maxime cum (etſi pluries *vomica* in *Pulmone* diſrupta non ſit, atque aliunde quomodolibet Pus ab aliis Pectoris partibus devenerit) in cavitate tamen moram agens ſpeciali, qua pollet, corroſiva vi extimam *Pulmonum* tunicam tractu temporis exedit, aditumque ſibi congruum parat, ut inde commode *Pulmones* ſubire poſſit. Quoties enim *Empyematicorum* Cadavera diſſecui, ſemper ulcus, modo majus, modo minus

inveni

(80) *Lucas Tozzius Cap. de Empyemate.*

inveni extrinſecus in alterutro ex *Pulmonibus*, ſi in alterutra Thoracis parte Pus latitabat: aut in utroque, ſi utraque pars gravata ipſo fuerat. In hac extima *Pulmonis* corroſa parte facile erat conſpicere minimas *bronchiorum appendices* exeſas, atque eorundem hiantia oſtiola, quae indeſinenter in actu expirationis contentum in cavitate pus exſugere poterant, illudque ſucceſſive ad majores *bronchiales* ramos, atque ad Trachaeam tandem transferre, ut per exſcreatum prodiret. Caeterum quando illaeſam ex toto *Pulmonum* extimam ſuperficiem in *Empyematicorum* cadaveribus inveni, majorem ſemper puris copiam in cavitate vidi, minuſque AEgroti per exſcreatum expurgati fuerant; cum praedictus puris tranſitus ad *Pulmones* haberi ſic neutiquam potuiſſet.

CXCIV. Quod autem hoc modo, quaſi per ſuctionem factam a *bronchiorum* minimis corroſis *appendicibus*, ad *Pulmones* purulenta materies transferri plerumque ſoleat, eo veritati conſonum magis videtur, quo magis tum ex cadaverum inſpectionibus, tum ex ratione ipſa evincitur. Etenim occaſione *Paracenteſis* in *Empyematicis* factae, eductoque ſic pure, dum *balſamicis*, aliiſque congruis *injectionibus* Chirurgus uteretur, injecti liquoris ſaporem adamuſſim ſe guſtare referebant AEgroti: maxime cum valida urgenre tuſſi, mucoſam materiem ab intima *Pulmonum* parte haurirent. Hoc autem, meo judicio, nullo alio certe modo explicari tunc poterat, quam per ſuctionem hujuſce liquoris a *Pulmonibus* factam per *appendices* bronchiorum laceratas: quo modo, & pus abſorberi putamus.

CXCV. Verum licet difficilius evenire poſſe noſcam, quod pus in *Empyematicis* a ſanguineis ductibus abſorbeatur, ut inde univerſalis *circulationis* beneficio, *Pulmones* quoque ſubire tandem queat: hoc tamen impoſſibile certe non eſſe, quotidiana docet experientia. Etenim ad Renes etiam non raro pus transfertur tum in *Empyematicis*, tum & in Phthyſicis; nec non etiam ad Alvum, atque alia *emunctoria* quaelibet, ut inde poſtea extra Corpus educatur. Hoc autem per cõmixtionem purulentae materiae cum ſanguine fieri, & ipſe novit oculatiſſimus Duretus, dum aſſerit, quod materia pleuritica (81) *Aliquando per arteriam venoſam in ſiniſtrum Cordis ventriculum influit, indeque in magnam arteriam, ut ex ea in Renes, a quibus cum urinis excluditur, & ſic pleuritici defunguntur Pleuritide (nimirum ſuperiorum coſtarum) ut ego in multis obſervavi. Idem quoque fieri poteſt cum dejectionibus: tot enim modis ſaneſcit Pleuritis. Aliae vero ſunt ejuſdem metaſtaſes contra naturam, ut' tunc Pleuritis, quae intra decimam quartam diem, nec liberam, nec liberalem habuit anacatharſim, mutatur in Empyema, ſeu ſuppuratum, quod fit rupta vomica, & effuſo pure in cavitatem Thoracis, ut docet Hippocrates 2. prognoſtic. & in Coac. Atque hoc ſuppuratum exitum habet, vel per anacatharſim intra quadraginta dies, vel per urinas*

(81) *Duretus Com. in Holler. Cap. 26. de Pleuritide.*

*urinas purulentas, abradentes, & ſtrangurioſas &c.*

CXCVI. Nec mirum unquam mihi erat attendere pus ſive *Empyematicorum*, ſive *Pleuriticorum* a vaſis ſanguineis abſorptum ad Renes, atque ad Alvum tendere: cum & paſſim videamus *Hydropicorum* ſerum in cavitate *Abdominis*, atque etiam Pectoris quandoque transfuſum, *lymphaticos* poſtea ſubire tubulos, provido, atque admirando naturae miniſterio, atque inde per urinas affluenter ſecerni: quod quidem & ipſe ſolertiſſimus Holletius indicavit. (82) *Quomodo vero* (inquit ipſe) *in Hydropicis humor laxiore ſpatio Abdominis concluſus transfluit in venas, & hinc in Renes, atque per veſicam expurgatur, atque Pituita inter ſeptum, & ventrem eodem ſpatio continetur, per venas ad veſicam viam ſibi parat; ita pus effuſum a natura tenuatum tranſumitur in venas, & Arterias, atque hinc modo ad Renes, modo ad inteſtina demittitur mirabili naturae providentia, omnia molliente, ut ſalutem AEgro quaerat.* Induſtrioſas hujuſcemodi naturae tranſlationes, non ſolum a Pectore, ſed etiam ab aliis quibuslibet Corporis partibus ad Renes, & Alvum fieri paſſim, quilibet noſcit Clinicus Medicus, atque ego ipſe peculiares quamplurimas hic hiſtorias recenſere poſſem, quas, ad nimiam effugiendam prolixitatem, non vacat diſtincte proponere. Hinc fit quod in Phthyſicis praecipue, maxime cum parum puris per exſcreatum educunt, remedia quaelibet ex *Therebinto* parata, tum & Balſamum de *Copaiba*, atque alia hujuſcemodi convenire maxime videantur: non ſolum quia *balſamica*, atque *abſterſiva* vi ſua ulceratas partes optime detergere, atque ab ulteriore corruptione defendere non parum valent: verum etiam quia tanquam *diuretica* Renales tubulos reſerare magis poſſunt, ſimulq; purulentum humorem attenuando, ipſius exitum per urinas facilius promovere: quod ego ipſe toties feliciter eveniſſe obſervavi. Hoc tutius ſemper praeſidium eſſe arbitror, cujus ope tantum, & non aliter, in deſperatis hiſce morbis (cum ex toto cauſam aliter evincere non conceditur) AEgrotantium vitam diu protrahere poſſumus: quod & in quibuſcunque aliis *ſuppurationibus* fauſto eventu contingere non ſemel animadverti.

CXCVII. Specialis Phthyſis, ob ſuppurationem, indeque ulcus non parvum in *Pulmonibus* paulatim genitum, omnimodam, admirabilemque ſolutionem per urinam anno 1735. obſervavi in Nobili Juvene Comite Rebuffo in Pedemontanorum Agmine, vulgo dicto *de Fucilieri*, Signifero, atq; decimum octavum annum tunc circiter agente. Expedit autem hic pro aſſumpti probatione totius morbi hujuſce hiſtoriam hic graphice exarare. Egregius iſte Juvenis menſe circiter Decembri tranſacti anni 1734. acuta febri correptus fuit, propter quam, etſi congruis adhibitis remediis, prope decimam quartam morbi diem ad agonem fere pervenerat. Comes ſemper aderat tuſſis plerumque inanis, aliquando craſſa

(82) *Holler. com. in Coac. Hipp. lib. 6. Sec. 2. n. 4.*

craſſa prodeunte lympha ſanguineis filamentis perſaepe inſperſa, una cum reſpirandi difficultate maxima, atque intenſo calore. Poſt decimam quartam diem, nil prorſus remittente morbo, iiſdemque ſemper, magiſque quam antea, vigentibus *ſymptomatibus*, inchoati jam in *Pulmone* ulceris manifeſta aderant ſigna. Addita hinc eſt diarrhoea, cum intenſa ſiti, linguae ſiccitate continua, vigiliis, univerſaque corporis emaciatione in dies ſemper adaucta, una cum delirio continuo, quo a primis uſque morbi diebus per integros fere duos ſequentes menſes indefinenter laboravit. Tunc praeter conſueta praeſidia acutae praegreſſae febri accomodata, ad *incraſſantia* omnis generis, *demulcentia*, ſeu *diluentia* quaeque confugi, quae properantem jam Phthyſim reſpicerent: non neglectis quandoque *cardiacis*, ut ajunt, remediis, atque maxime *ſtomaticis glutinoſis*, quae immoderatum Alvi fluxum cohiberent. Hinc, & ſi morbus aliquantulum compeſci videretur, nulla tamen ſalutis ſpes aderat. Nocturni enim copioſi acceſſere ſudores, vigiliae eo magis protractae, ſitis magis intenſa, aliis quoque non deficientibus *ſymptomatibus*. Corpus ſucceſſive magis, magiſque conficiebatur macie, propterquam jam ad *maraſmum* tendebat, difficili magis reddita reſpiratione. Haec autem omnia eo pejus praeferebant omen, cum parce admodum Pus per exſcreatum prodiret, quamvis non interrupta vexaretur tuſſi. Tertio tandem fere tranſacto ab initio morbi menſe, adaucta derepente magis febri, Pus cum urinis apparuit, praevio ardore maximo: quare paulo poſtea melius ſe habuit. Quamobrem purulentam excretionem hanc veluti *criticam* attendens, ad *Therebentinata*, aliaque balſamica remedia ſtatim confugi, quorum ope Renum *ſecretorios* porulos aperire magis poſſem, ſicque incoeptam puris dejectionem magis promovere. Res autem pro votis ceſſit. Horum enim remediorum ope, additis copioſis decoctionis Malvae potibus, ſicuti & *Emulſionibus* Amygdalarum dulcium, pluſquam ſex libras puris iteratis vicibus cum urina ejecit, *critica* hac excretione per tres & ultra hebdomadas protracta. Hinc quo affluentius prodibat Pus, eo magis *ſymptomata* quaeque mitiora reddebantur, febris remittebat, quae, abſoluta tandem *Criſi*, omnimode evanuit. Hinc nativum Corpori acceſſit paulatim robur, ipſeque pinguior in dies factus initio menſis Aprilis Auguſtam Taurinorum rediit; ubi nativo fruens puriore aere, atque Nobilium Parentum ſuorum ſuavi conſuetudine gaudens, tam incolumem iterum nactus eſt valetudinem, ut militari conſueto muneri ſe generoſe committere denuo potuerit.

CLCVIII. Nec minus admirabilem Puris excretionem cum urinis hoc eodem anno 1735., infauſto tamen exitu, obſervavi in Adoleſcente quodam, Parravicino nuncupato. Iſte *maligna*, ut vulgo dicitur, febri tunc Cremonae acriter graſſante correptus fuit, a qua conſuetis (juxta methodum noſtram, quae infra ſuo loco

co proponetur) adhibitis remediis, fere ex toto convaluerat. Tunc cum sinistrum Brachium inopinato quam maxime obtumuit prope sciſſuram a Phlebotomo ibidem factam. Tumor jam ad suppurationem vergebat, jamque Pus aliquantulum per hians adhuc idem vulnusculum prodibat. Accersitus tunc fuit expertissimus, doctissimusq; Chirurgus noster Cardanus Chirurgica laurea jure, ac merito insignitus, Vir profecto omni laude dignus, qui, una cum diuturna admodum praxi, Theorica saniora omnia tum Veterum, tum Recentiorum ratiocinia in arte sua adamussim possidet. Iste ampliore statim facta sciſſura, patulam magis prodeunti Puri viam provide paravit. Ast, dum a Puris exitu tutior salutis spes reddebatur, inopinato tumor intempestive evanuit. Cum id ego animadverterem, non abs re mihi visum hinc fuit conjicere, quod residuum Puris paulo antea in Brachio consistens, indeque ad sanguineam massam extemplo repulsum, lethales in internis partibus *stases* progignere posset: nisi aut per urinarum vias, aut alio modo extra Corpus protruderetur. Nec prorsus fallax judicium fuit. Protinus enim febris iterum adaucta est, accedente Respirationis anxietate, universa Abdominis tensione, siti maxima, linguae siccitate, aliisque hujusmodi *symptomatibus*, quae inordinatum sanguinis tumultum, ab intro pulso Pure factum, aperte indicabant. Hinc Febris *symptomatibus* hisce modo magis, modo minus vigentibus stipata ad quadragesimum usque diem protracta fuit: irritis evadentibus copiosis Alvi dejectionibus plerumque biliosis, sive *spontaneis*, sive Clysterum laxantium ope promotis, sicuti & diluentibus potionibus, quibus vehementem sanguinis aestum compescere saepe non omittebat. Paulo postea cum urinis Pus prodiit, molesto praevio ardore: dum secus antea limpidae semper apparuerant. Attamen, licet hujusmodi purulenta excretio *criticum* Naturae motum simulare videretur per plures dies protracta: irrita prorsus evasit: Incassum itaque *Therebinto*, aliisque balsamicis usi fuimus, ut ipsam magis, magisque promoveremus. Quapropter addita hinc Respirationis anxietate, frigido undecunque sudore perfusus, spiritum miserrime efflavit.

CIC. Quamplures alias recensere hic possem observationes in Phthysicis habitas, in quibus, deficiente purulento exscreatu, aut saltem magna ex parte imminuto, pus diutius per urinas cum manifesto levamine effluere visum fuit; quod specialiter trium & ultra mensium spatio plus, minusve identidem evenire animadverti hoc eodem anno Dominae Verzummae Pedemontanae inveterato *Pulmonum* ulcere laboranti, conferente ad id maxime iterato usu *Balsami de Copaiba*, cui praesertim sicuti in hisce, ita & in aliis quibuslibet internis *suppurationibus*, simulque in *lymphaticis* omnibus *stasibus*, fidendum jure merito esse semper existimavi, cum in utrisque morbis, hujusmodi tam efficacis remedii ope, tum patula magis ad Renes

via reddatur, tum reſidens in internis partibus Pus, aut ſerum ita diſſolvatur, ut per *urinarias* vias affluentius prodeat. Memini me paucis ab hinc annis AEgrotam e religioſo Coetu Divae Barbarae hujuſce Civitatis ab imminente jam morte vindicaſſe ſolo *Balſamo de Copaiba*. Iſta contumaci Aſthmate vehementi pluſquam per menſem detenta fuerat, nil penitus exſpuens, modica excepta ſaliva, quae occaſione tuſſis, quaſi per vim, educebatur. Imminuebatur hinc quotidie magis urinarum excretio. Qua de re toto ſucceſſive intumeſcente corpore ad *Hydropem* pervenit, tam magna ſpirandi difficultate laborans, ut lecto nil penitus incumbere poſſet, animam jam jam miſere agens. Conſuetis aliis adhibitis remediis, tunc ad Balſamum hoc confugimus, quo per plures dies quotidie uſa fuit. Hinc paulatim adaucta ita fuit Renum jamdiu optata ſecretio, ut pluſquam decem libras urinae quotidie excerneret, ſeroſo ſimul eodem latice per Alvum affluenter prodeunte. Habita ideo ratione *criticae* hujuſce excretionis, univerſus corporis tumor paulatim evanuit. Hinc reſpiratio libera evaſit, aliiſque pari ratione devictis *ſymptomatibus*, omnimode convaluit. Alias omittam peculiares obſervationes, quae admirabilem hujuſce *Balſami* vim, ad internas quaslibet *ſtaſes* tum *purulentas*, tum *lymphaticas* diſſolvendas, atque radicitus evincendas, eo magis confirmare poſſent: quarum omnium, praeter AEgrotos ipſos, alioſque non modicae aeſtimationis Viros, Diſcipulos praeſertim meos adducere teſtes poſſum: atque ſpecialiter eruditiſſimum Juvenem Andream Buſaccum tum ſolidioris Medicinae, cum ſelectioris omnigenae litteraturae maxime ſtudioſum, atque nunc Praxim Medicam in Noſocomio Placentiae omni plauſu profitentem: Franciſcum Gabellum levirum meum, qui Medicinam fere per traducem, praeter habita per plures annos mecum ſtudia, ſe poſſidere gloriari merito poteſt; utpote a celeberrimo quondam Medico Franciſco Maria Gabello derivatus, tum & a Primitio Gabello praeceptore olim mei amantiſſimo: Joſephum Telò, & Franciſcum Marenchi filium expertiſſimi Viri Joſephi Marenchi, qui inter Cremonenſes primarios Medicos praxim egregie profitetur: maxime tamen perſpicaciſſimum, ſtudioſiſſimumque Juvenem Joſephum Migliavaccam, a praeclariſſimo quondam Medico Jo: Jacobo ortum, qui poſt habitas a me una cum aliis Inſtitutiones Medicas, completamque mecum per ſex circiter annos Praxim, nunc in Noſocomio majore noſtro Medicus mihi ſubſtitutus omni jure electus fuit, ad majora ſemper abiturus.

CC. Verum dum admirabilem hujuſce Balſami de *Copaiba* vim, utilitatemque maximam, ſicuti in morbis omnibus a *lymphatica* concretione quomodocunque pendentibus, ita & ſpecialiter in internis quibuſvis *ſuppurationibus*, atque in *phthyſi* maxime commendo (quod & quibuslibet aliis *balſamicis abſtergentibus* remediis ad eandem claſſem reducen-

dis convenit) non deerunt plurimi, qui methodum hanc omnimode reſpuentes, nimiae fortaſſe audaciae notas mihi incutient, meque acriter condemnare contendent: praeſertim ſi de *Phthyſicis* agatur. Dicent enim, quod dum *Phthyſicus* AEgrotus, indeſinenti detentus febri, interno acri exurente calore, adipoſam undique ſubſtantiam diſſolvente, & abſumente, nec non cutim ipſam exſiccante, vexatur: dum humores omnes diſſolventem maxime, ſeu, ut ajunt, *ſalinam*, *ſulphureamque* indolem aperte oſtendunt: dum urinae *flammeae* ſunt, & tenues, ſalſa, aut amaricantia ſputa: dum inanis plerumque, atque frequens admodum viget tuſſis, cum ardore faucium, ſimulque Alvus perquam facile ſolvitur tenuibus, bilioſiſque dejectionibus: dicent, inquam, quod dum haec omnia, aut pleraque ſaltem, aut alia etiam hujuſmodi adſunt *ſymptomata*, ad *incraſſantia* omnis generis tantum, ad *demulcentia*, *nutrientia*, aliaque ejuſdem indolis Remedia confugiendum ſit; utpote ad illa, quae diſſolutos nimium humores figere ſatis poſſint, deperditamque ſolidorum ſubſtantiam reſtituere, ſimulque internos aeſtus commode compeſcere. Qua de re non ſolum tanquam inutilia, verum etiam tanquam maxime noxia condemnabunt *balſamica* quaeque dicta remedia, veluti illa, quae morbum augere eo magis poſſint, dum enarrata *ſymptomata* omnia fovere (ut ipſi ajunt) pejoraque etiam de novo accerſere apta nata ſint. Si quis e cortice tantum (ut trito adagio fertur) rem hanc intueri vellet, juſtaque minus trutina rationes haſce perpendere; profecto iſtorum ſententiae aſtipulari primo intuitu neutiquam recuſaret. Re autem melius perſpecta, protinus noſceret, quod aliud eſt *ſymptomata* morborum reſpicere, aliud morbos ipſos, qui illorum genuinae ſunt cauſae. Quo uſque Medicus *ſymptomata* tantum ſedare quaerit, cauſae autem nil prorſus, parumve attendit: dum AEgrorum incommoda minuere ſatagit, morbum ipſum radicitus evellere turpiter negligit. Non ignoro tamen, tam gravia aliquando evenire *ſymptomata*, quae omnem, ut dicimus, ad ſe curationem trahere merito ſolent: dummodo tamen primaria ſimul non omittatur cauſa. Aſt dum in *Phthyſi glutinoſis* tantum, *narcoticis*, *attemperantibus*, ſive *demulcentibus*, ut ajunt, remediis, ob dictas cauſas, utimur: tantum abeſt, quod primariam morbi cauſam evincere poſſimus; ut ipſam magis magiſque augeamus, AEgrotumque ad exitum praemature cogamus; maxime ſi *balſamica*, ſanioraque alia *incidentia* congrua, ſeu *deterſiva* omnimode omittamus. Verum ut rem ab intrinſeco magis perſcrutari poſſimus, aliis interea omiſſis Auctoribus qui de *Phthyſi* accuratiſſime diſſeruerunt, atque ſententiae meae ſatis ſuperque favent: unum hic adducam praeclariſſimum Deſault (*) qui nuper eruditiſſimam edidit diſſertationem de *Phthyſi* omnibus certe laudibus jure, meritoq; commendandam.

(*) *Pier. Deſault diſſert. ſur la Phthiſie a Bordeaux 1733.*

dam. Paucis afferam ea praecipua, quae accuratiſſimus hic Auctor ſuper cauſa, & curatione *Phthyſis* perpendenda eſſe proponit. Quum ipſe ſaepius cum Hippocrate etiam animadvertiſſet, quandoque *Phthyſim* adeſſe, abſque quod nec ſanguinis quidpiam, nec puris per exſcreatum prodiret: aliquando & ſanguinem, & pus, modo majore, modo minore in copia apparere: pro peculiari hujuſce morbi cauſa, cõgeſta in *pulmonibus tubercula* majora, minorave ſtatuẽs; in primo caſu haec *cruda* eſſe cum Hippocrate certe dicit, utpote, illa quae nunquam rumpuntur, neque ad *ſuppurationem* unquam perveniunt: in ſecundo autem ea talia eſſe opinatur, quae facile ſanguinem eructent, indeque facile ad *ſuppurationem* tendant: unde *ſymptomatum* quorumcunque originem optime deducit. Hinc firmum, ratumque ipſi eſt, *Phthyſim* plerumque, omnique jure ad *ſcrofuloſos* morbos reducendam eſſe, cum eadem in utriſque, parique modo occurrere *ſymptomata* animadvertat, eademque prorſus ſit ratio (ſervata tantum ratione diſcrepãtiae affectae partis) tum *tuberculorum* in interſtitiis *Pulmonaris Parenchymatis* latitantium, tum *ſcrofularum* in glandulis quibuſvis adnaſcentium; nam utrique tumores modo ad *ſuppurationem* vergunt, modo non. Si haec vera ſint (quae quidem rationi, & experientiae conſona multifarie probari poſſunt) genuina hinc prodit ratio, unde ſaniores emergunt indicationes, quas in *Phthyſis* methodica curatione attendere prudens debet Medicus, tum ut morbum, ſi fieri poteſt, radicitus evellat, tum ut ſaltem imminens quamproxime exitium longius avertat. Hinc id unum viriliter agendum merito indicat oculatiſſimus hic Auctor, nempe ut tubercula iſta efficacibus ad id magis remediis deſtruantur; qua de re *incraſſantia* quaeque, *narcotica*, & *demulcentia*, *ſymptomata* tantum, non cauſam reſpicere ſic aperte oſtendit. (*) *Chercher a calmer la toux, les inſomnies par des ſyrops narcotiques, & autres; vouloir fixer avec du Kina une fievre ſymptômatique, qui dépend d' obſtructions, & dans la ſuite, du mélange du pus de l' ulcere avec le ſang; quand bien même on pourroit y réüſſir: N' eſt-ce pas s'attacher au ſymptôme, & negliger la cauſe du mal?* Hinc teſte Baglivio, & Mortono *deobſtruentia* congrua quaeque in hiſce morbis laudat, *diuretica* nempe maxime, tum & *chalybeata*, *balſamica*, atque etiam *mercurialia*: unde Mortonum ſic loquentem adducit. *Nullus dubito quin prudenti delectu, & frequenti mutatione tenuis, & aprici aeris, & longo uſu medicaminum balſamicorum, mercurialium, chalybeatorum, millepedum, praecipue vero aquarum mineralium, atque aliorum antiſcorbuticorum remediorum iſti tumores in his aeque, ac in aliis partibus conſumi poſſint, atque aeger inde liberari a Phthyſico, & ſcrofuloſo affectu, quod ſaepius experti ſumus.* Saniora haec ſunt, & probata toties remedia, quibus unice cum contumaciſſimo hoc morbo utilius pugnandum eſt. Hinc dum in hunc finem alii chalybem, veluti *ſupremam morborum chronicorum panaceam*, feligunt;



(*) *Deſault loc. cit.*

gunt; alii *Balſamum Peruvianum*, alii *Balſamum Sulphuris Therebentinatum*, aliave tot remedia optima ex *Sulphure* parata: ego plerumque *Balſamo de Copaiba* tantum uti ſolitus fui, quod quidem utiliſſimum ſemper novi. Ex allatis enim ſupra obſervationibus, atque aliis quamplurimis etiam certo aſſerere non vererer, nullum certe utilius ipſo, nullum tutius haberi remedium, quod omnibus indicationibus in hoc morbo ſatisfacere valeat: dum eodem tempore congrua ipſius ope internas quaslibet concretiones ſive *lymphaticas*, ſive *lymphatico-ſanguineas* in *Pulmonibus*, ſicuti & alibi exiſtentes efficaciter ſolvimus, eoſdemque humores ad *urinarias* vias facile perducimus. Unde patet *Balſamum* hoc *de Copaiba* ſemper convenire, ſive *Phthyſis* a crudis *tuberculis* dictis oriatur, ſive etiam ea ad *ſuppurationem* tendant; cum in utroque caſu omnem adimpleat paginam. Dum autem haec in medium profero, praeſto erunt *methodici* alii Medici, qui, effectus morborum potius, quam cauſas attendendo, hujuſce *Balſami* uſum prorſus reſpuent, atque veluti pernicioſum condemnabunt. Putant enim, ipſum actuoſis maxime, ſcindentibus, atque aeſtuantibus facile particulis ſcatere, quae in maſſam ſanguinis intruſae, ipſum plus aequo diſſolvunt, febrim augent, tuſſim exaſperant, diarrhoeam promovent, atque tandem *ſymptomata* quaeque graviora reddunt. Dum pleno nimis haec ore aſſerunt, *Pectorales* tantum potiones, Aſininum Lac, aut aliud, Saxoniae vulgare ferculum, Pilullas de cynogloſſa, juſcula Cancrorum, Ranarum, Teſtudinum, aut ſimilia tot alia nutrientia, & *incraſſantia* commendant ſolum: praeter quae aliquando trepidanti admodum pede ad modicam doſim *Therebinti*, aut *Succini* confugiendum eſſe concedunt; omiſſis interim *vulnerariis* quibuſcunque, atque *diſſolventibus* remediis, quae directe morbi cauſam adoriuntur. Qui tali ducuntur methodo in curatione *Phthyſis*, illi certe mihi videntur eſſe, (*) *qui certis, deſtinatiſque ſententiis addicti, ea ſunt neceſſitate conſtricti, ut etiam, quae non probare ſoleant, ea cogantur conſtantiae cauſſa defendere*. Summo enim jurejurando ita quorundam Antiquorum placitis emancipati ſunt, ut

(**) *Turpe putent parere minoribus,*
*& quae*
*Imberbes didicere, Senes perdenda fateri.*

Si verum eſt ex Phyſicis, quod *ablata cauſſa removetur effectus*: qui ſecus effectum tantum deſtruere ſatagent, morbi cauſſam peſſime negligent. Tutiore ideo hinc conſilio, tum in hiſce, tum in aliis hujuſce indolis morbis, quoties de partium quarumvis laeſione agatur, a Chirurgicis maxime documentis magis tutam ſanioris methodi viam deſumere ſoleo. Iiſdem enim (mutatis mutandis) praeſidiis penitus internam affectam partem curandam eſſe pro certo habeo, quibus & extrinſecus in alio ſimili morbo Rationalis Chirurgus uti debet. Quis autem tam

(*) *Cicer. Tuſcul. 2.* (**) *Horat. lib. 2.*

tam amens erit, ut in externo ulcere, *oleoſa* tantum, *farinoſa*, & *lactea* adhibere remedia quaerat, ſimulque *deterſiva*, *exſiccantia*, & *balſamica* omittat? Quis in externo *tuberculo*, ſive *lymphatico*, ſive *lymphatico-ſanguineo incraſſantia* ſolum, & *glutinoſa*, concretum jam humorem magis magiſque *coagulantia* laudabit, *attenuantibus* omnibus, & *reſolventibus* prorſus rejectis? Quare, congrua hinc habita analogia, ſatis patet, cur potiore jure, & ad *Phthyſis* primariam evincendam cauſam *incidentia* quaeque, & *balſamica* dicta optime conveniant, & neceſſaria ſint; maxime cum in hiſce morbis, praeter *tubercula* in *Pulmonibus* exiſtentia, Hepatis etiam peculiares *obſtructiones* adſint, quas praelaudatus Deſault obſervavit. Attamen fateri debeo, quod, dum *balſamica* haec in hoc morbo tanquam praecipua habenda eſſe cum ſanioribus doceo: *nutrientia* & *incraſſantia* ſupradicta neutiquam rejicio. Hiſce namque Medicum uti debere ego quoque concedo (quod & ego ſemper facio) dummodo tamen caute adhibeantur, iiſque primarius curationis cardo non inhaereat. Hoc tantum modo ad haec quoque confugere Rationalis debet Medicus, tum ut primariam morbi cauſam evellat (quod maxime intereſt) tum ut gravioribus ſimul evincendis *ſymptomatibus* attendat, atque praeſertim univerſali Corporis *emaciationi* proſpiciat, quae *nutrientia* ſelectiora expetit. Haec omnia per tranſennam proponenda hic autem erant, ut quiſque noſceret, me non chimaerico prorſus ratiocinio uſum fuiſſe, dum in *Phthyſicorum* curatione ad *balſamica* me confugiſſe monui, ſimulque ea in quibuſcunque internis *ſuppurationibus*, aut Partium *obſtructionibus*, veluti praecipua, magiſque efficacia, uſurpanda eſſe docui, *Balſamum de Copaiba* diſtincte laudans.

CCI. Caeterum in internis Pectoris *ſuppurationibus*, quotieſcunque pus per *exſcreatum* ſatis haudquaquam educitur, non ſemper per *urinarias* vias aditum ſibi modo ſupradicto parat; Aſt, juxta AEgrotorum peculiares diſpoſitiones varias, modo ad haec, modo ad illa potius *emunctoria* tendit, quod tamen non aeque commode, non aeque tuto ſemper perficitur. Ideo obſervatu maxime dignum eſt id, quod Hippocrates ipſe in hoc ſic ſtatuit. (83) *Suppuratis a Pulmone pus per Ventrem ſecedere lethale*. Non aliunde tamen melius, meo judicio, fidem ſibi aſciſcere poteſt abſoluta haec divini Senis aſſertio, niſi attendamus ad id quod in *Phthyſicis* occurrit. In hiſce enim abſorpta purulenta materies in ſanguineos ductus, atque poſtea cum lympha ſimul commixta ipſam diſſolvit admodum, atque attenuat, eidemque irritantem largitur vim, propter quam in inteſtinorum glandulis ſecreta, eorundem fibras ita vellicat, & mordet, ut frequentes excitet *crudas*, ut ajunt, *Alvi dejectiones* in hujuſcemodi AEgrotis maxime formidabiles, pro ut Hippocrates toties docuit. Eandem ob



(83) *Hippoc. Coac. lib. 6. Sec. 2. n. 4.*

cauſam, dum *purulentus* humor a *Pulmonibus*, aut a quavis alia Thoracis parte devians cum ſanguine miſcetur, atque cum ipſo in aream *circulationis* adductus, juxta peculiares corporis diſpoſitiones, ad *Inteſtina* transfertur; ibidem irritante vi ſua eorundem fibras ad violentas excitat *contractiones*, atque *periſtalticum* ipſorum motum concitatiorem reddit, laxatque ſucceſſive fibras, *mucoſitates* ipſorum ſuperficiem internam munientes diſſolvit; unde neceſſario diarrhoea ſupervenit: propter quam fortaſſe Hippocrates in allatis caſibus lethalem merito ſtatuit puris tranſitum ad *Inteſtina*. Id autem non tam facile occurrit. Etenim (84) *è Pulmone facilior eſt ad Renes tranſitus, quam ad Alvum*: quod quidem rationabilius eſt, cum a *Pulmonibus* ad *Renes* brevior ſit ſemita, minuſque tortuoſa; per Arteriam nempe *Aortam* ad *Emulgentes*, dum è contra ad Alvum tendens, ab *Aorta Celiacas* ſubire arterias debet, minimoſque innumeros earundem ramulos variis modis implicatos, atque undecunque preſſos; donec tandem in *Inteſtinorum* cavitatem effundatur. Unde multo majus ad hoc adeſt obſtaculum non tam facile ſuperandum, quod, caeteris paribus, eo minus invenitur, dum a trunco *Aortae deſcedentis* immediate *Emulgentes* ſubit, atque *ſecretorios* Renum porulos una cum lympha penetrat, ut cum urina exeat. Quod autem purulenta materies ideo Alvum facile ſolvere poſſit, quia corroſiva hac polleat vi *Inteſtinorum* tunicas ſtimulante: ſatis teſtatur urinae ardor illis fere ſemper eveniens, qui purulentas in hiſce caſibus urinas mingunt. Hac eadem occaſione dirimenda hic etiam ſedulo eſt ulterius quaeſtio, quae paſſim inter Practicos Medicos haberi conſuevit: an ſcilicet ſpecialis, & brevior haberi poſſit via, per quam pus *Empyematicorum* in cavitate Pectoris latens ad Inteſtina tranſferri queat, quin venas *Thoracicas* per vim, quaſi dixerim, ſuctionis ſubeat, ut inde, pro ut ſupra diximus, in aream *circulationis* intruſum, *Peyerianas* adeat glandulas, alioſve *Inteſtinorum* ſanguineos ductus, ſicque in eorundem cavitatem effundatur. Hoc certe, meo judicio, captu difficile admodum videtur, ad quod ideo confugere fruſtraneum prorſus arbitrarer, cum propoſita de hoc a nobis ratio *phaenomenon* hoc ſatis ſuperque explicare poſſe videatur, incognitas penitus ſic deſerendo vias. Attamen non omittenda hic eſt explicatio, quam in propoſitum noſtrum a doctiſſimo Boerhaavio deſumam. Putat celeberrimus hic Auctor, quod notiſſimum illud Problema, de ſolutione *Empyematis* per *Alvum* facile enodari poſſit, dicendo quod (*) *Pus, diaphragmati incumbens, afficit loca vicina, exedit, & perforat diaphragma, dein Hepar, aut Inteſtinum Colon corrodit, & ingreditur*. Porro ſententia haec innumeris obnoxia difficultatibus eſſe poteſt; atque praeſertim, cum nullus unquam pateat immediatus conſenſus *Diaphragmatis*

(84) *Deſider. Jacot. Com. in Coac. Hipp. lib. 6. Sec. 2. n. 4.*

(*) *Boerhaave de Vir. Med. part. 3. Claſ. 1. cap. 3.*

*phragmatis* cum *Hepate*, aut *Inteſtino Colon*, propter quem neceſſario Pus a cavitate Pectoris recedens illuc tendere debeat. Praeterquamquod Pus ad cavitatem imi ventris deductum pari ratione tum *Hepar*, tum *Lienem*, tum *Meſenterium*, tum *Renes* corrodere poſſet. Unde clarius hujuſce phaenomeni explicatio ex dictis ſupra petenda eſſe videtur.

CCII. In quamplurimis, quos tunc variis modis *Pleuritide* detentos habui, adnotare plerumque potui, quantum veritati affinia ſint ſigna, quae divinus Senex ad futuros dignoſcendos *Abſceſſus* neceſſaria plurimis in locis protulit. Etenim vidi pluries, quod quotieſcunque ultra decimam quartam diem febris contumax erat, perſiſtente dolore, quem neque praegreſſa ſufficiens *exſcreatio* ſolvebat, neque per alias vias *criticas* idoneas evacuationes natura moliebatur; iis *abſceſſus* varii fiebant, quos & ante decimam quartam diem, licet rarius, quandoque eveniſſe adnotavi, praeſertim cum parce admodum per *exſcreatum pleuriticus* humor prodiiſſet. Quare Hippocrates jure, ac merito ſtatuit, quod *Abſceſſus* iſti iis accidunt (85) *quibus neque febris, neque dolor conquieſcit, & ſputum prodit pro ratione, neque Alvi excrementa biliosa, ſoluta, meraca exeunt, nec urina craſſam admodum, multamque habet ſubſidentiam, aliaque ſigna ſeſe offerunt ſalutaria*. Hujuſcemodi ſententiam clarius explicat Duretus ſic (86) *Attendere autem ſic decet ad iſta; ſi febris detinet; ſi dolor nondum quieſcit; ſi convenienter ſputum non editur; ſi alvus non fertur liberaliter biliosis dejectionibus; ſi urina nec admodum multa, & craſſa eſt, nec multi particeps ſedimenti. Caetera autem ſalutaria ſigna ſalutariter ſuffragantur. Abſceſſus ejuſmodi certo ſperare oportet*. Hoc conſonum videtur iis, quae Hippocrates ipſe alibi protulit. (87) Quomodo autem iſtiuſmodi *Abſceſſus* in morbis Pectoris eveniant, paucis idem indicat Duretus, dum illos deducit (88) *a contentione forti naturae, cui cum in anacatharſi molienda irritus labor fuerit, aliam invenit viam, qua deducitur ad conſervationem ſui, criſimque exhibet inſuetum, per iter, & multis ignotum*.

CCIII. Revera, cum certum ſit, quod quo uſque *ſuppurata* materies in Pectoris partibus reſidet, nihil penitus remittat morbus, quin immo quotidie in pejus magis ruat: profecto niſi ſufficiens per *exſcreatum* ejuſdem expulſio habeatur, ut affecta pars ab hoſtili humore ſatis liberetur, neceſſe eſt, quod, natura ipſa duce, ad alias partes tendat, atque ſic *anacatharſis* imminutae, aliarumque evacuationum defectum provide ſuppleat, ac ita Pectus a morbo liberetur. Hinc admirabili certe miniſterio ſanioſus humor ad ſanguineos ductus transfertur, ut diximus. Quod ſi neque per *Renes*, neque per *Inteſtina* ſecerni poſſit, una cum lympha extimam corporis ſuperficiem petit, ibidemque accumulatur, atque modo majores,



(85) *Hipp. Coac. lib. 5. Sec. 2. n. 39.* (86) *Duretus Com. ibid. ſub n. 23.*
(87) *Hipp. in prognoſtico.* (88) *Duretus loco citato.*

modo minores producit *abſceſſus*, plus minuſve ſalutares. Verum ſi ſanioſa materies in unum congeri nequeat, atque majores mole *abſceſſus* progignere: quandoque hinc inde in interſtitiis cutis, modica in copia ſiſtitur, innumeraſque efficit *puſtulas*, quas optime novit Hippocrates, dum, praeter ſupra dicta, ſic ait: (89) *Calent digiti extremi, & exaſperantur. Curvantur ungues, & refrigeſcunt, & circa pedes tumores excitantur, & circa Corpus puſtulae*. Eas autem Deſiderius Jacotius notat fieri (90) *a corrupto ſanguine, fervore circa Cor, & ſanie acri in Corpore coacervata, atque a Pulmonibus male affectis in cutem effuſa, ex qua etiam aphtae in ore oriuntur*. Haſce *Aphtas*, ob eandem cauſam, & in inteſtinis progigni, paſſim oſtendit Duretus (91) *unde* (ut ipſe ait) *labefactatur facultas Alvi retentrix, ut cibos etiam ſuaviſſimos aliquantiſper continere non poſſint*. Quare praepropera excretio, atque *lienterica* non raro ſubſequitur, ut ipſe ibidem indicat, atque ego ipſe obſervavi pluries. Nec tantum, ob *ſuppurationes* in Pectore factas, inde Pus abſorbetur, atque in circulationis aream adductum, tum in internis aliis, tum in externis Corporis partibus reſidet, ut varii inde efficiantur *abſceſſus* ſive *critici*, ſive *ſymptomatici*, atque praecipue in ambitu Corporis, ubi parvae dictae *puſtulae* adnaſcuntur: verum etiam id pari modo, licet non tam frequenter, contingit, ob aliorum quorumlibet Viſcerum ſuppuratos tumores. Hac ſpecialiter de cauſa paſſim videmus *puſtulas* variae indolis in facie praeſertim ſuboriri, ſicuti & non raro in toto Corpore, in illis maxime, qui Hepatis vitio laborant vario, cujus habita utplurimum ratione, modo *puſtulae* illae plus, minuſve attolluntur, augenturve, modo in *furfuraceas*, fere dixerim, ſquamullas deſinunt, modo ſuppurantur, parvos conſtituentes *abſceſſus*, unde varia ſortiuntur nomina. Illae tamen, quae in facie copioſe ſucereſcunt, maximeque rubent, atque fere ſemper ſuppurantur, *Guttam roſaceam*, ſeu *morphaeam rubram* afferunt; quarum (*) *Materiales cauſae ſunt* (juxta Valeſcum, ut notat diligentiſſimus Foreſtus) *Phlegma ſalſum, aut humores aduſti, ut cholera aduſta, aut melancholia aduſta, quibus ſanguis commiſcetur*. Optime tamen notat Sennertus, quod (**) *Cauſam agnoſcit hic affectus ſanguinem fervidum, eumque craſſum, vitio Hepatis*: quod & Veteres plerique Medici docent. Unde de ipſius curatione agens abſolute ſic ibidem aſſerit: *Non autem curatur, niſi Hepatis, & ſanguinis vitio ſublato*. Licet Auctor iſte ideo ab Hepate morbum hunc derivare videatur, quia Viſcus illud tunc ab omnibus pro praecipuo *ſanguificationis* organo habebatur; nos tamen hinc ſatius, & melius ſtatuendum eſſe arbitramur, quod utplurimum, dum in Hepate *ſuppurationes*, aut quaevis ſanguinis, aut lym-

(89) *Hippoc. in Coac. lib. 5. Sec. 2. n. 49.* (90) *Deſid. Jacot. in Com. ibidem.* (91) *Duret. Com. ibid. ſub n. 52.* (*) *Petr. Foreſt. Tom. 4. Obſer. Med. lib. 5. obſerv. 7.* (**) *Sennert. Pract. lib. 5. cap. 31.*

lymphae *ſtaſes* adſunt, tunc ſanguis illuc tendens parem a reſidentibus humoribus indolem nanciſcatur, minimas quoque eorundem moleculas abſorbens: unde fit quod totum ſucceſſive Corpus pervadendo, in interſtitiis praeſertim cutis conſiſtere videantur, maximeque in facie, ubi vi ambientis aeris frigidioris facilius concreſcunt, dictaſque progignunt *puſtulas*. Quare & Foreſtus ibidem fortaſſe aſſerit, quod *fiunt plerumque ex craſſo humore, cum tenui quadam ſanie*, quam ab Hepate tunc derivari, non abſonum mihi videtur ex dictis deducere: licet tamen & pari modo ab aliis male affectis Viſceribus transferri alias queat. Non inficiabor tamen, non raro & ab extrinſeca cauſa tale ſanguinis vitium originem ſortiri, ob pravum victus regimen, atque ob malum *virus* ab extra ſanguini ſuperadditum. Unde jure, ac merito ibidem ſic admoner accuratiſſimus Foreſtus: *Hoc tamen interea addendum, quod in his noſtris regionibus plerique crapula cereviſaria utentes, aut vino continuo ſeſe implentes, ejuſmodi puſtulis ſaepe afficiuntur, ut omnis generis lapides ſupra naſum, & faciem, ut Topazios, Sapphiros, Turceſios cernere te putes*. Tunc autem ſemper verum eſt, quod licet hujuſmodi ſanguinis vitium extrinſecam hanc foventem cauſam habeat: haec pari modo praecipua viſcera male afficit, atque diſtincte Hepar; quo ſuppoſito eadem tunc etiam propoſita explicatio viget. Eodem modo ob varia aliorum viſcerum vitia, cutim extrinſecus faedari paſſim obſervamus, ſicuti & urinae ipſae varias ſortiuntur conditiones, ob quas modo *purulentae*, modo turbidae, modo *ſubcruentae*, modo *flammeae*, modo *croceae*, modo *albicantes* &c. in internis variis laeſionibus cernuntur.

CCIV. In quibus autem diſtincte *Pleuritidibus* majores dicti *abſceſſus* vere fiant; nemo abſolute ſtatuere valet. Nam utplurimum natura in quibuſcunque corporibus variis modis agit, juxta eorundem diſpoſitiones, ratione utique varia motus ſuos dirigens, atque juxta occurrentia impedimenta quaeque ſive interna, ſive externa quandoque a tutiore ſemita luctuoſe aberrat. Varia haec quampluries tunc vidi naturae conamina in hujuſcemodi *Pleuriticis* hoc praeſertim anno, atque altero proxime elapſo. Tunc enim & ad Aures ſuppuratos *abſceſſus* magna in copia novi, tum & ſub utriſque *Trochanteribus* majoribus: modo prope ultimas dorſi vertebras: modo ſub axilla parti affectae reſpondente: modo ſub utriſque: non raro in *articulationibus* Cubiti, Genuum: modo in ipſa Pectoris regione ſub integumentis, effluente ad extra materie inter fibras *intercoſtalium* muſculorum: quandoque etiam ad *Parotides*.

CCV. Licet experientia ipſa teſte ſatis conſtet haſce *translationes*, ſeu, ut ajunt, *metaſtaſes*, ſicuti in aliis etiam morbis, ita facilius, & frequentius in affectionibus Thoracis evenire, tendente nempe purulento humore ad alias partes: non tam facile tamen explicatu videtur, quomodo nam, aut qua nam ratione id

eveniat,

eveniat, niſi Pus a ſanguineis ductibus abſorberi, atque cum ſanguine miſceri concedamus, ut ſupra demonſtravimus. Praeter haec multo magis difficile captu videtur: quomodo ichor ille jam jam in *circulationis* aream perductus (dum tota ſanguinis maſſa per univerſum corpus juxta canalium numerum, atque diametros propagatur) in una potius, quam in altera parte tantū conſiſtere queat. Dum per veſicam pus effluit, id ex dictis facile intelligimus: quod in aliis quibuslibet *translationibus* non tam facile percipere poſſumus. Attamen id unum innuam, quod in hiſce AEgrotis (quibus hujuſcemodi evenerant *metaſtaſes*, eorumque cadavera poſtmodum diſſecui) diſtincte adnotavi, quod utplurimum pus ſub axillis depoſitum illuc paulatim pervenerat, muſculorum adjacentium interſtitia ſubiens; quod in iis paſſim fiebat, in quibus antea *pleuriticus* humor magna ex parte *pleuram*, atque *intercoſtales* muſculos occupaverat, dum ab eo fere ex toto immunes *Pulmones* aderant. Hinc & facile erat intellectu, qua ratione *abſceſſus* alii in inferiore extima Thoracis parte ſub integumentis progeniti eſſent: cum ſanioſus liquor ſuper *Diaphragma* gravitans, *Pleuram* ſimul, atque *intercoſtales* muſculos penetrando, ad extra ſibi aditum commode paraſſet. Eodem autem modo, quo Pus ſic a cavitate Pectoris ad Corporis ambitum translatum, inter circumpoſitorum muſculorum interſtitia conſiſtere poterat: ita & ad *lumbares* uſque *vertebras* facilis ipſi erat acceſſus.

CCVI. De reliquis autem *abſceſſibus*, qui in majore diſtantia a centro Corporis fiebant, aliunde ratio petenda erat. Poſito enim quod dicta puris commixtio cum ſanguine, & lympha haberi poſſit: praeſto eſt ratio propter quam, modo in *Parotidibus*, modo in *articulationibus* oſſium aut ſuperioribus, aut inferioribus, modo & in aliis partibus *Abſceſſus* ejuſmodi conſtiterint: maxime cum partes illae praeſertim *Lymphaticis* arteriolis majore in copia, quam aliae, ditatae ſint. Quod ſi tanta ſit puris copia, ut ſatis per *emunctoria* haec expurgari nequeat, aut quaevis alia ad hoc impedimenta occurrant: tunc ichor ille ad minimas quoque *capillares* arteriolas propagatus, undecunque per tenuiſſimos *lymphaticos excretorios* Cutis ductus prodit, ibidemque cutim corrodit, atque recenſitas ſupra *puſtulas* procreat. Futuram, & proximam puris commixtionem cum ſanguine, ceſſante, aut imminuta maxime derepente *anacatharſi*, mihi utplurimum indicabant dolores per totum corpus vagantes, atque in articulis praeſertim adinſtar *Arthriticorum*, qui ibi vehementius ſaeviebant, ubi copioſior aderat ejuſdem puris confluxus. Eodem tempore, quo Corpus vagis hiſce detinebatur doloribus, exonerato inde magis Pectore, liberior reddebatur reſpiratio, ſimulque febris aliquantulum augebatur, quae poſtea, apparentibus *abſceſſibus*, remittebat. Hinc nil penitus mihi mirum evadebat, quod *abſceſſus* iſti plerumque, & inopinato fierent, atque inopinato augerentur; Inſuper, quod

ſi ſtatim, poſtquam apparuerint, ſecentur, ſtatim concoctum, perfectumque pus ab illis effluat, ſecus ac in aliis *abſceſſibus* evenit, qui paſſim a ſanguine extra *circulationis* aream dejecto, atque paulatim in aliqua parte accumulato fiunt: unde ab ipſis, non niſi poſt conſuetum (ut Chirurgi vulgo ajunt) *maturationis* tempus, pus unquam fluit; cum tractu temporis in affecta parte fiat: in illis autem factum jam pus ab una ad aliam partem transferatur.

CCVII. Reſtat nunc ut pauca hic ultro addam, quae ad fauſtum, vel infauſtum iſtorum *abſceſſuum* exitum ſpectant: varias ſimul a me de hiſce factas obſervationes referens, eaſdemque cum Hippocratis ſententiis diſtincte conferendo. Si *metaſtaſes* iſtae, quaecunque eae ſint, tempeſtive fiant non procul a decima quarta Morbi die, multoque magis ante ipſam (quod rarius evenit) priuſquam viribus magna ex parte deſtitutus AEger ſit, aut Pectus nimis labefactatum ob diturnam puris moram in ipſo factam; tunc fauſtum ſemper praeferunt omen: dummodo congruo tempore ſat experta Chirurgi manu ſecentur *abſceſſus*, ut affatim pus effluat. Ex oppoſito nihil de AEgrotorum ſalute ſperandum erat, quoties natura hujuſcemodi *metaſtaſes* modo in ſuperioribus, modo in inferioribus partibus promovere videbatur, eaſque nullibi perficiebat: quod plerumque evenit, dum vagantes eveniunt hinc inde dolores, atque nullibi conſiſtunt. Tunc enim purulenta materies nullibi in congrua copia congeſta, cum toto ſanguine quaqua verſus vagatur, ipſiuſque *diatheſim* peſſime immutat, atque ſolida omnia male afficit: unde mors neceſſario ſubſequitur.

CCVIII. Ut autem de *Abſceſſibus* hiſce ſingillatim agam, experientia ipſa teſte dicam, quod, illi qui ad aures ſuſcitabantur, fauſti plerumque ominis erant: quod & ipſe obſervavit Hippocrates. (92) *Quibus ex morbis Pulmonis ad aures Abſceſſus oboriuntur* (inquit ipſe) *& ad inferiores partes ſuppurant, & fiſtula facta aperiuntur, iis ſecunda valetudo contingere ſolet.* Per quas nam ſpecialiter vias, & quomodo nam ichor iſte, qui antea Pectus occupabat ad aures transferatur, ibidemque *Abſceſſus* efficiat, ſatis explicaſſe videtur Duretus (93) *per expreſſionem humoris morbifici a phlegmone in venas jugulares, & carotides, quae ſecundum aſperam arteriam procedunt ad caput, prius largitae ſurculos laryngi, & faucibus, unde Parotides eructantur, opportunitate glandulae, quae jacet ad aures, faucibuſque adjacet, cum numeroſa rivulorum propagine, unde partes illae, fauces dico, & aures, affluxus, & refluxus incommoda viciſſim & mutuo facile experiuntur.* *Abſceſſus* iſti ad aures iis plerumque fiebant, in quibus magna puris copia per *exſcreatum* effluxerat: maxime cum morbus jam ad declinationem tenderet, hoſtili cauſa magna ex parte devicta. Unde ſi gravato jam adhuc maxime Pectore, ob praegreſſam non

(92) *Hippoc. in Coac. lib. 5: Sec. 2.* (93) *Duretus Com. ibidem.*

non ſatis completam *anacatharſim*, apparebant: non tutus erat ad ſalutem exitus, niſi etiam per alias vias *criticos* motus ſuos natura melius compleret: ad quod & Renum & Alvi ſecretiones, aliaeque pariter optime conferebant.

CCIX. *Abſceſſus* hoſce ad aures fauſto praecipue ceſſiſſe omine vidi anno 1732. ineunte hyeme: quando peculiarem habuimus *Pleuritidum* conſtitutionem quaſi *epidemicam*, atque nullus fere ab hoc morbo ſuperſtes erat, cui antea tales non eveniſſent *abſceſſus*: quod & ſe diſtincte obſervaſſe alias teſtatur Baglivius hiſce verbis. (94) *Pleuritici, quibus in interiora auris dolor, & exinde abſceſſus, & pus ſuperveniebant, omnes ſanabantur: ut in variis Italiae Xenodochiis frequentiſſime obſervavimus, ſed praeſertim ineunte anno 1694. Romae.* Mirum profecto eſt, quod in *Pleuriticis* aliquibus annis abſceſſus iſti ad aures, aut ad inferiores partes eveniant: aliquando vero non: cujus rationem quidem proponere neutiquam audeo. Id unum dicam, quod & in *lymphaticis* ſimplicibus *Pleuritidibus* ab uberiore lymphae affluxu pendentibus, *lymphaticae* quoque concretiones prope aures excitari eodem modo ſoleant; niſi forte dicendum ſit, quod eodem tempore, quo lympha in Pectore affluentius congeritur, in ſuperioribus ſimul hiſce glandulis concreſcat; quod perſaepe evenire non eſt negandum. Animadvertendum ultro eſt, quod *abſceſſus* ad aures in hiſce caſibus citius utpluriſnum evenire ſolent, quam alii quilibet ad inferiores partes: quod & diſtincte adnotaſſe Deſiderium Jacotium conſtat. (95) *In febribus enim multum diuturnis* (ait ille) *tum propter frigiditatem craſſitiemque humoris, tum naturae imbecillitatem, longo jam ſpatio fatigatae in inferioribus partibus oriuntur: in acutioribus vero juxta aures*: quod non ſemper evenit.

CCX. Cur tamen ſive citius, ſive tardius ad inferiores potius, quam ad ſuperiores, ſive vice verſa, in hiſce morbis *pleuriticus* humor hujuſcemodi *abſceſſus* producat in hiſce potius, quam in aliis partibus, difficile admodum eſt explicatu. Revera expertiſſimus Duretus ſtatuit tunc *abſceſſus* fieri (96) *Inferos quidem, aut ſuperos, pro humoris motu, naturae impulſu, meatuumque partis afflictae ſurſum, deorſumve ſpectantium conditione, & ſitu.* Hoc verum omnimode eſſet, ſi hujuſcemodi materiei *translatio* per peculiares vias fieri poſſet, abſque quod in circulum acta cum tota ſanguinis maſſa ad Cor permeare deberet. Ab ejuſdem enim ventriculo ſiniſtro prodiens, aeque patentem haberet ſemitam, ut, aut *aſcendentem* ſubiens arteriam ad ſuperiores migraret partes; aut *deſcendentem* pervadens, ad inferiores motum ſuum dirigeret. Certe, ſi ſancitis *circulationis* legibus ſtandum eſt, res, meo judicio, vix percipi aliquantulum poteſt; ſicuti & inde difficili admodum negotio explicari poſſe videtur id quod Hippocrates

(94) *Baglivius cap. proprio de Pleuritide.* (95) *Deſid. Jacot. com. in Coac. Hipp. lib. 5. Sec. 2. n. 40.* (96) *Duretus Com. ibidem.*

pocrates ſingillatim monet: (97) *Sed Abſceſſus quidem fiunt hi, in partibus inferioribus, quibus circa Hyppochondria calor vehemens movetur. In ſuperioribus vero, quibus Hyppochondrium molle, & indolens fuerit, difficiliſque ſpiritus ad tempus citra cauſam evidentem acquieſcit*; quod & clarius in prognoſtico explicat.

CCXI. Quidquid ſit de hoc (de quo non vacat hic ultro diſſerere) ſatis ſit dicere, quod omnes *Pleuritici*, quibus facta *ſuppuratione* in Pectore, atque diu admodum protracto morbo, in infernis partibus hoc anno *abſceſſus* variis modis ſuborti ſunt, omnes Mortis victimae fuerunt. Quando enim ejuſmodi *metaſtaſes* natura moliebatur, ob diuturnitatem praegreſſi morbi, viribus fere ex toto deſtituti erant AEgroti, atq; corpore maxime conſumpti, ita ut diu vitam magis protrahere neutiquam ſatis poſſent, uſque dum omnimode per apertum *abſceſſum pleuriticus* ichor prodiiſſet. Quare eo magis magiſque in dies corpore conſumpti, leviſſima comitante febri, ad *Maraſmum* miſere properabant. Nec tantum ob fractas diuturnitate morbi vires fruſtranea mihi tunc videbatur talium *abſceſſuum* eruptio: ſed etiam quia ob diuturnam puris moram in cavitate Pectoris, partes illae labefactatae adeo, & corroſae fuerant, ut neceſſariis obeundis conſuetis muneribus nil penitus idoneae remanerent; ſimulque continue ab ulceratis partibus novum prodiret pus; unde perennis fiebat ſcaturigo pejoris morbi a priore neceſſarie pullulantis. Hinc percipi ſatis poteſt, cur nam divinus Senex docuerit, quod ſint (98) in *vehementibus, & periculo proximis Pulmonum inflammationibus abſceſſus ad crura omnes ſane ſalutares: optimi vero, qui fiunt ſputo mutationem ſubeunte. Si namque tumor, & dolor ſuboriatur, ſputo pro flavo in pus verſo, & foras prodeunte, hoc modo tum ſecuriſſime AEger ſuperſtes futurus eſt, tum citiſſime citra dolorem abſceſſus conquieſcet*. Ideo enim apparentibus hiſce *abſceſſibus* ſuperſtes AEger eſſe merito poteſt, quia initio ſuppurationis fiunt; antequam non ex toto laeſae ſint partes, neque omnimode viribus deſtitutus ſit AEgrotus.

CCXII. Deſumpto ratiocinio ab hiſce ſagaciſſimae naturae criticis motibus ad infernas partes in gravioribus Pectoris morbis, iiſque fauſto omine factis, juxta Hippocratis monitum: ingenioſiſſimus Baglivius, atque cum ipſo clariſſimi alii quamplurimi Viri ſtatuerunt *Veſicantia* perquam utiliter in inferioribus maxime partibus adhiberi poſſe, & debere, ad graviores Pectoris morbos citius, & tutius vincendos. (99) *Quocunque die* (ſic ipſe ait) *ſecundo ſcilicet, aut quarto, quinto, ſeptimo &c. ante, vel poſt factam ſanguinis emiſſionem, ſpirandi difficultas, & difficultas pariter exſcreandi ſputi pleuritico ſuperveniant: ſtatim duo Veſicantia Tibiis admoveo, juxta illud Hippocratis in prognoſtico: In Pulmoniis quicunque tumores fiunt ad crura optimi ſunt*,

(97) *Hippoc. in Coac. lib. 5. Sec. 2. n. 40.* (98) *Hippoc. in prognoſtico.*
(99) *Baglivius Cap. proprio de Pleuritide n. 37.*

*ſunt. Poſt appoſita veſicantia obſervavi expectorationem ſtatim promoveri, ſpirandi difficultatem imminui, & alvi fluxum, ſi adeſſet, feliciter ſiſti.*

CCXIII. Quidquid ſit de communi, quae circumfertur, opinione ambabus ulnis a pleriſque recepta, de utili admodum, & neceſſario *veſicantium* uſu in quamplurimis Pectoris morbis, ne dicam & in aliis fere omnibus: ſive ut morboſae cauſae fiat revulſio ad inferiores partes: ſive ut, intruſis in ſanguinem ſcindentibus, atque volatilibus *cantharidum* moleculis, congeſta in Pectore lympha, aut ſanguis concreſcens diſſolvatur, attenuetur, dimoveaturque, indeque reddatur aptior, ut circumpoſitorum vaſorum oſtiola ſubiens, in aream *circulationis* iterum reducatur, prout *veſicantium* Patroni pleno ore depraedicant; Ego certe fruſtraneas omnes de iiſdem quaeſtiones omittens, abſolute aſſerere poſſum, aeque mihi fauſtas *pleuriticorum* curationes evaſiſſe, ac aliis Medicis omnibus, qui, non aliter melius, quam *veſicantium* uſu, praecipuam curationis operam perficiendam ſemper eſſe, arbitrabantur. Quod ſi contra hoc alii mihi obtrudant, ſe *veſicantia* utplurimum perquam utilia, utpote maxime activa, ſemper obſervaſſe: caveant, quaeſo, ne ad haec obcaecato nimis antea praejudiciis oculo, atque peſſime praeoccupata mente perperam attenderint. Nemo enim inficiabitur, credo, facilius eſſe in rebus Medicis quamplurium remediorum, ſicuti & *veſicantium* praeſertim inutilitatem tuto oſtendere, dum abſque eorundem adminiculo AEgroti convaleſcunt: quam ipſorum neceſſitatem probare; dum, iiſdem adhibitis, morbus paulo poſtea ſedari videtur. Etenim, ſi adhibitis *veſicantibus* morbus ſolvitur; nullo certe jure, niſi gratis nimis, inde deducitur AEgrotos vere ideo convaluiſſe, quia *veſicantibus* uſi fuerant: ita ut inde ſecus etiam pareat, quod illis omiſſis non aeque facile res fauſto ceſſiſſet omine, cum oppoſitum evincant obſervationes meae, atque aliorum etiam quamplurium.

CCXIV. Si unquam abſolute ſtatuendum eſt cum divino Sene, quod difficile admodum judicium ſit in *Medicina*, tunc id magis evenit, cum de quamplurium remediorum, (ſpecificis exceptis) actione ſicuti in quibuſcunque morbis, ita in hiſce praeſertim judicare velimus. Haec jure, meritoque adnotat doctiſſimus Valleſius, dum quorundam Medicorum audaciam admiratur, qui abſolute veluti ex tripode, tum de genuina morborum origine, tum de variis remediorum actionibus, & peculiari vi in morbis quibuslibet decernere, judicare, ac quaſi digito indicare ſeſſe poſſe praeſumunt: dum cordatiores de hiſce terque, quaterque rogati, caute admodum loquuntur, & niſi pauca proferunt. (100) *Mirum eſt quam facile* (haec ſunt praeclariſſimi hujuſce Auctoris verba) *quam incunctanter vulgares Medici de cauſa valetudinis rogati, etiamſi annua, aut etiam longior ſit, reſpondeant, hinc hoc,*

(100) *Valleſius in Com. 1. Aphor. Hipp. Sect. 1.*

*hoc, illinc illud initium coepit. Certe facilius affirmant, quae neſciunt, quam quae ſciunt. Eruditi vero cunctanter, & multa rogantes ab AEgrotantibus, tandem reſpondent multo pauciora, quia ſciunt judicium eſſe difficile:* quod & de remediorum effectibus indicandis verum comperiri ibidem oſtendit, dum perquam difficile eſſe monet, *ſi ſanguis miſſus eſt AEgrotanti, & ſublevatus eſt, paulo poſtea dicere, vere an ſublevatus ſit, quia ſanguis miſſus eſt, an quia ita contigit:* quod & de quibuslibet aliis remediis non *ſpecificis*, ut dixi, pariter verum comperiri, nemo negaverit, ſicuti & maxime de *veſicantibus*.

CCXV. Aſt ne quis unquam me Empirico tantum more egiſſe dicat, dum *Pleuritidum* graviorum completas a me ſaepiſſime curationes, & quidem ſemper *veſicantibus* omiſſis, propono: pauca hic ſubdam, quae non incongrua ex toto fortaſſe evadent, ut me ab hac culpa vindicare ſatis poſſim. Ideo expertiſſimus Baglivius *veſicantium* uſum in morbis Pectoris commendat, quia ex Hippocrate deducit, tumores, qui ad crura fiunt, optimos eſſe. Aſt quis non novit Hippocratem tum in Coacis, tum in prognoſtico, dum ejuſmodi tumores ad inferiores partes utiles indicat, non tumores quoſlibet intelligendos eſſe velle, ſed eos praecipue *abſceſſus*, qui non a quavis ſanguinis *ſtaſi* in illis partibus paulatim fiunt, ſed diſtincte a vera *metaſtaſi* purulentae materiei, ſeu ad *purulentiam* jam jam vergentis, quae quidem, cum per *exſcreatum* libere, & ſatis educi neutiquam poſſet, in Pectoris quibuſvis partibus antea morabatur. Verum namque eſt, quod ſi hujuſcemodi *abſceſſus* in quibuſvis maxime diſtantibus etiam a Pectore partibus, non ob *metaſtaſim pleuritici* humoris, ſed ob *congeſtionem* ſanguinis, aut lymphae fierent: tantum abeſt, quod quidpiam levaminis inde caperent AEgroti, ut pejus etiam ſe haberent, novo ſic adjuncto morbo, qui cum priore duplici ratione conjunctus, ipſos contriſtaretur. Tunc enim eadem adhuc, prodeunte *abſceſſu* (cujuſvis etiam magnae molis eſſet) immota in Pectore maneret *pleuritica* materies, neque quidpiam ideo imminueretur morbus: quod quidem neceſſe eſſet, ut hoc *critice* fieret: cum non aliter melius *critici* quilibet naturae motus *ſalutares* a *ſymptomaticis*, & *morboſis* diſcerni poſſint. Si itaque ex dictis tumores iſti ab Hippocrate merito laudati veram indicent *congeſtionem pleuritici* humoris in inferioribus partibus: ut inde deducere recte poſſemus, quod rationabiliter, occaſione hujuſcemodi morborum Pectoris, *veſicantia* iiſdem partibus applicari neceſſario deberent: oporteret etiam, ut ab ulcerata parte vi *cantharidum*, idem penitus emanaret humor, qui antea Pectus quomodolibet gravabat, neque per *exſcreatum* educi ſatis poterat; congrua nempe facta ejuſdem diſſolutione, atque regreſſu in vaſa, indeque tranſitu ad ulceratam partem, aliter nihil prorſus Hippocratis documento ſatisfaceret *veſicantium* uſus. Quis autem unquam in obſervationibus ſuis tam fauſta ſorte

frui

frui potuit, ut ab ulceratis hoc modo partibus, post adhibita *vesicantia*, *purulentas* effluere materies viderit, & quidem easdem, quas antea in Pectore latitasse credendum erat? Porro si aliquando *purulentum* inde humorem prodire observamus, hic in tam modica copia excernitur, ut asserere certe possimus, illum non a Pectore translatum fuisse, sed ab exesa ipsa cute separatum: maxime cum ichor ille non statim dempto *vesicante emplastro*, sed ineunte tempore, citius, tardiusve, post genitum ibidem ulcus, prodire soleat.

CCXVI. Cur autem ultro aliquis fortasse instet dicendo, *vesicantia* nihilominus *Pleuriticis* maxime prodesse, si non ad faustum hunc puris obtinendum regressum, quando jam facta est suppuratio; saltem antequam ipsa fiat, ad *lymphaticam* materiem satis dissolvendam, eamque sic facilius ad inferiores partes transferendam? Verum est, quod humor ille, qui ab exesa parte prodit, lympha est, & quidem ejusdem fere, aut saltem pene ejusdem indolis, ac alia lympha, quae Pectus obsidet; ast nemo certe audebit asserere, illam eandem prorsus esse, illuc vi remedii a Pectore translatam, seu melius attractam. Verum si *pleuriticae* verae lymphae similis tantum est, non autem ejusdem portio, quid nam conferet ad morbi solutionem? Quid nam conferet? respondent ipsi: ad totius *lymphaticae* massae diminutionem, ad hoc ut ipsa pleno minus gurgite, juxta consuetum ipsius motum, Pectus subeat, minori ideo novo pondere illud gravatura. Etenim, (ajunt ipsi) dum, exesa cuticula, lacerantur simul minimi ramuli lymphaticorum canalium cutim undique pervadentium, nova sic aperiuntur ostiola, per quae praeter interna alia *secretoria* organa, educi lympha affluentius possit: ideoque hinc pari modo augetur excretionis universale negotium in ea ratione, in qua crescit numerus, & diameter hiantium hujusce modi tubulorum. Ast dicant mihi, sodes, qui sic loquuntur; si excretio haec cum aliis consuetis conferatur mutuo, quanta nam quaeso erit? Satis est attendere lympham singulo die ab ulcerata parte stillantem, quae etiamsi per plures dies effluat, tam modicam profert massam, ut nullius prorsus momenti videri possit, habito respectu ad copiosas *lymphaticas stases*, quas in *Pleuriticorum* Cadaveribus observamus.

CCXVII. Hinc minime video, quomodo nam hujusmodi excretiones a *vesicantibus* in infernis partibus factae, cum aliis a natura ipsa per *abscessum* ibidem promotis, atque ab Hippocrate observatis convenire unquam possint, pro ut ex Baglivio *vesicantium* amatores statuendum esse plerumque fidenter nimis depraedicant: maxime cum dispar omnimode ratio ex dictis pateat; sive copiam prodeuntis humoris, sive peculiarem conditionem in utroque casu attendere velimus. Nihilominus si quis unquam vaticinandi certa scientia ita praeditus adesset Medicus, ut praenoscere tuto sciret, an vere in hoc potius, quam illo *Pleuritico abscessus* hosce promotura esset

eſſet natura, & in qua nam ſpecialiter parte: certe *veſicantia* applicari jubens, motus naturae illuc *critice* tendentis dextere ſic praeveniens, minorem in eadem parte obicem parando, hujuſmodi excretionem, & faciliorem, & forſitan citiorem, magiſque copioſam redderet. Aſt, cum toties viderimus *abſceſſus* hoſce modo in ſuperioribus, modo in inferioribus partibus evenire, modo dextrorſum, modo ſiniſtrorſum, utplurimum nullos; hos quidem ex Hippocratis monito aliquando praenoſcere Medicus poteſt: ubi autem ii ſpecialiter conſiſtere poſſint, nemo unquam ſatis prudens audebit decernere; niſi cum, facta jam magna ex parte *metaſtaſi*, tumeat paulatim pars, comite dolore, aliiſque *ſymptomatibus*, quae tunc pejora ideo redderet non ſolum *veſicantium* applicatio; verum etiam *criticum* hunc naturae motum peſſime forſan cohiberet.

CCXVIII. Non deerunt ultro alii, qui nobis objicient, copioſum magis urinae fluxum a *Cantharidum* peculiari vi excitatum, quem fortaſſe *Veſicantium* Patroni aliunde deducere renuentes, id ob univerſalem inde ortam lymphae diſſolutionem fieri arbitrantur. Subdent etiam cum eodem Baglivio, tali adminiculo (101) *expectorationem ſtatim promoveri, ſpirandi difficultatem imminui, & alvi fluxum, ſi adeſſet, feliciter ſiſti*, unde neceſſaria maxime, atque utilia *veſicantia* ſemper eſſe exiſtimant. De hiſce fides ſit penes Obſervatores, qui forſitan, ſi minus praeoccupati fuiſſent, nec tot, nec tam ampla de hiſce miracula ceciniſſent, eo minus credenda, quo pleno magis ore ab ipſis proferuntur. Non vacat hic diſquirere, an vere ob *cantharidum* vim talis fiat lymphae diſſolutio; & ſi fiat, an vere ſit utilis, an ſaepius ab ipſis damnum majus AEgroti contrahant potius, quam utilitatem: cum ſatis ſit in praeſens innuere more hiſtorico, me tutioribus aliis, minuſque moleſtis praeſidiis veridicos naturae motus promoviſſe, ſicque *Pleuriticos* quamplurimos, neglectis *veſicantibus*, feliciter curaſſe. Alias addam ſuo loco potiores rationes, propter quas, *veſicantium* uſum quandoque optimum, & neceſſarium maxime eſſe, utplurimum autem nocuum, aut ſaltem inutilem, aperte demonſtrabo; cum de peculiari *Malignantium* febrium conſtitutione Cremonae habita ſermonem habebo.

CCXIX. Hoc unum ſuper hiſce mihi hic ultro placet innuere: quod difficile admodum mihi videtur captu, atque explicatu: quomodo nam, ſi, immixtis cum ſanguine *cantharidum* volatilibus, & ſcindentibus particulis, univerſa lymphae maſſa mirabiliter diſſolvitur, indeque tum *expectoratio* promovetur magis, tum ſpirandi difficultas imminuitur, ut docet diſtincte Baglivius; uno & eodem tempore Alvi fluxus, ſi ante adeſset, feliciter ſiſti poſſit. Quo magis enim diſſolvitur, juxta eorundem ſententiam, lympha, eo magis idonea redditur, ut *Inteſtinorum emunctoria* facilius ſubire, majoreque

(101) *Baglivius Cap. de Pleuritide.*

joreque in copia poſſit; quod certe Alvi fluxum augere potius, quam imminuere neceſsario deberet. Addere hic ultro poſsum, quod praecipua *cantharidum* actio, ſicuti efficax admodum creditur ad craſsa nimis diſsolvenda, attenuandaque fluida; ſic etiam ad corruganda ſolida maxime ab omnibus commendatur. Utrum vero in *inflammatoriis* hiſce morbis optimum ſit conſilium criſpata nimis caeteroquin ſolida ad violentas magis, atque enormes contractiones ultro cogere, ipſi *Veſicantium* Fautores ſano judicio decernant, atque ab ipſo Baglivio diſcant, qui aperte ſic effatur. (102) *Tota ratio curandae Pleuritidis, aliarumque inflammationum conſiſtit in procuranda debita laxitate partis inflammatae, per debita remedia; ideo forſan Oleum Seminum Lini ab omnibus laudatur pro maximo remedio contra Pleuritidem; quodque raro fallit, quia oleoſa ſua ſubſtantia Pulmonum fibras inflammatione contractas, criſpataſque, & ob id fluidorum circulum impedientes laxat, lenit, & in priſtinum reſtituit.* Cur ergo ſolidorum male affectas ſic fibrillas eo magis magiſque tendere, atque corrugare quaerimus *veſicantia* applicando, dum aliunde magis tuta *indicatio* laxantia omnis generis remedia nobis ſuggerit, in quibus tota ſanior methodus conſiſtit? Hinc dum alii in hujuſcemodi curationibus ad *veſicantia*, tanquam ad ſacram anchoram, ſtatim confugiebant, ut cohibitam, aut nondum incoeptam *anacatharſim* promoverent, ſicque Pectus a morboſo pondere liberando, faciliorem reſpirationem redderent; in eo totus ego eram, ut magis efficacibus, tutioribuſque aliis praeſidiis uterer, quae non aliunde, quam a laxantibus, atque emollientibus, tum internis, tum externis mutuanda eſse, pro certo habebam.

CCXX. Hoc autem ratiocinio (quod quidem tutiſſimum mihi videbatur) ad id ductus eram. Aut ideo *anacatharſis* tunc deerat, quia humor *pleuriticus* magna ex parte extra *Pulmones* conſiſteret, ſive in *appendicibus membraneis* ſupra deſcriptis, ſive in *Pleura*, ſive in *Mediaſtino*, ſive in alia parte, ſive etiam in ipſo *Pulmone*, ſed in *folliculari* aliquo tumore clauſus (quod raro, ſed aliquando accidit) ita ut nullus penitus ipſi adeſset aditus, ut per *exſcreatum* educeretur: aut quia, ob contractionem contexentium fibrillarum ſuarum, *bronchiorum* tubuli coarctati admodum eſsent, minuſque patula ideo evaderet via, ut *pleuriticus* dictus humor per *Trachaeam* educi facile, & ſatis poſset. Addent etiam fortaſse aliud non minoris momenti impedimentum *anacatharſim* retardans: *pleuritici* nempe humoris (ſive *lymphaticus* ille ſit, ſive ſanguineus, ſive utriuſque indolis) maximam craſſitiem. Quaecunque illa ſit ex ſupra allatis cauſis, propter quam *anacatharſis* detinetur: fixum mihi, ratumque eſt, *veſicantia* nunquam convenire: quod ſingillatim hic paucis oſtendam.

CCXXI. Si humor ille extra *Pulmones* reſidet, aut in ipſis intra follicularem capſulam detinetur, inutile

(102) *Baglivius in appendice ad Pleuritidem.*

inutile penitus eſt *expectorationem* quaerere, atque ſolicitare, ſive *veſicatoriis*, ſive aliis remediis, quae ad id idonea vulgo creduntur. Totam tunc adimplent paginam laxantia externa quaeque ab emollientibus *fomentis* petita, ſicuti & decoctiones ejuſdem indolis largis hauſtibus, ut ſupra diximus, calide ſumptae. Hujuſmodi enim praeſidiis tum ſolida continentia laxantur, & molliora redduntur: tum *pleuriticus* humor commode diſſolvitur, atque fluidior redditur, indeque magis idoneus, ut contigua ſubeat vaſa, atque in aream *circulationis* adactus per propria *emunctoria*, ſeu *ſeparatoria* organa excernatur. Ob eandem cauſam jure, & quidem merito laxantia haec tum interna, tum externa conveniunt, dum humor magna ex parte in *Pulmonibus* exiſtit, atque inde expelli nequit; quia obſtant ſolida nimium tenſa, quae neceſsario laxanda, leniendaque ſunt; aut *pleuritici* ejuſdem humoris craſſities, quam citius, & melius tolles novis attenuantibus, ſimulque laxantibus intro additis liquoribus, qui, ſicuti univerſalem humorum maſsam diſſolvere magis poſsunt, ita & ſtagnantem quoque lympham peregregie attenuant. Quamobrem expertiſſimus idem Baglivius inter caetera *antipleuritica* remedia maxime commendat copioſos hauſtus decoctionum emollientium, quae magis indigentiae morbi convenire videntur.

CCXXII. Hoc unum illud erat praecipuum, tutiſſimumque praeſidium ab emollientibus petitum, quo maximam curationis partem adimplere, & quidem fauſto plerumque eventu ſolitus fui, tum ut morbi cauſam paulatim evincerem, atque ad conſuetas morbo magis convenientes *criſes* naturam excitarem, ſimulque gravioribus omnibus peculiaribus *ſymptomatibus* ſedandis tuto proſpicerem. Satius enim ſemper exiſtimavi, ipſique naturae conforme magis eſse, paucis admodum, & ſimplicioribus uti medicamentis, quam plurimis, magiſque compoſitis, quibus & AEgroti fatigantur, atque non raro ſalutares ipſius naturae motus maleſano admodum conſilio praepediuntur, aut ſaltem quammaxime turbantur. Sciebam enim, quod (103) *natura ſui conſcia, criſes moliendo magis proficit, quam Medici ſuis remediis*. Id eo caute magis a Medico tunc praeſtandum eſse ſemper putavi, cum morbi in ſtatu conſiſterent, maxima nempe vigente naturae cum morbo lucta. Id tamen eo tunc cutius agendum a me eſse arbitrabar, quo magis cum Hippocratis ſanioribus praeceptis convenire videbatur. Ipſe enim ſic abſolute docet. (104) *Incipientibus morbis, ſi quid movendum videatur, move: vigentibus vero, quieſcere melius eſt*. In principio ideo iſtorum morborum magis ſolicitus, magis operoſus eram, maximilque Artis noſtrae auxiliis congruo tempore utebar, Sanguinis nempe miſſione, & congrua *purgatione*, ut ſupra expoſui. Utrumque tamen hoc remedium



(103) *Baglivius de Criſi, & dieb. crit.* (104) *Hippoc. Aphor. 29. Sect. 3.*

non inconſulto in quibuſcunque *Pleuriticis* uſurpare conſuevi, ſed attenta AEgroti, & morbi conditione, ſimulque extrinſecis praegreſſis omnibus cauſis, modo alterutrum, modo utrumque, modo parcius, modo liberalius amplectebar, modo ab utroque, ſed raro temperabam.

CCXXIII. Hiſce peractis in progreſſu morbi vela quaſi recolligens, ſoliſque laxantibus dictis fidens, atque emollientibus, ab opere quaſi ex toto feriabar, ſalutares tantummodo attendendo naturae motus, ut efficaces magis illos redderem, eoſque, ſi opus eſset, idoneis adminiculis promoverem. Quare juxta indigentiam, vel Oleum Amygdalarum dulcium, cum Spermate Ceti, vel Clyſteres in uſum revocabam, mitiores tamen, atque emollientes, praeſertim cum bilioſas excretiones natura per Alvum exequi quaereret, neque ſatis perficeret. Si congrua *anacatharſi* (*critico* conferente ad id etiam quandoque ſudore) a *pleuritico* ſtagnante humore, conſueto quatuordecim dierum termino, *Thoracis* affectae quomodocunque partes liberari ſatis poterant, morbus feliciter ſolvebatur, utplurimum abſque *ſuppuratione*. Quoties autem quavis de cauſa, ſive ante decimam quartam diem (quod raro evenit) ſive poſt ipſam, citius, tardiuſve *ſuppuratio* fiebat, ad balſamica illico confugiebam, ut ad *Therebintum*, aut etiam ad Balſamum *de Copaiba* mihi admodum familiare, quod utiliſſimum expertus ſemper ſui, non ſolum in Thoracis hiſce *ſuppurationibus* variis, verum & quarumlibet Corporis partium, ſicuti & in ulceribus quibuſcunque. Etenim ratio ipſa ſatis oſtendit, quo nam jure conveniant hujuſcemodi balſamica in hiſce caſibus; tum quia ſcindente, atque abſterſiva vi ſua, qua ſpecialiter pollent, *ſuppuratas* partes ab infenſo pure liberant citius, illud attenuando, idoneumque magis reddendo, ut per *exſcreatum* educi poſſit: ſimulque ſolidorum fibras magis elaſticas reddendo, ut validioribus contractionibus optatas excretiones promovere tutius valeant: tum quia eodem tempore *diuretica* vi ſua copioſas magis urinas cient, faciliorem per Renes aditum reddendo *lymphaticis* hoſtilibus humoribus, ipſique purulentae ſubſtantiae, quam cum urina copioſe admodum ſic educi tunc praeſertim vidi, cum facta in Pectore *ſuppuratione* nil penitus per exſcreatum pus flueret, aut minus liberaliter, quam morbi indigentia poſtularet; pro ut ex allatis ſupra obſervationibus aperte patet.

CCXXIV. Eatenus autem tunc rationi conſonum eſse arbitrabar remediis hiſce *balſamicis* uti, ad purulentam materiem per urinas eliminandam: quatenus id & in omnibus aliis partium *apoſtematibus*, aut quibuslibet *ſuppurationibus* naturam ipſam ſponte ſua utiliſſime tentaſse ſemper, aut plerumque ſaltem attenderam. Quare cum tam efficax toties expertus fuiſem balſamum hoc de *Copaiba*, tamque tutum, faciſeque uſurpandum, tum ad urinas pro indigentia commode promovendas,

das, tum ad diſsolvendam lympham, concretoſque humores quoslibet in Pectore ſtagnantes attenuandos: potiore ratione me a *veſicantibus*, hac ultro de cauſa, abſtinere poſse cenſebam. Attamen quotieſcunque timebam, ne *balſamicorum* hujuſcemodi uſu, plus quam par eſset, humores attenuarem, atque in aeſtus concitatiores redigerem: (quod tamen fere nunquam evenit) ad *Julappium* de *Therebinto* rite praeparatum confugiebam, cujus ope, licet non tam cito, tutius tamen opus adimplebam. Verum cum de obeſis magis corporibus ageretur, uberiore lymphae glutinoſae copia ſcatentibus, praeſertim ſi *OEdematoſi extremitatum*, aut faciei tumores adeſſent, ſimulque lymphae futuram, aut jam factam effuſionem in cavitate Pectoris, merito pertimeſcerem, quod utplurimum fit; tunc ad *Balſamum de Copaiba* confugere neceſsarium eſse arbitrabar, cujus quindecim, aut viginti guttas, atque etiam ſcrupulum unum ſummo ſingulo mane AEgrotis propinabam, copioſos ſtatim hauſtus decoctionum emollientium pectoralium, atque *vulneraria* ſimul potentia praeditarum, ſumendos indicans. Decoctione hac eadem identidem alias etiam, & ſaepe interdiu utebantur AEgroti, quam plerumque parari jubebam ex radice Hellenii, Rapa, Jujubis, Hordeo, Foliis Hederae terreſtris, floribus Papaveris erratici, Hyperici &c. Ad hunc finem Tincturam etiam Croci utilem perſaepe expertus fui, ſeu Elixir proprietatis Paracelſi optime praeparatum.

CCXXV. Hac ſola ſimpliciore methodo juxta varias AEgrotorum, & morborum conditiones ſpecialiter uſurpata, *Pleuritides lymphaticas*, aut *lymphatico-bilioſas* me feliciter utplurimum curaſse, teſtari poſsum: dum alii ad *diaphoreticos*, vulgo ſic dictos, pulveres, ad *Alkalicos*, aliaque hujuſcemodi remedia nimis fidenter confugientes, laborioſam admodum, atque AEgrotis ipſis moleſtam nimis curationem reddebant. Neque uſque nunc efficacius unquam invenire remedium potui, quam Therebinti uſum, atque praecipue *Balſami de Copaiba*, ad ſuppurationes Pectoris tutius ſolvendas, in iis praecipue, in quibus *vomicae* perfecta expurgatio etiam ultra quadrageſimam diem protrahebatur, ſicque pluries futuros *abſceſſus* ad alias partes praepedire potui, aut ſaltem eorundem augmentum inhibere, puris *excretionem* per urinas commode promovendo. Quare merito hoc Balſamum, & tutius, & efficax magis in hiſce morbis evadere certo certius arbitror, quam ſimplices decoctiones quaslibet *vulnerarias* vulgo creditas, quas ex Hedera terreſtri, Conſolida, Hyperico, aut ſimilibus aliis vulnerariis herbis, fauſto exitu parari plerique putant. Hujuſce inſtituti ratio non ſinit, ut fuſius hic de hujuſce *Balſami* efficacia, & uſu in quamplurimis morbis agam. Id tamen alia occaſione data opera praeſtabo, atque peculiares a me de hoc habitas obſervationes in lucem proferam; ut magis innoteſcat potentiſſimi hujuſce remedii ſingularis vis, atque agendi modus,

etiam in quamplurimis aliis morbis, quibus omni jure convenire, atque efficaciter opitulari, fortaſse non omnes norunt. Id autem neceſſarium maxime erit, ut vulgares quaedam deſtruantur opiniones, quae contra hoc remedium circumferri paſſim ſolent, quae quidem eo magis damnandae ſunt, quo magis AEgrotis infenſae evadunt. Peſſimo enim neſcio quo fato plerumque in rebus medicis, ſicuti in aliis evenit, quod ea tantum quiſque remedia laudare ſoleat, & congrua exiſtimare, quae vel per traducem fere, ut ita dicam, habita, vel marte proprio inventa, in uſum jam diu revocare conſuevit. Hinc dum quidpiam novi ab aliis profertur, quod ipſi familiare non ſit, licet ab illis multiplici experientia comprobatum: id ſtatim rejicitur, aut ſaltem fruſtraneum judicatur; ac ſi ea tantum optima cenſenda ſint, quae ab ipſis proponuntur. Porro hujuſcemodi judicia turpis non raro etiam Politicae execranda ſunt germina, arti noſtrae tam indecora, quam AEgrotis officiunt. Quandoq; enim ea negliguntur remedia ab aliis propoſita, tum quia tanquam incongrua falſo habentur, tum quia, ſi poſt tale praeſidium citius, aut tutius morbus evaneſceret, fortaſſe tota ſanationis gloria illis adſcriberetur, qui tale remedium poſtremo propoſuerunt.

# SECTIO SECUNDA

## CAPUT QUINTUM.

### *Pleuritis ſanguinea ſimplex, ubi de Eryſipelatode, & Phlegmonode Pleuritide agitur.*

CCXXVI. Poſteaquam de *lymphaticis*, & *lymphatico-biliosis pleuritidibus* habitas a me obſervationes diſtincte ſatis propoſui, pro aſſumpti mei complemento aliquid, & de vere *ſanguineis*, eodem tempore a me diligenter obſervatis, dicendum reſtat: maxime cum hae ab aliis quammaxime differant tum ratione acceſſionis, extenſionis, & exitus, tum ratione *ſymptomatum* peculiarium, quae pediſequa plerumque habere ſolent. *Sanguineas* haſce omnes (ſicuti & de *lymphaticis* ſatis ſupra dictum eſt) ad duplicem generalem claſſem reducendas eſſe, tunc obſervavi: ad eas nempe, quae *Pulmonem* tantummodo infeſtant: atque ad alias, quae in *Pleura*, *Mediaſtino*, *appendicibus membranaceis* Pulmones cum *Pleura* colligantibus, aut alibi quomodolibet extra *Pulmonem* intra Thoracis contentas, aut continentes partes, conſiſtere plerumq; ſolent. Quaelibet ex hiſce *Pleuritidibus* rurſus aliam ſibi aſciſcit diviſionem: dum nempe *eryſipelatoſus* tantum in hiſce partibus tumor ſuboritur, aut etiam *Phlegmonodes*.

CCXXVII. Ut de ſingulis hiſce diſſeramus, ſupponendum primo eſt, generalem omnium immediatam cauſam a ſanguinis vera *ſtaſi* petendam eſſe, quae quidem ſtatim in principio fit, non autem tractu temporis, invaleſcente morbo, ut de *lymphaticis* dictum eſt, in quibus, ſtagnante lympha, eademque ratione compreſſis inde ſanguineis contiguis, aut ſubpoſitis vaſculis, augetur in ipſis eodem modo obſtaculum ſanguini intro ſe moventi: propter quod (praehabita etiam in ipſo ſpeciali ad concreſcendum diſpoſitione) in iiſdem tubis tardo primo ſe ferre motu incipit, atque ſucceſſive magis magiſque a nativa ſua celeritate deflectere, donec tandem ibidem conſiſtat, coaguletur, atque omnimode reſideat. In *ſanguineis* autem

tem veris hiſce Pectoris morbis aliter res ſe habet; dum primo ſanguis ſtagnat, atque ob ejuſdem *ſtaſim* ſucceſſive, & lympha proinde pariter concreſcit. Generalis ſanguinis *ſtaſis* ratio ab iiſdem penitus generalibus cauſis petenda eſſe videtur, propter quas & lymphae coagulationem in ſupradictis evenire, jam antea demonſtravimus.

CCXXVIII. Cum *Pleuritides* iſtae quoque Hyemis tempore plerumque, atque in aquilonari maxime conſtitutione auſtralem praeſertim ſubſequente graſſarentur; a peculiari hac aeris conditione generalis magis vera earundem cauſa unice erat derivanda. Et ne crambem recoquere hic fruſtra videar, prolixiorem jam ſupra allatam explicationem denuo afferendo; ſatis ſit attendere, quod ſanguinea tota maſſa, utpote *fuliginoſis*, ſive mavis, *excrementitiis* quibuſvis glutinoſis moleculis (quae ob ſtrictiorem tunc totius cutis ſtatum, per inſenſibilem *perſpirationem* avolare ſatis non potuerant) praeter modum onuſta, in majorem excreſceret pari ratione molem: quod quilibet Sanctorianis doctrinis ſatis imbutus inficiari neutiquam poterit. Hinc adaucta ſummopere ſanguinea tota maſſa, eadem ratione minus conveniens reddebatur canalium capacitatibus; unde per ipſos tardo magis motu fluebat: tum quia preſsae admodum canalium tunicae, ob exuberantem contenti liquidi copiam, conſuetas *oſcillationes*, ſeu *vibrationes* peragere rite non poterant, ſeu, in contenta liquida debite contranitendo, eorundem motus ſolicitare: tum quia, & ſuapte natura ſanguis ipſe, ob tenaces admodum ejuſmodi moleculas ipſi adjunctas, viſcidior, craſſiorque redditus, ad ſtagnationem eo magis proclivis evadebat. Lento ſic progrediens quaqua verſus motu ſanguis in Pectore facilius, quam alibi, reſidebat, ſtagnabatque; quia ſpecialis ibidem aderat ſuperandus obex ipſius motui magis, quam in aliis partibus, obſiſtens: Aeris nempe pondus in aquilonari conſtitutione *Pulmones* gravius, atque immediate prementis: tum & non modica in eorundem fibris corrugatio, ab intruſo indeſinenter rigidiore eodem aere facta. Non vacat hic fuſius oſtendere, quare Brumalis rigidior aer, *Pulmones* permeans, vaſculorum ibidem fibrillas corrugare, eorundemque capacitates pari ratione coarctare queat: cum id in ſe ipſo Hyemis tempore evenire in extima Corporis ſuperficie quilibet noſcat: dum corrugatam plus ſolito cutim, labiorum, & narium ſciſſuras ab eadem cauſa factas, aliaque hujuſcemodi quamplurima oculis ipſis attingit. Quod ſi quis ultro peteret, quare nam generali hac vigente extrinſeca aquilonaris conſtitutionis cauſa, *lymphaticae* potius, quam *ſanguineae*, aut vice verſa, *Pleuritides* in hiſce potius, quam illis contingerent: praeſto eſt genuina ratio a peculiari quorumcunque corporum temperie petenda, quae etiam ſatis oſtendit, quare aliqui nullis penitus ex hiſce morbis laboraverint, dum plerique alii iiſdem detenti fuerunt, omnes autem ejuſdem extrinſeci ambientis aeris vi-

ciſſi-

ciſſitudines pari modo tunc paſſi fuerint.

CCXXIX. Inter tot alias differentias praecipuas, propter quas tot variae corporum temperies emergunt, quas & *temperamenta* dicimus, ad id merito refertur ſanguis ipſe majore, minoreve lymphae copia praeditus. Hinc quoties in ſpecialibus corporibus univerſa ſanguinis maſſa ad coagulum proclivis magis erat, majorque in ipſis, caeteris paribus, aderat lymphae copia; in illis *lymphaticae* potius fiebant *ſtaſes*, ob generales jam dictas cauſas, atque proinde *lymphaticae pleuritides* oriebantur, aut *lymphatico-bilioſae*; ſi ob bilis refluxum in ſanguinem, ejuſdemque copiam, atque cum lympha mixtionem, & ipſa in Pectore ad *ſtaſim* vergebat. Si vero non aderat in ſanguine exuberantis hujuſce craſſioris lymphae dominium hoc, ſed major, caeteris paribus, potius copia fibroſae ſubſtantiae, ſeu craſſamenti; tunc pars ipſius ſanguinis rubra ad *ſtaſim* tendebat, atque in Pectore quomodocunque reſidens *ſanguineas* variae indolis *Pleuritides* procreabat, habita ratione ad copiam ſtagnantis ſanguinis, ad modum, & locum; unde variae prodibant differentiae, prout infra patebit. Quod autem duplex haec ſanguinis adeſſe poſſit conditio a majore, minoreve lymphae copia deprompta: quilibet oculis ipſis occaſione cujuſcunque morbi, & Pectoris maxime, in educto, refrigerato, concretoque ſanguine attingere facile poteſt. Hoc praeſertim anno id accuratiſſime obſervare non omiſi, dum quandoque, occaſione *Pleuritidum*, inveni ſanguinem, cujus pars ſeroſa, praeter ordinem copia adaucta, ſubdupla erat, aut ſaltem ſubtripla totius maſſae ſanguineae: dum fere ſemper ſuperior fibroſae partis, ſeu *craſſamenti* ſuperficies conſueto *coriaceo*, fere dixerim, *cortice* cooperiebatur. In hiſce plerumque ſeparatum a tota maſſa ſerum craſſius, atque tenacius erat, atque *ſubvirenti* quaſi colore ſuffuſum utplurimum apparebat, ut glutinoſum fere juſculum, ſubſtantia, & colore aemulari videretur.

CCXXX. Peculiaris haec ſanguinis diatheſis *lymphaticas* veras *Pleuritides* potius, quam alias, ſequebatur, aut *lymphatico-bilioſas*, quas ex *flavo*, aut *ſubvirente* ejuſdem *corticis* colore facile erat dignoſcere. Animadvertendum tamen hic eſt; quod licet ſeroſa haec ſanguinis conſtitutio in *lymphaticis* plerumque *Pleuritidibus* vigeret; in iiſdem quandoque non tanta aderat ſeroſi laticis copia, habito congruo reſpectu ad alias; ſed *craſſamentum* fere ex toto vas adimplebat. Semper tamen conſuetus ſuperincumbebat *pleuriticus cortex albicans*, aut *flaveſcens*, qui craſſior erat, aliquando ad altitudinem plus quam unius tranſverſi digiti, ab eodem glutinoſo concreto ſero progenitus. Alias autem, ſed rarius, admodum rutilantem vidi ſanguinem nullo penitus *pleuritico cortice* obductum, cujus *craſſamentum* totum pene vas adimplebat, nulla fere, aut modica ſaltem facta ſeri ſeparatione, fibroſumque hoc corpus maxime

durum

durum erat. Genuina haec eſt ſanguinis peculiaris diatheſis, quae in *ſanguineis* veris *Pleuritidibus* obſervatur, quas cum plerumque funeſtas noverim, nil penitus mirum eſt, quod & clariores Medici tanquam peſſimum attenderint ſignum, nullam in ſuperficie ſanguinis *pleuriticam cruſtam* apparere; licet hoc ab alia prorſus cauſa derivaſſe ipſos conſtet, ut ſupra indicavimus. Addam tamen, quod in *ſanguineis Pleuritidibus* hiſce veris non prima tantum, ſed ſecunda etiam, & tertia vice, & toties tandem utplurimum, quoties educebatur ſanguis, tali plerumque *cruſta* carebat; quod omnem tollit ambiguitati locum. Etenim, ut ſupra diximus, aliquando prima vice nullam penitus ſanguis, aut modicam ſaltem *cruſtam* proferebat, ob plures jam indicatas cauſas, quae poſtea aliis vicibus ſatis patens, aut magis craſſa erat: quod veros *ſanguinearum Pleuritidum* characteres nil penitus profert: niſi forte referendum hoc ſit ad lymphae *ſtaſes* progrediente morbo factas, ſanguiniſque *ſtagnationibus* neceſſario ſuccedentes (ut patet ex dictis) in qua hypotheſi, quamvis in primaria origine *Pleuritis* vere *ſanguinea* tantum fuerit, ſucceſſive fit & *lymphatica*, unde *ſanguineo-lymphaticae* poſtea nomen acquirit. Quamobrem, licet primis vicibus *pleuritica cruſta* caruerit ſanguis, eam poſtea proferre poteſt: quod tamen perquam raro eveniſſe animadverti, cum raro hujuſcemodi *Pleuritidum tranſmigrationes* occurrant.

CCXXXI. Praeter ſpeciales haſce educti ſanguinis conditiones in *ſanguineis Pleuritidibus* attendendas, eas facile etiam erat dignoſcere a prodeuntibus ſputis. Siquidem ipſorum indoles in hiſce diverſa admodum erat, quam in *lymphaticis*. Sicuti enim in hiſce ſtatim ſalivalis exiens ſpumoſus liquor, aut *viridem*, aut *flavum*, aut *flavo-virentem* praeferebat utplurimum colorem, habita, ut ſupra diximus, ratione coloris *pleuriticum corticem* inficientis: in illis ſputum ſanguine plus, minuſve tingebatur, omni alio fere ſemper colore carens. Attenta hac peculiari ſanguinis, plus aequo ſero carentis diatheſi, ad *ſtaſim* maxime prona, facile hinc erat percipere *ſanguinearum* variae indolis *Pleuritidum* veridicam ſcaturiginem in hiſce potius, quam in illis corporibus, ſpeciali ſuppoſita Pectoris partium conſtructione, propter quam, illis poſitis, neceſſario fieri deberet, ut hic potius, quam illic ſanguis ſtagnaret, atque concreſceret; ut & alias omittam *procatharticas*, ut ajunt, praevias cauſas ab extrinſeco venientes: Ictus nempe, contuſiones, vulnera, clamores, atque tot alia quamplurima, quae nil refert in proſpectum hic ponere. Quod juxta corporum conſtructionem variam in hujus potius, quam illius Hominis Pectore; immo in hac potius, quam illa *Pulmonum* parte ſuperiore, aut inferiore, in *Pulmonibus* potius, quam in *Pleura* &c. aut utrobique, aut alibi, caeteris paribus, ſanguinis ſtagnationes fiant; eo magis mihi perſpicuum

ſpicuum evadit, quo magis conſtat, quemlibet Hominem ab ortu ipſo, pro ſpeciali corporis ſymmetria, primigenea futurorum ipſi quorumlibet morborum, ipſiuſque mortis etiam ſemina ſortiri: (fortuitis tamen exceptis AEgritudinibus, ſicuti & *Epidemicis*, aut contagioſis, aliiſque quibuslibet a violenta quavis extrinſeca cauſa venientibus) quae in talibus circumſtantiis aetatis, victus, aeris, aliorumque non naturalium, ut ajunt, rerum, ad actum reducuntur; quod optime convenit cum iis, quae doctiſſimus Pitcarnius in ſuis operibus protulit, dum docuit, *Temperamentum* cujuſcunq; Animalis morbum eſſe, ſive mavis, ſpecialem ad peculiares AEgritudines diſpoſitionem.

CCXXXII. Juxta generalem *ſanguinearum* quarumcunque *Pleuritidum* diviſionem ſupra propoſitam, obſervavi pluries, quod ſi ſanguis, ob allatas ſupra cauſas, in minimis tantum *capillaribus*, ut ajunt, tubulis hinc inde reſidebat: ſive, quod plerumque evenit, ab irruente rigidiore aere Arteriarum corrugatis fibrillis, preſſus admodum, laterales *lymphaticos* ſubiens ductus, ſive *lymphaticas*, ſic proprie dictas, *arteriolas*, a conſueta *circulationis* ſemita aberrans, in iiſdem undique concreſcebat, teterrima illa oriebatur *Pleuritis* ſubito invadens, quam jure, meritoque *Eryſipelatodem* Baglivius appellat, dum ſic effatur (105) *Inter difficiles, pernicioſas, & curatu non faciles Pleuritides, eſt Pleuritis ſicca, ſive Eryſipelatodes acutiſſima, quae fit a ſero acri, tenui, urente, Pulmones velociter occupante, lacerante, cum pauco dolore, & AEgrum derepente jugulat, Medicis non cogitantibus.* Licet hujuſcemodi *Pleuritidis* originem a ſero acri, tenui, atque urente petendam aliquando eſſe, inficiari nemo recte poſſit: concedendum tamen eſt, illam ſemper a ſanguinis *ſtaſi* in minimis canalibus ſeu lymphaticis, ſeu ſanguineis, ſeu utriſque immediate pendere; cum eadem ſit ac aliarum Eryſipelarum, in extima quavis Corporis parte degentium ratio, quas omnes ab hac ſpecialiter cauſa derivari plerumque arbitror. Id mihi ultro magis ex Cadaverum diſſectionibus patuit, dum rubicundos admodum, ob ſtagnantem hinc inde ſanguinem, *Pulmones*, atque maximo undique livore perfuſos inveni, ſive mavis, *inflammatos*: caeteroquin tamen molles, aut ſaltem a naturali mollitudine ſua parum deflectentes; ſecus ac in *lymphaticis* ſupra dictis, in quibus ob copioſas glutinoſae lymphae concretiones, utplurimum tumidi admodum, & duri *Pulmones* evadebant.

CCXXXIII. *Eryſipelatodes Pleuritides* haſce ex propriis ſignis facile dignoſcendas merito docet Baglivius juxta divini præſertim Senis obſervationes: ex *fugaci* nempe *genarum rubore, tuſſi inani, pauco dolore, jactationibus, ariditate magna linguae, viſcerum ardore*, quibus merito addendus eſt nullus penitus, aut minor ſaltem, quam in aliis *Pleuritidibus* jam deſcriptis, gravitatis ſenſus

in

(105) *Baglivius Cap. de Pleuritide,*

in Pectore; quod maxime attendendum eſſe obſervavi, ad *inflammatorias* alias diſtinguendas *Pleuritides* a copioſa magis ſanguinis *ſtaſi*, ſeu vera *congeſtione* ortis; in quibus majus ſemper, minuſve pondus in Pectore AEgroti ſentiunt, habita proportione majoris, minoriſve *ſtaſis*; maxime cum ab uno ad alterum latus Corpus flectunt. Merito autem ad dignoſcendas rite *Pleuritides* haſce parvum indicat dolorem expertiſſimus iſte Auctor, ad differentiam aliarum hujuſcemodi *Pleuritidum*, quae in aliis quibuſvis Pectoris partibus, ob eandem cauſam, excitari ſolent; quae caeteroquin reliqua alia omnia obtinent ſigna, nempe inanem tuſſim, jactationem &c. licet tamen in hiſce non ſemper *rubor genarum* eveniat. Verum id praecipue, quod haſce ab aliis diſtinguit, eſt doloris vehementia, unde & ad exquiſitas etiam communiter reduci ſolent. Haec, quae hic de hujuſmodi *Pleuritide Eryſipelatode* cum clariſſimo Baglivio innuimus, omnimode conveniunt cum illis, quae accuratiſſimus Ballonius lib. primo Epidem. protulit ſic. *Peripneumoniae ſiccae, & Pleuritides, ideſt, quae non tam in humore, & tumore Phlegmonode conſiſtunt, quam in phlogoſi, & vagabunda aſſatione, aut aduſtione, jugulant homines incautos, & minime cogitantibus Medicis. Harum Auctor eſt ſerum acre, ſubtile, malignum, efferum, eludens excluſionis anſam, & pepaſmi occaſionem, a quo ſiderantur Pulmones derepente. Signa ſunt rubores genarum fugaces, tuſſis inanis, indolentia fere, jactationes, ariditas linguae, & extenuatio praeter rationem, dolores pungentes, & fugaces* &c. *Pleuritides* haſce diſtincte indicaſſe etiam videtur praeſtantiſſimus Hecquet ſummum in Gallia Medicinae decus, & fulcrum, dum & ipſe diſtinguens *Pleuritides*, quae ad *exſcreatum* vergunt (quando intra *Pulmones pleuriticus* humor reſidet) ab illis, quae vere *Pleurae* propriae ſunt, haec merito ſubdit (106) *Docet enim uſus, exquiſitas dari Pleuritides Pleurae unice proprias, ferinas omnino, & ſiccas, dolore immani torquentes, ſub quibus tuſſiendo jugiter AEgrotantes extundunt nihil. Spaſticae ſunt a fibrarum erethiſmo, aut criſpatura magis, quam humorum affluxu natae.* Immanis iſte dolor harum *Pleuritidum* proprius, magis magiſque exaſperatur, quotieſcunque occaſione tuſſis Pectus maxime concutitur, affectaque *Pleura* pari pacto per conſenſum quaſſatur, quod eodem plane modo evenit etiam, ſi *Eryſipelatoſus* tumor *membranaceas* quoque *Pulmonum appendices*, aut *Mediaſtinum* occupet: quod ſtatim patet.

CCXXXIV. Paucos admodum ex hiſce *Pleuriticis* tunc ſanatos vidi, ſive *Eryſipelas* intra *Pulmones*, ſive extra quomodolibet in cavitate Thoracis conſiſteret. In hiſce autem, quos convaleſcere obſervavi, nullum certe efficacius remedium experiri potui, (praevia primis diebus congrua ſanguinis miſſione juxta varias AEgrotorum temperies opportune

(106) *Hecquet Com. in Aphor. 8. Sect. 5. Hippoc.*

opportune celebrata, atque iterata) quam laxantia omnis generis tum interna, tum externa; quod conſonum maxime videtur iis, quae praelaudatus Hecquet loco ſupra citato ſapienter protulit (107) *Sub illis* (inquit ille) *ut vitii purus Pulmo eſt, ſputorum purgamina periculoſe movebis, aut expectabis fruſtra, quas diaeta diapnotica, diluentium imbre, anodynorum copia feliciter expedies.* Ideo enim & *diluentia*, & *anodyna*, & *laxantia* omnis generis in hiſce caſibus utilia admodum evadebant; quia laxando fibras, vaſorumque *criſpaturas* ſolvendo, minus ſic fiebat *circulanti* ſanguini impedimentum, unde & liberiore per conſuetos tubos motu progredi poterat, nec tam facile a conſueta ſemita aberrare coactus erat. Eodem tempore, laxatis affectae partis fibris, reſidens in ipſis ſanguis motum ſuum ultro adimplebat, ſicque ad ſanguinea tandem majora vaſa perveniens, in *circulationis* aream iterum reducebatur. Ad hunc finem praeter externa fomenta ex emollientibus decoctionibus, ſimulque *diſcuſſivis* mitioribus, identidem & ſaepe affectae parti applicata: perquam utilem ſemper expertus fui decoctionem radicis Altheae, Rapae, foliorum Malvae, Violarum, florum Papaveris erratici, florum Chamaemeli, Paſſularum, & ſeminum Lini. Decoctionem hanc largis hauſtibus ſaepiſſime potandam eſſe calide etiam atque etiam monebam; cum huic uni potius fidendum eſſe maxime exiſtimarem in hiſce caſibus, quam quibuslibet aliis ſeu *reſolventibus*, ſeu *inciſivis*, ſeu *expectorantibus* vulgo dictis remediis, quae ad pompam potius, quam ad utilitatem, ne dicam ad AEgrotorum perniciem, Medici quidam nimis creduli, atque mille praejudiciis ignominioſe obcaecati in uſum revocare ſolent. Praeter haec non negaverim tamen & Oleum Amygdalarum dulcium, & ſeminum Lini, ut ſupra dixi maxime convenire: quod utiliſſimum ego quoque quampluries animadverti, niſi tamen inconſiderate nimis adhibitum eſſet. Ad hoc item Oleum tutum erat confugere, quoties Alvum ſolvere expediret: aliis nempe ſolventibus, multoque magis purgantibus validioribus omiſſis, quaejure, meritoque in hiſce praeſertim Pectoris *organicis* potius, quam *humoralibus* morbis damnanda eſſe nemo non novit.

CCXXXV. Verum cum ſanguis non in minimis tantum tubulis ſeu *lymphaticis*, ſeu *ſanguineis* reſidebat; ſed eorundem tunicis diſruptis, alicubi effuſus, ibidemque extra *circulationis* conſuetam ſemitam accumulatus, & concreſcens majores mole tumores progignebat; alterius indolis *ſanguinea Pleuritis* oriebatur. Tumores autem iſti *Phlegmones* vere dici merentur: unde *Pleuritis* inde orta *Phlegmonodes* appellari conſuevit. Fiunt quoque hoc eodem modo, & in *Pulmonibus tubercula*, quae quidem minimi ſunt tumores ejuſdem indolis a concreſcente minore in copia ſanguine, plurimiſque in

(107) *Hecquet loco ſupra citato.*

in locis congeſto progeniti. Dictos majores tumores *Pulmonis* vere plerumque proprios obſervavi, neque unquam in *Pleura*, aliiſve internis Thoracis partibus extra eos fieri, ex diſſectionibus Cadaverum novi licet ipſos, & in hiſce quoque partibus ſuccreſcere aliquando poſſe non negaverim; maxime cum & illae per conſenſum pati ſoleant, ut ex dictis ſupra ſatis patet. Quod in *ſanguineis* aliis eiuſdem indolis tumoribus, in externis Corporis partibus quomodolibet factis, evenire Medici omnes clinici, atque Chirurgi maxime quotidie animadvertunt: id etiam in internis hiſce *Pulmonum Phlegmonibus* occurrere, nemo inficiabitur. Etenim aut effuſus, ut ſupra diximus, in ipſis ſanguis, primis diebus, rupto repagulo, per *exſcreatum* feſtinanter educitur (quod citiori *Phlegmonis* ſolutioni confert) aut diutius ibidem remorando ad *ſuppurationem* neceſſario vergit. Facta *ſuppuratione* (niſi continentes reſiſtant nimium tunicae) pus ad *bronchia* aditum ſibi paulatim parat, donec congruo tempore omnimode excernatur. Quod ſi non ab *bronchia*, ſed ad extimam Pulmonum ſuperficiem minorem habeat obicem, *vomica* ibidem diſrumpitur, atque ſic in cavitatem Pectoris effluit pus, a qua prodire nullo alio modo poteſt; niſi aut per modum ſuctionis, ut diximus, ad lacerata *bronchia* tranſeat, ut per exſcreatum educatur: aut in *circulationis* aream cum toto ſanguine iterum redigatur, ut per idonea *emunctoria* exitum ſatis obtineat.

CCXXXVI. *Phlegmonodem Pleuritidem* hanc eadem penitus mihi indicabunt ſigna, quae in *Eryſipelatode* occurrere ſupra obſervavimus: ſi ſpecialem excipias ponderis majoris in Pectore varium ſenſum, majoremque reſpirationis anxietatem, atque magis difficilem ſuper latera decubitum. Quandoque tanta fiebat in *Pulmonibus* effuſi ſanguinis congeſtio, *Pulmones* ipſos praeter modum diſtendens, atque aggravans, ut non niſi erecto plus, minuſve Corpore, ſpiritum ducere melius AEgroti ſatis poſſent. Etenim dum ſupini quomodocunque ipſi jacebant, decumbentes ſic male affecti *Pulmones*, pari ratione adinvicem premebantur, minorque ſic aderat aditus aeri libere intrudendo: ſecus quam erectis jacentibus AEgrotis, quando *Pulmones* fere ad perpendiculum verſus *diaphragma* vergunt, nullaque ex parte preſſi; atque hinc liberior, magiſque capax ingredienti aeri ſemita relinquitur. Cruenta tunc aderant ſputa plus, minuſve ſanguine ſaturata ſub ipſum morbi initium, una cum albicante ſpumoſa ſaliva, quae nunquam virente, aut flavo tingebatur colore. Quod ſi ſanguinolentum valde apparebat ſputum, quin immo intime ſaturatum ſanguine, malum portendebat omen, quod & indicavit Hippocrates ſic: (108) *Sputum valde ſanguinolentum, vel lividum ſtatim initio periculoſum.* Id enim aut

(108) *Hipp. in Coac. lib.* 5. *Sect.* 2. *n.* 33.

aut magis copioſam ſanguinis *ſtaſim* (maxime cum reſpirandi anxietas fortis adeſſet) aut longo antea tempore incoeptam, & confirmatam ejuſdem concretionem indicabat: quod ſaepiſſime tunc, atque alias etiam eveniſſe ſedulo animadverti.

CCXXXVII. Hujuſcemodi *Pleuritides* citius, quam aliae, plerumq; ad exitum properabant, atque perquam raro decimam quartam diem tranſgrediebantur. Illi vero in quibus ultra decimam quartam diem morbus protrahebatur, purulenti evadebant, quod iis maxime contingere viſum eſt, qui rite antea expurgari neutiquam potuerant: quod Hippocratis effato conſonum eſt, dum haec habet (109) *Quicunque vero Pulmonarii non repurgantur criticis diebus, ſed ubi deliraverint, decimam quartam effugerint diem, periculum eſt, ut ne purulenti fiant.* Hinc eo celerius ſolvebatur morbus, quo citius etiam matura prodibant ſputa. Quare Hippocrates ipſe indicat, quod (110) *Sputum in Pleuriticis, ſiquidem tertia die incipit maturari, expuique, celerius abſolvetur morbus, ſi poſt tertium diem tardius.* Hinc ſaepiſſime obſervavi in *Pleuriticis* hiſce vice verſa ſpumoſa, atque ſalivalia tantum excerni ſputa ſanguineis tantummodo filamentis foedata; dum caeteroquin, & reſpirandi difficultas, & Pectoris gravitas, atque in *inſpiratione*, & *exſpiratione* aeris ſtrepitus quidam veluti *fluctuationis*, magnam materiei copiam in Pectore latitantem demonſtrabant: quo nil unquam pejus contingere poſſe obſervavi, cum omnes fere nona, aut undecima die, ſemper autem ante decimam quartam mori viſi fuerint: maxime cum ſimul, & triſtis adeſſet facies, & oculus ad livorem undique vergens: propter quod omni jure docuit Hippocrates (111) *Quibus Pleuriticis ſtrepitus in Pectore multus, & facies triſtis, oculus aeruginoſus, & turbulentus, moriuntur.* Hujuſcemodi ſtrepitus in Pectore aeque funeſtum proferebat omen, etiamſi cocta ſatis aliquando prodirent ſputa, praeſertim ſi *pauca*, ſi *rotunda*, ſi *purulenta*, & *ſubcruenta* forent. Quamobrem Hippocrates ſic monet (112) *Qui in morbo lateris expuunt purulenta leviter biliosa, rotunda, vel purulenta ſubcruenta pernitioſe habent.* Atque alibi (113) *Timendum iis eſt, qui in Peripneumonia ſicca pauca cocta expuunt.*

CCXXXVIII. Rotunda hujuſce indolis ſputa *purulenta ſubcruenta*, cum ſtrepitu Pectoris magna in copia vidimus in Nob. D. Thereſia Cazanigha, quorum copioſa excretione circa decimam quartam melius admodum ſe habuit; dum aliunde circa nonam diem de imminente jam jam morte timendum omni jure erat. Hinc enim liberior evaſit reſpiratio, ſomnus magis placidus, color faciei vividior, atque febris ipſa imminuta quammaxime eſt, ſed non ex toto ſoluta. Etenim ſic mitior reddita per plures dies, uſque ad vigeſimam protracta eſt; quando

(109) *Hippoc. in Coac. lib. 5. Sect. 2. n. 43.* (110) *Hippoc. ibid. n. 24.*
(111) *Hippoc. ibid. n. 28.* (112) *Hippoc. ibid. n. 41.* (113) *Hippoc. ibid. n. 70.*

quando derepente denuo invaluit, atque *purulenta* eadem ſputa, *rotunda*, fuſcoque infecta colore prodierunt, ſed in modica copia: unde adaucto iterum reſpirationis labore, atque praeter ordinem copioſis accedentibus ſudoribus praecipue in facie, inopinato ad Superos avolavit. Id autem forſitan evenit, quia nova inde in Pectore *ſuppuratio* paulatim facta, morbi *recrudeſcentiam* produxerat. Unde ex hac, atque aliis hujuſcemodi obſervationibus liquido conſtat, eo minus in morbis Pectoris fidendum eſſe, quo magis ad remiſſionem vergere videntur: maxime cum in ſanguineis hiſce veris *Pleuritidibus* malae indolis ſupradicta ſputa magis funeſta ſigna proferant.

CCXXXIX. Attamen certo certius noſcere quampluries potui, tum in hiſce, tum in aliis *Pleuritidibus* quibuslibet gravioribus, ſputa quaelibet, etſi peſſimae indolis, ſeu quo ad colorem, ſeu quo ad conſiſtentiam, ſeu quo ad *ſubſtantiam* timenda nunquam abſolute eſſe: niſi prava ſimul, & alia accederent ſigna a conſuetis *ſymptomatibus* petenda. Quae autem, quo ad caetera, boni ominis ſigna ſpectanda ſint in hiſce circumſtantiis aperte ſatis oſtendit Hippocrates (114) *Bonum autem* (ſic admonet ipſe) *atque ſalutare turbis, tum aliis omnibus, qui circa Pulmonem laborant, facile ferre morbum, ſine dolore eſſe, ſputum educi, bene ſpirare, non ſitire, corpus univerſum aequaliter calere, & molle eſſe: & praeterea ſomnos, ſudores, urinas, alvi excrementa probe fieri.* Ad haec attendens ſedulo Medicus, neque temere bonae indolis ſputis nimis fidat, neque a prava qualibet eorundem conditione nimium terreatur: verum namque ſemper eſſe experientia mihi demonſtravit: (115) *Omne ſputum, quod dolorem non ſolvit, pravum, quod ſolvit, utile eſſe* (116) *Nam cum AEger vacuatur, ex eoque ſe leviorem factum percipit, atque alacrius fert morbum, ſive cruda, ſive foetida, ſive liquida, ſive ſincera, ſive ſicca excludantur, in bonis ducenda ſunt: ſin vires dejici, aut diſſolvi cum moleſtia graviore videantur, in malis. Atque hoc ſignum commune eſt vomitionibus, dejectionibus, ſudoribus, Haemorrhagiis, purgationibus, ſputis, omnibus denique aliis, quae e Corpore excernuntur.*

CCXL. Sic quoties *ſuppuratio* cito, perfecte, & commode fiebat, atque pus bonae indolis prodibat, remittente poſtea febri, aliiſque fauſtis accedentibus ſignis; res in tuto fere verſabatur. Hoc ipſum innuit Hippocrates, dum ſimul *laudabiliora* puris ſigna exhibet ſic: (117) *Quibus itaque & febris ſtatim deſinit poſt eruptionem, & cibi appetentia redditur, puſque rejicitur album, inodorum, leve, & concolor, ſine igneo colore: Alvus autem pauca, & concocta excernit, utplurimum ſervantur in brevi.* Appoſite tamen hic ſtatuit Hippocrates, quod *utplurimum ſervantur*; eo quia quandoque, dum morbus

(114) *Hippoc. in Coac. lib. 5. Sect. 2. n. 36.* (115) *Idem ibid. n. 34.*
(116) *Deſid. Jacot. in com. ibid.* (117) *Hippoc. in Coac. ibid. n. 54.*

morbus undecunque ad remiſſionem vergere merito creditur, adauctis extemplo *ſymptomatibus* omnibus, novoque inſurgente hinc pejore morbo, AEgroti magis quam antea, in diſcrimine vitae degunt; cum perſaepe, priore fere ex toto expurgato *abſceſſu*, nova exſurgat *ſuppuratio* priore pejor, quia labefactatum jam antea *Pulmonem* invadens. Utplurimum aliam futuram poſtea *ſuppurationem* tuto praedicere potui ex ſanguineis *filamentis*, una cum pure inopinato prodeuntibus; dum antea albicans omnimode effluxerat pus ſanguine totaliter carens. Nec mirum unquam erat videre poſt ſanguinea haec apparentia *filamenta*, febrim praeter conſuetum augeri, tuſſimque exaſperari. Etenim ex cruentis hujuſcemodi ſuccedentibus poſtea ſignaculis facile erat deducere, novam alicujus ſanguinei vaſculi apertionem, ſeu eroſionem, a remorato forſitan pure factam; propter quam effluens denuo ſanguis, ibidemque ſtagnans, novae futurae *ſuppurationi* anſam praebebat: ad quod praecipue attendendum merito eſſe, ſemper exiſtimabo, ut tutius de futuro morbi exitu in hiſce caſibus praedicere poſſimus. Etenim magis in hiſce caſibus expedit, quin immo neceſſe eſt, ſputa diligenter inſpicere, atque rimari, quam alia quaeque ſigna attendere. Hiſce namque (pulſui nempe, urinae, reſpirationi, ſudori &c.) fidere nunquam ſoleo, etiamſi optimum omnia ſimul omen proferant: niſi dum ad id diſtincte quoque aeque laudabilis ſputorum conditio conferre videatur. Perſaepe occurret *catarrhalis* affectio ſimplex, quae primis diebus, gravibus nullis accedentibus *ſymptomatibus*, nil penitus metuenda tibi videbitur; maxime cum ſpumoſa tantum, & albicans ſola lympha prodeat. Huic tamen ſi aliquando ſanguinea quaedam dicta *filamenta*, quae nunquam antea apparuerant, adjuncta videas, non parum timeas; licet pleraque alia ad ſalutem aperte tendant, aut tendere ſaltem doloſe videantur. Niſi enim ſanguineae illae fibrillae a ſuperioribus *Laryngis*, aliiſque ipſi adnexis partibus per vim tuſſis ſeparatae ſint; eaſque certe a *Pulmonibus* derivaſſe aliunde conſtet: procul dubio aſſerere minime dubites, aut diuturnum admodum futurum fore morbum, aut graviorem etiam. Hujuſmodi enim ſanguinea *filamenta*, ſicuti ſanguinei vaſculi ſubſecutam diruptionem aperte demonſtrant; ita jure timendum hinc ſemper eſt, aut de copioſa magis ſanguinis interiore effuſione, aut de latente *tuberculo* lacerato: unde utrinque *ſuppurationem* futuram non abs re eſt pertimeſcere. Id eo magis in hiſce caſibus metuere convenit, ſi febris, aut eodem tempore augeatur, aut paulo poſtea ſuccreſcat, ſimulque difficilior reſpiratio evadat. Ob eandem rationem, poſt habitam in Pectore *ſuppurationem*, atque jam jam omnimode quaſi expurgatam, peſſimum eſſe ſignum ſupra indicavimus, ſi ſanguinea haec filamenta derepente una cum pure denuo prodeant. Quamplures adducere hic poſſem

obſervationes ad id faventes, tum in *Pleuriticis*, tum in *Empyematicis*, tum in *Phthyſicis* habitas; in quibus dum omnia in melius vergere videbantur, mutata ſubito rerum facie, graviora evaſere, apparentibus ſanguineis hiſce ſignaculis. In *Pleuriticis* praecipue teſtis eſse poſsum, multoties, ope *ſuppurationis* congruo modo, & tempore peractae, atque idoneo puris *exſcreatu*, morbum jam ad declinationem tendere viſum eſse, ut de totali, tutaque ejuſdem ſolutione optimum inde emergeret praeſagium: dum paulo poſtea novam incipientem *ſuppurationem*, ob aliam ſubſecutam *metaſtaſim*, ex hiſce ſanguineis fibrillis attendere coacti fuimus. In hiſce autem circumſtantiis plerique mortui ſunt, priuſquam nova haec concretio ſolveretur: aut ſaltem tamdiu protractus ultro fuit morbus, ut ad tabem fere perducerentur AEgroti: cum diuturno admodum adhuc tempore opus eſset, fractis jam AEgroti viribus, ut novum hunc evincerent hoſtem. Omnibus hiſce de cauſis in quibuſcunque Pectoris morbis minus a copioſo ſanguinis *exſcreatu* deterreri ſoleo, quam a minimis hiſce ſanguineis prodeuntibus *filamentis*.

CCXLI. Fruſtraneum hic prorſus arbitror, alia omnia hic *ſymptomata* retexere, variaſque iſtorum morborum mutationes prolixe nimis indicare, quibus accurate perpendendis incumbere tunc non omiſi, ut tum imminentem *ſuppurationem* cognoſcerem, tum factam indicatem, tum ejuſdem viciſſitudines in variis corporibus, pro diverſis circumſtantiis, atque genuina praecipue morbi ſede variantes adamuſſim attingerem: cum haec eadem prorſus ſint, paucis mutatis, ac ea, quae ſupra indicavimus, dum *lymphaticarum Pleuritidum* ſuccedaneas *ſuppurationes* fuſius explicavimus. Attamen ſpecialiter in *ſanguineis* hiſce *Pleuritidibus* ſemper obſervavi, pulſus majorem admodum frequentiam, & duritiem, ſeu tenſionem, quae ſemper eadem utplurimum a prima morbi invaſione, uſque ad finem permanebat. In hiſce critici copioſi plerumque deerant ſudores, atque urinae affluentes excretiones; cum in ipſis non lymphae, ſed ſanguinis vera adeſſet concretio, quae non aliter ſolvi poteſt, quam cum aut ſanguis ille iterum venas ſubeat (quod fit per *reſolutionem*, ut vulgo dicitur) aut per *bronchiales* tubos extra *Pulmones* propellatur, vel ante, vel poſt *ſuppurationem*; dummodo tamen intra *Pulmones* ipſos *ſtagnatio* facta eſſet (quod plerumque evenit) non autem extra; quando nempe per ignotos prorſus nobis tramites aliter criſes moliri natura debet; pro ut de aliis etiam ſatis innuimus. Inſuper in *ſanguineis* hiſce *Pleuritidibus pleuriticus* conſuetus *cortex* in educto ſanguine plerumque nullus adeſt: ſic & urina magis, quam in aliis craſſa eſt, atque rubicundo fere colore inficitur; fortaſſe ob ſanguineas moleculas in Pectore reſidentes, atque inde aliqua ex parte a *lymphaticis*

*phaticis* tubulis abſorptas, ſicque analogo ſibi colore univerſam lympham tingentes.

CCXLII. Verum ex iteratis Cadaverum diſſectionibus ſatis ſuperque didici, in hiſce quoque *ſanguineis Pleuritidibus* lymphae etiam *ſtaſes*, ſi non *primario*, ſaltem *ſecundario*, ut ajunt, evenire; quod praecipue plus, minuſve copioſae ſeri effuſiones in cavitate Pectoris mihi ſatis demonſtrabant. Nec difficile mihi videbatur explicatu, quomodo nam *ſtagnationes* haſce ſanguinis lymphae etiam ſucceſſive *ſtaſes* comitarentur, atque ruptis tandem aggeribus, effuſiones, & concretiones. Praeſto enim mihi erat experimentum doctiſſimi Lovver de Corde ab eruditiſs. Ramazzino relatum (118) ubi docet, quod ligatis arcte venis jugularibus in vivo Cane, partes omnes ſupra ligaturam tumefieri viderentur, ſimulque magna ſalivae copia ex ore, atque affluentes ab oculis lacrymae prodibant; diſſectoque ipſius Cadavere nullae partes ex illis ſanguine perfuſae repertae ſunt; ſed ſolum muſculi omnes, & glandulae ſero limpido diſtentae apparuere. Quod magis lentum ſanguinis motum, multoque magis ipſius *ſtagnationes*, lymphae a propriis vaſis effuſio plerumque ſubſequi ſoleat, tam notum cuique eſt, ut nemo unquam id inficiari ſano conſilio poſſit. Quis non novit, quod, lenteſcente ſanguinis motu in primariis Abdominis viſceribus, ob praevias *obſtructiones*, ſerum in ejuſdem cavitate magna in copia cumulatur, atque *Hydropes* ſucceſſive ſuboriuntur? Sic, dum undecunque ob quaſcunque cauſas, lenteſcit in ſuo motu ſanguis, ubi major adeſt a Corde diſtantia, ibi magis, & ſpecialiter a conſuetis ductibus effunditur lympha; unde *OEdematoſi* pedum tumores in *Aſthmate* &c. Sic compreſſis in collo ſanguineis tubulis, ſanguiniſque per ipſos lento magis reddito motu ob glandularum adjacentium tumores, in ſuprema Capitis parte *lymphaticae puſtulae*, aliaque hujuſcemodi fiunt, ſecedente nempe lympha, utpote tenuiore, a reliqua ſanguinis lenteſcente maſſa. Hinc ideo ſatis deducitur, quare nam facta hujuſcemodi ſanguinis *ſtaſi* in Pulmonibus, aliiſve Thoracis partibus, neceſſario lympha affluentius in circumpoſitis propriis tubulis turgeat, eoſque plus aequo diſtendat, atque dirumpat, ſicque effuſa poſtea concreſcat, vitaleſque partes, aliunde a reſidente ſanguine oppreſſas, magis magiſque aggravet, prematq; unde & morbus in pejus ſemper ruat.

CCXLIII. Si initio morbi in *ſanguinea* vera *Pleuritide*, hujuſmodi lymphae *effuſiones*, aut *ſtagnationes* fiebant, nil mirum mihi erat in educto ſanguine quandoque *pleuriticam* attendere *cruſtam*, nunquam tamen adeo craſſam, ſicuti in *lymphaticis* ſupra deſcriptis. Stagnans enim lympha haec in Pectore *ſanguineas* aliquando ſubibat ſemitas, atque cum ſanguine commixta, nec non in eodem, dum refrigeſcit, ratione



(118) *Ramazz. in diſſert. de conſtit. anni* 1691.

ſpecificae ſuae gravitatis, ſeparata, ſuperficiem petens, *corticem* illum non antea prius viſum conſtituebat. Tunc autem *Pleuritides* hae, quae caeteroquin in ſuo principio *ſanguineae* dicendae erant, ſucceſſive *lymphaticarum* etiam nomen meteri poterant; atque proinde copioſis urinae excretionibus aliquando ſolvebantur, aut mitiores evadebant: quod pluries attendi.

CCXLIV. Saltem ad curationem quod ſpectat, aperte ſemper novi, *ſanguineas Pleuritides* haſce paucis admodum remediis curandas eſſe, cum ipſarum ſolutio naturae potius provido adminiculo, quam Medici ſolicitudini adſcribenda ſit. Ideo non aliter melius ſuo munere fungi Medicus poteſt, quam ſi per tutiores ipſius naturae ſemitas caute progrediendo, ipſi ſemper praeſto ſit, non autem eam temere cogat. Quod ſi naturae veridicos hoſce motus in hujuſce nodi morbis perſpectos nondum ſatis habeat; Chirurgicis ſaltem utens documentis, quid nam in externis *apoſtematibus* eveniat, quidve tutius agendum ſit, ut ſupra diximus, accurate perpendat. Sic genuinus naturae imitator, & pedisequus factus, per eoſdem ſe dirigat calles, nunquam a ſaniore ſic tramite aberraturus. In hiſce ideo *ſanguineis Pleuritidibus*, ſanguinis *ſtaſim* jam in Pectore, aut ejuſdem quibuſvis partibus quomodolibet factam cognoſcens, eam non alio unquam modo ſolvendam eſſe putet, quam illo, quo in externis quibuſlibet *apoſtematibus* id evenire, *chirurgicae* obſervationes docent. In hiſce autem, ſive modica, ſive copioſa magis ſit *ſanguinea ſtaſis*, duplici tantum modo tumor evaneſcit: nempe aut ſtagnante ſanguine per contigua vaſorum oſtiola ſolicite abſorpto, quo modo, ut ſupra diximus, iterum ad *circulationis* ſemitam reducitur, affectaque ſic pars ab antehabito pondere liberatur: aut diutius permanente *ſtaſi*, per corruptionem remorati ſanguinis, qui poſtea, tumultuoſa accedente ipſius concuſſione, tenuvior factus, ſive ad ſanguinem iterum remeat per adjacentium ibidem canalium meatus, ut inde per idonea *emunctoria* ſecernatur: ſive ſponte continentes membranas lacerat, indeque ſic exit: ſive per apertum a Chirurgo foramen (quoties id perfici poſſit) qua data porta ruit; unde poſtea expurgata ex toto ſucceſſive pars ad priſtinum ſtatum citius, tardiuſve reducitur, juxta affectae partis nativam peculiarem conſtitutionem, diverſamque praegreſſi tumoris indolem. Primo modo per *reſolutionem*; aliis autem per *ſuppurationem* varia ratione morbum ſolvi communiter dici conſuevit.

CCXLV. Non abſimili certe modo *ſanguineas* hujuſcemodi in Pectore factas *ſtaſes* ſolvi poſſe, experientia ipſa duce, noſcens, ad alterutrum ex hiſce juxta morbi ſtatum obtinendum, ſive melius promovendum, omnem curationis operam dirigebam, ſaniora ſemper chirurgica praecepta, tutioreſque ipſius naturae motus prae oculis habens. Hinc, attenta cujuſcunque AEgroti peculiari temperie, ſanguinis

guinis primo miſſionem plus, minuſve copioſam imperabam, & quidem primo ex Brachio (ſive ex oppoſito, ſive ex affecto latere id fieret: de quo, ob rationes ſupra allatas, nil penitus ſolicitus eram,) celebrandam. Tali autem praeſidio plerumque uti tunc fidenter ſolitus fui, ut, adaucta ſic pari ratione totius ſanguinis velocitate, ſimulq; ejuſdem copia imminuta, novum ipſi validius momentum adderem, propter quod contiguos affectae partis canales citius ſubiens, atque in eoſdem majorem impetum faciens, ſtagnantem *pleuriticum* humorem, majore vi ad motum ſolicitaret, ipſumque, ſi fieri poſſet, in aream *circulationis* iterum reduceret. Eodem tempore ob imminutam totius ſanguineae maſſae molem, minor ejuſdem copia pari pacto ad affectam partem fluebat. Poſt haec a purgantibus omnis generis ex toto abſtinebam, maxime cum nulla de feriantibus aliorum humorum *ſecretionibus*, aut *excretionibus* ſuſpicio adeſſet: quod in *lymphatico-biliоſis Pleuritidibus* ex dictis animadvertendum merito eſt. Caeterum ſi Alvus inobediens erat, aut ejuſdem *excretiones* ob peculiares rationes expediret promovere, Clyſteribus tantum, laxantibus utebar, aut Amygdalarum dulcium oleo, identidem, juxta indigentiam, exhibito, quod & ad criſpaturas ſolidorum in hiſce caſibus familiares facilius tollendas conveniens admodum erat. Nec incongruum arbitrabar tutioribus hiſce, mitioribuſque praeſidiis aliquando noxios, ſi qui adeſſent, humores per alvum ſubducere, niſi natura ex ſe huic muneri ſatisfaceret. Sciebam enim, quod, quo melius, quo magis tempeſtive, pro ut opus ſit, conſuetae fiunt excretiones, *aetherogeneis*, ut ajunt, *recrementis* tota humorum maſſa minus gravatur, minus turget, atque gravioribus plurimis ſuſcitandis *ſymptomatibus* anſa tollitur.

CCXLVI. Porro, cum ſimul noſcerem, praecipuam, magiſque copioſam excretionem utplurimum, tunc per *inſenſibilem perſpirationem*, haberi; huic etiam promovendae totis viribus incumbebam: quod univerſalibus praecipue frictionibus, atque calidis ſupradictis potionibus perficere tutius ſatagens, alia omittebam validiora *diaphoretica* remedia, quae, aut ſuppoſita hac vi carere magna ex parte putavi, aut humores plus aequo diſſolvere, attenuare, atque furibundos in ipſis tumultus excitare, ſolida ipſa ad enormes oſcillationes cogendo: quod nil penitus huic morbo convenit. Potiones eaedem, quas ad *perſpirationem* promovendam exhibebam, ciendis ſimul urinis congruae ſatis eſſe poterant, & neceſſariae; maxime cum haſce natura ipſa, ut diximus, non inutiliter quandoque moliri conſueſcat. Urgente morbo, atque adauctis *ſymptomatibus* venam iterum ſecari jubebam, plerumque ex Pede, ut revulſionis ſimul indicationi vulgo creditae ſatisfacerem. Raro tamen tertia vice *phlebotomiam* imperabam, niſi cum de *Plethoricis* maxime Corporibus ageretur, aut de imminentis inflammationis ſuſpicio-

ne; quo in caſu, ultro etiam pluries ſanguinem mitti jubebam. Attamen non eorum ſententiae acquieſcere unquam potui, qui in morbis quibuslibet acutis nullo alio modo curationem methodicam complere ſe poſſe putant, quam per iteratam pluries, & quampluries ſanguinis miſſionem, ad quam eo fidenter magis confugere ſolent, quo magis invaleſcere *ſymptomata* vident; ac ſi verum eſſet, quod quo magis debilitatur AEgrotus, eo magis morbi vis ſolvatur, atque comitantium *ſymptomatum* ſaevitia ceſſet. Haec autem (cum non a copia circulantis adhuc ſanguinis, ſed ab ejuſdem portione ſtagnante pendeant), nunquam citius, tutiuſve ſolves, quam ſi fixa haec tollatur cauſa: quod non niſi ſupra allata duplici, aut alterutra ratione haberi poſſe, Medicus rationalis quilibet concedet. Hinc videre eſt, quam incongrua, quam temeraria ſit illorum methodus, qui nunquam curationes haſce ſe perficere tuto poſſe arbitrantur, niſi prius ſeptem, octo, aut plures etiam ſanguinis libras detraxerint: unde aut propriis deſtituta viribus natura neceſſarias moliri criſes haudquaquam poteſt, indeque AEgroti moriuntur: aut poſt morbum tam enervati, tam conſumpti evadunt, ut non niſi poſt diuturnum admodum tempus priſtino valetudinis ſtatu potiri optime queant. Hinc tamen (119) *nollem* (loquor cum eruditiſſimo Ramazzino) *quod quis me inter haemophobos recenſeat, ſed nec inter haematochitas numerari velim. Eſt ubi liberaliter ſanguinem demamus, eſt ubi parce, eſt ubi nihil, licet ſit eadem affectus ſpecies*, dummodo ex oppoſito ſatis valentia militent *contraindicantia*, ad quae neceſſario attendere debet Medicus, ne a recto ſanioris curationis tramite turpiter deflectat.

CCXLVII. Haec omnia ad ſolicitandam morbi *reſolutionem* primis diebus, ſi haberi unquam poterat, in uſum revocabam, quibus ſimul addere ſolebam *fomenta* emollientia, & frictiones affectae parti identidem adhibitas: mediis quibus & criſpatas vi doloris fibras congrue laxabam, ſimulque apertis cutis porulis, magis patulam *perſpirationi* viam reddebam, ſtagnantemque ſanguinem aliquo modo attenuando, illum idoneum magis reddebam, ut per laterales ductus traduci melius, atque citius poſſet. Ad hoc vergebant conſuetae copioſae potiones ſupra toties laudatae, tum & *anodyna* maxime remedia, quorum ſpecialem vim plurimum tunc conferre putavi, tum ad laxanda ſolida, tum ad fluidorum furibundos tumultus compeſcendos, a quibus unice tota occurrentium quorumlibet *ſymptomatum* ſeries derivatur. Nec aliter melius ſagacioris naturae tutiſſimos motus in principio iſtorum morborum ſequi, & promovere poſſe Medicum arbitrabar: maxime cum *crudus* adhuc, ut vulgo dicitur, humor eſſet a natura ipſa *digerendus*, ſeu ut ajunt, *concoquendus*.

CCXLVIII. Verum cum raro admodum,

(119) *Ramazzinus diſſertat. de conſtit. anni 1690.*

modum, ac fere nunquam *reſolutio* haec haberi poſſet, progrediente morbo *ſuppurationem* neceſſarie attendere, atque ſolicitare conveniens erat. Hinc dum hanc anxie attendebam, tanquam obediens naturae miniſter, externis, interniſque laxantibus tantum contentus, a reliquis ex toto abſtinebam, ipſius motus, derivationes, viciſſitudineſque varias accuratiore, quo poteram, modo ſpectans, tum ex urinis, ſputis, aliiſque conſuetis excretionibus: tum ex faciei colore, atque comitantium *ſymptomatum* vi, & reſpirationis maxime conditione. Hoc autem non iis omnibus aeque arridebat, qui remediorum copiam potius, quam ſelectum, laudantes, cunctationem hanc meam, ſeu a conſuetis remediis temperantiam, aperte condemnabant. Attamen id me nil penitus a ſuſcepto dimovebat conſilio, cum ſatis noſcerem, quod (120) *Mundus, qui vult decipi, intempeſtivam hujuſcemodi ſolicitudinem commendat, quam prudentem cunctationem, magniſque muneribus, & encomiis eos cumulat, qui, ut ait Sidonius, parum docti, ſatis ſeduli, multos AEgros officioſiſſime occidunt.*

CCIL. Statim ac prima *ſuppurationis* ſignacula apparebant, puris ſolicitam excretionem promovere ſanioribus auxiliis curabam. Neque ad hoc *lambitivis*, ut ajunt, aut *ſaccaratis* hujuſcemodi remediis utebar, quae plurimis de cauſis nocua potius, quam utilia ſemper novi. Quod ſi ad haec quandoque confugere, aut moleſtus AEgrotorum, aut Adſtantium clamor, aut ſpeciales quaevis morbi conditiones me cogebant: ſequens ut plurimum *lambitivum* tanquam omnibus utilius, & tutius praeſcribebam.

℞ *Ol. Amygd. dul. recent., & ſine igne expr.*
*Julap. de Capil. Veneris* an. un. 1. & ſem.
*Spermat. Ceti* drach. 2. & ſem.
*Sirupi de pomis dulcibus* q. ſ. M. F. lambit. Loco *ſirupi de Capillo Veneris* aliquando ipſi adjungebam *ſirupum de Papavere albo*, & quidem utiliter, praeſertim cum inanis valida tuſſis erat ſedanda, aut ſomnus conciliandus. Facta *ſuppuratione vulnerarias* etiam aliquando conſuetas herbas praedictis decoctionibus addebam. Attamen tunc efficacius arbitrabar remedium ad Therebinti uſum confugere, cui & flores *Sulphuris*, aut *Benjovini*, aut hujuſcemodi alia *ſulphurata* remedia adjungi curabam, pro ut opus eſſet. Omnem tamen ſemper adimplebat paginam balſamum *de Copaiba* ſupra laudatum, ad quod juxta *ſuppurationis* progreſſum confugiebam, cujus quindecim, aut viginti guttas ſingulo mane ſumebant, ſuperbibendo cyathum praedictae decoctionis, aut Seri Lactis optime depurati, atque alterati cum iiſdem vulnerariis herbis. *Suppurationis* exitum, atque viciſſitudines varias eadem mihi aperte ſatis teſtabantur ſigna, quae ſupra in *ſuppurationibus Pleuritides* alias ſubſequentibus attendenda eſſe, monuimus cum Hippocrate, quae pariter,



(120) *Ramazzinus Diſſert. conſtit. annorum 1692. 93. 94.*

riter, & in *ſanguineis* hiſce tutioris prognoſis fundamentum firmabant.

CCL. Haec ea ſunt, quae ſedulo peragere curabam, ſive in *Pulmonibus ſtaſis* facta eſſet, & ſucceſſive *ſuppuratio*, quae per *exſcreatum* ſolvi poſſet, quod plerumque evenire novi: ſive in adjacentibus Thoracis quibuſvis partibus conſiſteret, quae variis modis per alias vias expurgari ſolet. Caeterum, ſi eodem modo, quo in externis tumoribus, ita in internis hiſce Pectoris *ſtaſibus* ſolers Chirurgi manus praeſto quoq; ſemper eſſe poſſet, tum ut citius, tutiuſque *ſuppurata* materies prodiret, tum ut affectae parti *deterſiva*, & *balſamica* remedia congrua immediate applicarentur; opus certe melius perfici videretur. Aſt cum hoc impoſſibile utplurimum ſit, ſatis eſt Medico ſi totum negotium ipſi naturae relinquat, ejuſdemque tutiora veſtigia optime ſequi noſcat, ad quod non multa, non pretioſa admodum requiruntur pharmaca: ſed pauca, & ſimpliciora, dumodo congruo tempore, neceſſariiſq; praeviis cautionibus uſurpata ſint. Quod ſi in hujuſcemodi curationibus, me paucis admodum remediis uſum fuiſſe quiſquam arguat, meq; ideo condemnare quaerat, utpote compoſitam magis methodum amans; ſciat me ſic paucioribus, & melius, & tutius, & utilius egiſſe; cum aeque fauſto mihi omine curationes ſemper ceſſerint (ne dicam quandoque felicius) quam aliis, qui muneri ſuo turpiter ſe deficere putant, niſi quotidie, explorato pulſu, nova ſemper, atque ſpecioſa remedia proferant. Movet me magis AEgrotantium ſalus, quam me eruditum maxime in copioſa remediorum fruſtranea oſtentatione praeſtare. Porro in Medicina plerumque ille melius agit Medicus, qui nihil agit; qui ideo in Pectoris praeſertim morbis eo magis laudandus eſt.

CCLI. Toto Februario, & Martio menſe 1734. vix, & raro quidem brumales perſenſimus rigores, cum auſtrales ſaepe venti perflarent, atque raro pluviis madefieret tellus. Qua de re Medentes plerique a munere ſuo maxime feriabantur, cum pauci admodum tum in Urbe, tum Ruri aegrotarent: inter quos *Pleuriticos* praeſertim, & Rheumaticos omnis generis, atque *glandularibus* praecipue variis affectionibus detentos ob ſupra allatas rationes, nil mirum fuit conſpicere. Circa Martii menſis finem aer paulatim magis ultro temperatus redditus eſt, auſtralibus ſaepiſſime ventis, declinantis jam ex toto Hyemis rigores compeſcentibus. Tunc *Eryſipelatoſas Pleuritides*, aliaſque etiam *ſanguineae* indolis plus, quam antea, inſurgere vidimus, ſupra recenſita plerumque methodo feliciter curatas. Eodem tempore dominabantur ſimul variolae e genere confluentium, raro tamen lethales.

SECTIO

# SECTIO TERTIA

## Conſtitutio partis anni 1734. a Vere incipiens, atque uſque ad AEſtatem ſequentis anni 1735 protracta, ubi diſtincte de Febri Petechiali tunc communiter graſſante.

## CAPUT PRIMUM.

*Hujus Febris Petechialis hiſtoria; de peculiaribus ejuſdem ſymptomatibus, de critica Alvi excretione, obiter de ſudore, urina, ejuſque inſpectione, Haemorrhagia, de veriſimili Petechiarum origine, de earundem differentia a Maculis Scorbuticorum, de OEdematoſis extremitatum tumoribus haſce febres comitantibus &c.*

CCLII. CUM tranſactis hiſce mẽſibus perquam raro pluviis ſolũ irrigatum fuiſſet, atque ſerenum utplurimum non obtenebratis ſyderibus micaret Coelum: ineunte vix Vere, aeſtivos fere calores paſſi fuimus, qui ſucceſſive magis, magiſque adaucti ſunt praeter ordinem ſequentibus Aprile, & Majo menſibus, cum ſerenum fere ſemper adeſſet Coelum, atque libere Sol radianti lumine tellurem fortiter verberaret, nullaq; unquam, niſi excitatis perquam raro procellis, benigna pluviarum irroratione frueremur. Protracta haec obſtinata ſicca coeli conſtitutio, uſque ad ſubſequentes menſes, Junium nempe, & Julium, eo tam adauctam

adauctam circumundique aridita-tem contulit, ut omnes fere in Urbe de Puteorum ſiccitate totali conquererentur. Nec tantum in Urbe, ſed Ruri etiam rivi omnes, & fontes nil amplius fluebant; unde omnes cum Statio luctuoſi ſic cane-re merito poterant.

(121) *haurit ſitis arida campos;*
*Diffugere undae, ſqualent fonteſque, lacuſque,*
*Et cava ferventi dureſcunt flumina limo,*
*AEgra ſolo macies, tenerique ab origine culmi,*
*Inclinata ſeges: deceptum margine ripae*
*Stat pecus, atque omnes quaerunt armenta natatus.*

Tunc ipſum quoq; ditiſſimum aqua-rum promptuarium noſtrum Padus, quo non alter, aſſerente Virgilio,

(122) *In mare purpureum violentior influit amnis,*

quique plerumque

(123) *ſuo ſe nec capit alveo*
*Turbidus, haud uno dum rumpat in AEquora cornu,*

eo paupertatis devenerat, ut plus quam decies a conſueto litore ma-gis diſtaret, vix vix in medio Mo-lendinorum rotationi ſufficiens. Quamobrem ad imminentem jam opportune evitandam Panis cari-tatem, undique artificioſa in Urbe Molendina quamplurima manuaria parata erant, mediis quibus aliquo ſaltem modo frumenti tritura-tionem haberemus, miſerrimis Plebis clamoribus paululum ſedandis ido-neam.

CCLIII. Vigente luctuoſa hac univerſali ſiccitate, progrediente Vere, ob excedentes praematuros admodum aeſtus, perverſo ſic, ferę dixerim, anni temporum ordine, aeſtivos quamplurimos vidimus morbos praeter modum intempeſti-ve graſſantes, eademque propemo-dum vi, ac aeſtivo vero tempore un-dique ſaevientes. Tunc etenim una cum tertianis omnis generis febri-bus, tum exquiſitis, ut ajunt, tum nothis, & diarrhoeae, & dyſente-riae communiter inſurgere coepe-runt. Addebantur hiſce quandoq; ſed raro morbilli pueros praeſertim, minuſque adultos corripientes, qui perquam facile, praeter copioſos ſudores, accedente Diarrhoea quo-que ſolvebantur. Aliquando, ſed perquam raro, tunc etiam occur-rebant *Rheumaticae* affectiones glan-dulares variae, quae maxime eve-nire tunc viſae ſunt, cum flantes Aquilonares venti cum auſtralibus promiſcue non ſemel pugnarent, ingruentibus tamen rariſſime plu-viis vix per diem praematuros ca-lores aliquantulum compeſcentibus.

CCLIV. Praeter morboſas mi-noris momenti affectiones haſce, una cum tertianis febribus, *Petechia-lis* quaedam *malignantis*, ut vulgo di-citur, naturae febris graſſari tunc Veris tempore coepit, tum in Ur-be, tum per circumpoſita totius Cre-monenſis Dioeceſis loca, & ultra etiam tam frequenter, tam genera-liter, ut vere *Epidemicam* peſſimae in-dolis conſtitutionem ſaperet. Febris haec

(121) *Stat. lib. 4. Theb.* (122) *Virgil. lib. 4. Georg.*
(123) *Hier. Vida lib. 2. Chriſt.*

haec maximam Civium partem corripuit, paucos autem jugulavit, inter quos Juvenes, & robuſtiores maxime, atque bilioſo-ſanguinea temperie praeditos, quos facilius, & gravius divexare conſuevit. Nec quidquam febris haec a ſua ſaevitie deſtitit, uſque dum, partim pleno magis gurgite procedentibus fluminibus, ob liquefactas in circumpoſitis montibus nives, partim ob frequentius accedentes pluvias, ſolum madefactum fuit, ſimulque temperato magis aere circa Septembrim ejuſdem anni 1734. frui potuimus.

CCLV. *Epidemicam* hujuſce *petechialis* febris conſtitutionem pleriſque infenſiſſimam, paucis tamen lethalem (cujus genium data opera perſcrutandum tunc ſedulo mihi propoſui, accidentia ipſius omnia, differentias quaslibet, viciſſitudines, *tranſmutationeſque*, nec non *ſymptomata* praecipua omnia intime, atque accurate perpendendo) graphice hic delineare decrevi. Hoc autem, ſi non ſapientibus Viris in Arte Medica optime expertis (utpote fruſtraneum) unquam non arrideat: Diſcipulis ſaltem meis, aliiſque in primo adhuc Medicinae limine degentibus non inutile, non injucundum evadet. Propoſita hujuſce febris indole, omnibuſque ipſius motibus more tantum hiſtorico exaratis: meum de ejuſdem natura, & cauſis tam proximis, quam remotis judicium proferam. Horum omnium inveſtigationem diligenter a me, pro tenuitate propria, habitam eo minus a veritate deflectentem cenſendam fuiſſe, arbitratus fui, quo magis deſumptas inde indicationes, elicitoſque ab ipſis curationis canones, experientia ipſa teſte, veritati affines ſemper deprehēdi: cum paucos admodum, deprompta inde a me methodo curatos, Libitinae victimas evaſiſſe noverim; licet, ob occurrentium *ſymptomatum*, atq; peculiarium accidentium comitatum graviſſime laboraſſent.

CCLVI. Febris haec circa vernale AEquinoctium caput primo derepente extulit, indeque magis, magiſque invaleſcens, eo gravius, eo frequentius, eo crudelius graſſata eſt, quo magis, accedente AEſtate, calor vehementer ſaeviret; quare uſque ad autumnale AEquinoctium dominium ſuum in dies protraxit: quando nempe, juxta occurrentes varias temporis conſtitutiones, variam praeſeferre indolem poſthac viſa eſt: licet quo ad pleraque *ſymptomata* eadem, ac antea, penitus eſſet, quae ſucceſſive ſub diverſis ſpeciebus ultro magis motum ſuum per ſequentem Hyemem totam, & ultra crudeliter produxit: quod ex dicendis magis innoteſcet.

CCLVII. Talis autem primo erat ipſius indoles, & progrediendi ſpecialis modus. Duobus, tribuſve, quandoque & pluribus etiam diebus ante febris acceſſionem, de univerſa Corporis *gravativa tenſione* maxime in Cruribus, & Dorſo, inſolitoq; virium lapſu conquerebantur AEgroti: quod optime conſonum erat Hippocraticae ſententiae (124) *Spontaneae*

(124) *Hippoc. Aphor. 5. Sect. 2.*

*taneae laſſitudines morbos praenuntiant.* Aliquibus ſomnus minus ſolito placidus, aut triſtibus, turbulentiſque ſpectris turbatus, cum moleſtiſſima inquietudine, praecedentibus nonnullis diebus evadebat. Aliis Capitis gravamen praeſertim in oculis, cum moleſto quodam ligaminis ſenſu circa frontem, una cum *pulſativo temporum* dolore, veluti infauſta ſigna praeibant. Quamplures moleſta diarrhoea per multos dies antea detinuit, quae paulo ante acceſſionem febris ex toto, aut magna ſaltem ex parte evanuit. In aliquibus, ne dicam in pleriſque, inanes vomitus, non raro cum materiae bilioſae expulſione, aut nauſea ſaltem, atque cibi maximo faſtidio, praevia quandoque etiam tertiana febri, quae vix paulo antea evanuerat, gravis hujuſce futuri morbi haudquaquam fallaces nuncii fuerunt. Croceus hiſce, aut plus conſueto pallidus primo reddebatur faciei color, cum non gravi quadam prope ventriculum *tenſione*, atque Dorſi *laſſitudine dolorifica*: quae omnia, aut ipſorum plurima ſaltem, tragicum hujuſce Febris Theatrum luctuoſe adaperiebant. Verum licet varia in variis, juxta diverſas Corporum temperies, atque morbi vim, tum & peculiares diſpoſitiones, praegreſſaſque extrinſecas quaslibet cauſas, vario modo ſe habentia, tanquam praevia ſigna adnotare potuerimus: praecipue tamen haec ultro enarrata vix cuipiam defuerunt: Nauſea nempe, vomitus, Ventriculi moleſta paſſio, ſive *tenſiva*, ſive *gravativa*, Dorſi *laſſitudo*, totiuſque Corporis maxima praeter ordinem ad motum inertia, aut Diarrhoea ſuppreſſa, quibus omnibus ſaepiſſime adjungebatur inſolita animi triſtitia, atque ad iram, ex quacunque levi occaſione, maxima proclivitas.

CCLVIII. Praemiſſis hiſce mali ominis ſignaculis, leve quoddam inaequale frigus, admodum extenſum circa Dorſum praeſertim, ineunte febri, miſeros Patientes corripiebat. Nec tantum immediate, ſub primo febris inſultu, levis hic frigoris ſenſus ſemper eveniebat: ſed etiam non raro paucis ante febrim diebus *ſolitarius* occurrere ſolebat circa veſperas, comite ſimul moleſtiſſima Corporis *laſſitudine*, de futuro gravi morbo AEgrotos a longe aperte monente: ita tamen ut liberum, aut parum ſaltem laeſum actionum omnium exercitium ipſis concederet. Nec mirum erat ſiccam aliquando moleſtiſſimam tuſſim in prima uſque febris acceſſione, atque ſequentibus etiam nonnullis diebus, abſque vitiata manifeſte reſpiratione attendere: quod quidem non omnibus familiare erat; quare tanquam inſtabile varium *ſymptoma* merito habebatur. Tranſacta vix levi illa frigoris ſenſatione febri plerumque viam ſternente, calor fortis, ac fere pungens ſubibat, una cum nocturnis, non tamen continuis vigiliis, atque pulſu magno, & molli, non admodum celeri. Id licet tanquam certum imminentis ſudoris praeſagium haberi poſſet; ipſum tamen, remittente febri, primis

morbi

morbi diebus attendere fere nunquam potui. Etenim, dum simulatae huic febris imminutioni fidendum esse quispiam sibi persuadere poterat; eo gravius inde insurgere morbus videbatur. Sequenti die, atque tertia etiam, quandoque quarta, eadem fere hora, eodemq; prorsus modo occurrens fallax hoc frigoris signum, tertianam spuriam febrim simulans, in plerisque adnotavimus, aliis caeteroquin per gradus adauctis successive *symptomatibus:* cutis videlicet calore mordaci magis reddito, additaque pulsus majore frequentia, suspiriosa anxietate, Capitis gravamine, cum ruboris notis circa oculos in summo febris aestu, atque vigiliis; quae omnia pari modo in dies augebantur, usque ad quartam, & ultra etiam diem. Caeterum AEgroti primis hisce diebus consuetam servabant hilaritatem, occurrentes Amicos jucunde satis alloquentes, nil fere a morbi hujusce clanculum excrescentis primis hisce ictibus depressi, aut quidquam perterriti; exceptis iis, qui, utpote sagaciores, aut *hyppocondriaci* rem ab alto perscrutabantur, atque a levibus hisce febris motibus merito non spernendis, sub herba latitare anguem, ut trito fertur adagio, non ignorabant, futuramque pejorem calamitatem praesentire inde satis videbantur.

CCLIX. A prima usque ad quartam diem urinae raro turbidae, plerumque clarae, a naturali parum limpitudine deflectentes, in omnibus tamen croceae admodum excernebãtur, nihil penitus separantes, nisi rarissime aliquid prorsus divulsum, atque absque ordine apparens, quod modo lateri vasis, modo superficiei urinae, modo fundo vasis, modo in medio consistebat. Utplurimum paulo postquam excretae erant, corrumpebantur absq; causa manifesta: propter quod *semilateritia* livescens passim materies in fundo vasis separari cernebatur. Hasce tamen urinae varias apparentias, hujusce febris initio observatas, more tantum historico propono, utpote qui ejusmodi signum in Medicina tanquam minus fidum, non ex toto tamen aliquando spernendum esse, semper putaverim. Scio enim, absque ulla penitus intrinseca causa, ob occurrentes dumtaxat extrinsecus discrepantes causas, urinas variis modis affici perquam facile posse; ab aere nempe, ab alimentorum assumptorum varia conditione, tum & a tempore secretionis urinae post cibum, atque ob alias innumeras possibiles rationes, propter quas ab extrinseco inaequale hoc in urinis principium derivari cõmode potest; quae quum Medici minus experti perscrutari sedulo nequeant, ad internas non raro causas temere confugere statim consuescunt.

CCLX. Non deerant persaepe etiam sub ipsum morbi initium vomitus aliquando inanes, aliquando cum flava bilioſa materie tenaci, amaricante, & virente, cum intensa siti, appetitu totaliter inde dejecto. Hasce vomitus futuras excretiones non raro indicabat praevia linguae crocea tinctura, atque Oris

ama-

amarities. Sic Alvi dejectiones primis quoque diebus bilioſam eandem redolebant naturam, cum flaventes, foetidaeque admodum eſſent, aliquando etiam totaliter crudae, ut vulgo dicitur, atque dilutae: quod peſſimi ſemper ominis evaſit, ſecus ac dum maxime glutinoſae, tenaces, & ſpumoſae viderentur. Prae caeteris tamen hoc adnotatu dignum praeſertim fuit sēper ineunte morbo, quod pleriſque AEgrotis, occaſione hujuſmodi dejectionis Alvi, *lipothymiae* non leves ſupervenirent, cum totali faciei coloris mutatione, ſudoribus circa frontem maxime, Corporis refrigeratione, & madore, cum virium inopinata dejectione, ſimulque vomitu, aut inani, aut cum bilioſa materie. Hoc unum praecipue *phaenomenon*, non omiſſis aliis ſupra enarratis, illud erat, quod malam illico hujuſce febris pernicioſam indolem manifeſte oſtentabat; licet ipſa, doloſo quodam more primo incedens, minus cautos fefellerit non raro Medicos: maxime cum utplurimum febris prima die cum rigore quodam, ſed levi apparens, eademque praevia frigoris ſenſatione, uſque ad quartam, & etiam ultro invaleſcens, tertianarum febrium alternationem quandam aemulari videretur. Malum tamen febris morem, etſi ſpecioſo hoc ſimulato velo obtectum, facile ex dictis intelligere ſolers Medicus poterat: praeſertim cum praeter continuitatem (quae quidem tertianis etiam duplicibus non malitioſis convenit) praeter levem inaequalem rigorem, eandem cum tranſacto horam non ſervantem (qui & tertianas ſpurias praeire non raro ſolet) non omnimode ſe in primis acceſſionibus proferret; leviter invaleſcendo prima die, & ſucceſſive magis, magiſque abſque ordine ſequentibus aliis adaucta, comite ſemper mordaci quodam calore totum Corpus infeſtante, ab iteratis eadem die inaequalibus circa dorſum refrigerationis ſenſationibus non raro interrupto. Attamen febris hujuſce ordinarium principium, atque manifeſtam cum ſudore fidam remiſſionem expectare fruſtraneum prorſus erat; cum nunquam vere intermitteret, quamvis paululum aperte remitteret, ſine ullo quidem perfectae ſolutionis inditio, ſaltem ſenſibili.

CCLXI. Poſt quartam febris paulatim augebatur: noctes pervigiles fiebant, ſitis plus, quam antea, urgebat, cum majore Capitis gravamine, magiſque mordaci totius cutis calore. Hiſce poſtea adjungebantur Aurium tinnitus, *bombi*, ac ſtrepitus varii, faciei intenſus rubor, cum oculorum maximo nitore quodam, illi non abſimili, qui evenire ſolet iis, qui ex copioſo vini uſu ebrii evadunt. Comites hiſce aderant *pungentes* moleſtiſſimae arteriarum temporum *pulſationes*, leves in *tendinibus*, praeſertim *Carpi*, manifeſti ſatis ſubſultus, manuum tremores, *ſpaſmodicae* corporis repentinae concuſſiones, occaſione plerumq; ſomni occurrentes; quae quidem omnia una cum tot aliis minoris momenti *phaenomenis* non pari ſemper modo, & tempore, non eadem videlicet morbi die, neque pari cum intenſione,

ſione, aut ordine in omnibus apparebant, ſed varia ratione inſurgere videbantur, pro diverſa affectorum Corporum conditione, atque juxta praegreſſas extrinſecas, intrinſecaſve cauſas; propter quod modo citius, modo tardius, in hiſce magis, in illis minus ſaeviebat morbus.

CCLXII. Pleriſque ſub ſeptimam morbi diem (omnibus jam dictis perſeverantibus adhuc *ſymptomatibus*, atque etiam denuo magis adauctis) praevio utplurimum moleſto quodam *punctionis* univerſalis ſenſu, ſupra *dorſum* primo, atque inde ſupra Pectus rubicantes maculae, inaequales, non multae cutim defoedabant. Juxta variam hujuſce Febris indolem pauciores, vel copioſae magis petechiae cuti adnaſcebantur, varios colores in diverſis Corporibus referentes; rubicundae nempe, aut magis obſcurae, liveſcentes, adſtrictae magis, aut latae; quod fuſius paulo poſtea indicabimus. Eodem tempore fere omnes *ſtillicidio* ſanguinis e naribus detinebantur: arida fiebat lingua, in aliquibus tumida, atque ad motum inepta: urinae turbatae magis erant, paucae, & craſſae: dejectiones Alvi flaventes, magiſque, quam antea, foetidae.

CCLXIII. Interea viribus eo magis magiſque deſtituebantur AEgroti; Crura, & Brachia plerumque tumeſcebant, atque facies praeſertim cum intenſo rubore, ſimulque levi quadam mentis ſtupiditate ſuperaddita. Haec omnia utplurimum mentis alienationem totalem praeibant, quae in aliquibus ſeptima die derepente magis fiebat, in aliquibus minus, gravius paſſim noctu inſurgens, atque interdiu imminuta. Delirii tamen conditio varia erat, pro varia affectorum Corporum ratione, nec non ipſius morbi diverſa indole; unde alii furibundi, alii melancholici, & triſtes, alii ridentes, alii taciturni, loquaces alii &c. Eodem hoc tempore, aut paulo poſtea manifeſta in *Hyppocondrio* dextero tenſio, aliquando & in tota *Epigaſtrica* Ventris regione ſub *mucronata cartilagine* inſurgebat, ubi, ob levem quamvis compreſſionem AEgroti omnes plus, minuſve dolebant. Octava morbi dies fere ſemper magis fauſta videbatur, ob magnam *ſymptomatum* omnium remiſſionem. Circa Deliriũ praeſertim id adnotare ſaepius mihi contigit, quod ii, qui ſeptima antecedente die ex toto deſipuerant, ſequente octava ita ſui compotes evaderent, ut de rebus ſuis agere optime poſſent, ſane loqui, atque optime ratiocinari. Quandoque copioſae tunc ventris excretiones ſequebantur, atque fere in omnibus. Nonnulli vero moleſtiſſimis dejiciendi conatibus, non raro inanibus tentabantur, atque ii praecipue, qui primis uſque morbi diebus, aut paulo antea, diarrhoeam paſſi fuerant, liquidis magis, atque flaventibus prodeuntibus materiis, quae *crudae* appellari ſolent.

CCLXIV. Octavae diei minus infauſtum tranſactum omen in pejus ex toto vertebat ſubſequens nona utplurimum dies, adaucta quammaxime *ſymptomata* quaeque praeferens; magis deſipiebant AEgroti; ſed non aeque ſemper, neque om-

omnes pari modo, cum & tunc etiam juxta affectorum Corporum varias conditiones, ipſamque morbi vim, *ſymptoma* hoc varia ſemper ratione ſaeviret. Omnes tamen hac die plus, minuſve ſopore detinebantur, cum maximo gravedinis ſenſu in Capite, atque univerſi Corporis tam magno torpore, ut vix vix per lectum lente admodum dimovere ſe poſſent. Lingua ex toto exſiccata, & tumida maxime erat, atque ad motum prorſus inepta; quare AEgroti male loquebantur, nec linguam extra dentes, niſi paululum, & perquam raro educebant; parique paſſu *ſymptomata* omnia progrediebantur. Raro in hujuſcemodi AEgrotis tunc Alvus inobediens fuit, quin immo pleroſque copioſa Diarrhoea detinuit, cum ejuſdem ſupra recenſitae materiae excretione.

CCLXV. Decima die fere in omnibus eandem prorſus, ac die praegreſſa normam morbus ſervabat. Quandoque etiam melius, habito ad omnia reſpectu, ſe habere videbantur; dum caeteroquin undecima poſtea accedente die, omnia in pejus ferebantur, omneſque pari fere modo peſſime tunc ſe habebant uſque ad decimam quartam diem, quae paſſim morbo finem, fauſto vel infauſto exitu ponebat. Surditatem tamen veluti *ſymptoma* inſeparabile ab hac febri in omnibus magis, minuſve animadvertere ſemper potui. Illa autem, poſt Aurium *ſibilum*, aut tinnitum primis uſque diebus, ut ſupra diximus, omnibus fere familiarem, circa ſeptimam, aut paulo poſtea accedebat, atque ſequentibus diebus una cum aliis *ſymptomatibus* augebatur; donec diſcedente morbo, circa decimam quartam diem iterum auditu AEgroti paulatim potirentur. Plerumque vero ſurditas, profligata quoq; febri, adeo tunc protrahebatur, ut quamplurimos viderim, qui tribus etiam, quatuorve a diſceſſu morbi hebdomadis priſtinum nondum ex toto auditus ſenſum acquiſierant. Non paucis poſt decimam quartam diem, evaneſcente febri, ſurditati comes aderat per longum, breviuſve tempus mentis ſtupor, & Corporis torpor, moleſta nauſea, Pedum oedematoſus tumor, atque etiam Diarrhoea. Hiſce congruit obſervatio a doctiſſimo Ramazzino in ejuſmodi febribus facta, dum ſic effatur (125) *Non pauci poſt exantlatum morbum veternoſi fiebant, ac ſtupidi, rerumque peractarum prorſus immemores, nec niſi poſt multos dies ſibi reddebantur. Idem infortunium iis obtigit, qui in his febribus gravem ſurditatem perpeſſi fuerant.*

CCLXVI. Non defuit perſaepe, vigente morbo, ſingultus modo magis, modo minus frequens, qui praeſertim copioſis Alvi dejectionibus ſolvebatur, tunc cum minus infauſtum proferebat omen; licet utplurimum ſimul non modicus in regione Ventriculi verſus Hepar tumor, ut ſupra diximus, perſiſteret. Illi vero omnes, quibus hujuſcemodi tumor circa nonam diem major occurrebat, atque inde magis, magiſque in dies augebatur, cum univerſo etiam Abdominis fere *tympa-*

*nico*

(125) *Ramazzinus diſſert. 3. in Conſtit. anni 1692. 93. 94.*

*nico* tumore, comite ſingultu, atque ſubſequente univerſali quaſi *refrigeratione* in dies adaucta, cum intenſa ſiti, ſiccitate maxima linguae, una cum genarum intenſo rubore ad lividum vergente, vigiliis non interruptis: ii, inquam, omnes circa decimam quartam diem mortui ſunt, praeſertim cum conſuetis bilioſis dejectionibus Alvus parum ſolveretur.

CCLXVII. Mala haec recenſita ſigna eo magis futurae, atque imminentis proxime etiam mortis tutam prognoſim proferebant, quo magis debilis in dies fiebat pulſus, & magis frequens. Etenim plerumque, licet haec omnia adeſſent peſſima *ſymptomata*, aut plurima ſaltem, minus timebam, quotieſcunque pulſus nihil, aut parum imminueretur, neque admodum frequens, & concitatus fieret. Nam ſubſequens Diarrhoea ſaepiſſime *ſymptomatum* hujuſcemodi ſaevitiam inopinato compeſcebat, & ſalvabantur AEgroti. Hinc quo uſque *ſymptomata* haec vigerent, nec quidquam Alvi excretionibus magis copioſis ſolvebantur, imminuto inde pulſu, non ſatis profecto erat decimam quartam morbi diem effugere, ſed ultra etiam vitae evidens periculum protrahebatur. Hanc potiſſimum ob cauſam Reverendiſſimum Patrem Abbatem Schizium Canonicum Lateranenſem hujuſmodi febri ſic divexatum circa decimam ſeptimam morbi diem miſere occubuiſſe novi, una cum expertiſſimo Medico Pedratto, qui omni jure inter Cremonenſes clinicos Medicos primum obtinet locum.

CCLXVIII. Nec tantum hujuſcemodi vigentibus *ſymptomatibus* tunc nihil penitus aliquando profuit diarrhoea: ſed multo minus dum liquidae nimis, dum virentes materiae, uſque initio morbi ſaepe prodierant, nullo adſtringente congruo remedio earundem fluxum ſatis cohibente. Metuendus magis erat bilioſus iſte fluxus, praeter dicta, ſi foetidae admodum efluerent materiae, maxima comitante ſiti, debili admodum pulſu, vigiliis, ac praeſertim forti Corporis indeſinenti *jactatione*, *refrigeratione*, & ſuſpiriis. Delirium quoque lethale protulit nuntium; dum cum tremoribus, Dentium ſtridoribus, aliiſque convulſivis motibus, aut ſaltem tendinum ſubſultibus, comite ſimul pulſu frequenti, maxime debili, & contracto, cum ſiccitate univerſali cutis, aut accedente glutinoſo quodam madore in Fronte praeſertim, & Pectore ſupervenit, atque per plures dies continuum fuit. Nullum enim ex hiſce AEgrotis hujuſmodi *ſymptomate* ſic detentum in allatis circumſtantiis Silicernium fruſtraſſe obſervavi; licet Alvi dejectiones bilioſae non deficerent, quae tunc eo magis timendae erant, quo copioſae magis fierent; facta nempe tunc ſimul in ſuperioribus partibus *metaſtaſi*, totiuſque *nervoſi generis* forti contractione, quam augere ultro poterat copioſa diarrhoea, *lymphaticum* neceſſarium humorem e Corpore emungens; unde ſolidorum fibrae omnes pari ratione rigidae magis, conſuetiſq; obeundis motibus ineptae penitus evadebant. E contrario tamen excretiones hae

utiles ſemper compertae ſunt, quoties in morbi ſtatu, paulo poſt ſeptimam tranſgreſſam diem, contigerunt; *ſpumoſae* equidem, *glutinoſae*, *craſſae*, non aqueae, ut ajunt, nec tam dilutae, ut illae, quae a ſolidorum valida nimis contractione per *expreſſionem*, ut vulgo dicitur, fiunt. Poſt laudabiles haſce Alvi excretiones aliqua ſaltem graviorum *ſymptomatum* remiſſio ſequebatur, aut ſaltem morbus nihil inde gravior evadebat.

CCLXIX. Delirium pariter nunquam, pro ut adnotare potui, funeſtum mortis indicium mihi protulit, quotieſcunque non furibundum erat, ſed cum moderata quiete, cum ſopore quodam continuo, non difficile ſolvendo, comite pulſu magno, molli, atque non tam frequenti, cum oculorum modico receſſu a naturali ſtatu, non deficientibus in ſtatu morbi bilioſis laudabilioribus excretionibus, una cum univerſali copioſo madore, non glutinoſo, non frigido. Hinc aſſerere certo certius haudquaquam dubito, me nullum ex hiſce AEgrotis ita delirio affectis, cum aliis adjunctis hiſce notis in Libitinae cenſum miſere ceſſiſſe. Quamobrem pro certo ſemper habui, perfectam iſtius febris ſolutionem ſolis Alvi excretionibus moderate, & rite habitis tribuendam unice fuiſſe. Porro hoc compertum magis habui, cum toties animadverterim AEgrotos hoſce (tranſgreſſa etiam decima quarta morbi die, licet ex toto fere ſoluta febri) eo uſque maxima adhuc nauſea, vigiliis, dolore Capitis, linguae ſiccitate, aliiſque hujuſce indolis levioribus *ſymptomatibus* laboraſſe, atque, ut uno dicam verbo, nunquam perfecta valetudine potitos fuiſſe: donec Alvi bilioſus fluxus, aut derepente imminutus, aut forte cohibitus, iterum non appareret. Tamque ſolicita viſa fuit natura ad bilioſas haſce promovendas expulſiones, ad hanc febrim omnimode evincendam, ut id quod per Alvum ſatis educi non potuerat, per vomitum provide expelleret, aut initio ipſo morbi (quod fere omnibus evenit) aut etiam in fine, cum perfecte nondum convaluiſſent AEgroti. Id ſpecialiter contigit egregio Medico Maroſtico. Hic *malignante* febri hac graviter laborans, poſt decimam quartam morbi diem (licet immunis febri omnimode quaſi eſſet, tamen adhuc noctu vigilans, nihil propemodum cibum appetens, cum amaritie maxima Oris, atque ſtomachi gravedine moleſta) bilem ſinceram, amaram admodum, glutinoſam ad libras tres, & ultra iteratis vicibus vomuit, atque inde tutius paulo poſtea convaluit: quod mecum maxime admiratus fuit eruditiſſimus Medicus Sonſis curationi illius primario praeſidens.

CCLXX. Vidimus etiam perſaepe una cum bilioſis hiſce humoribus tum per vomitum, tum per Alvum ejectos vermes in Pueris praeſertim, Ruſticis, & Militibus, atque in omnibus tandem maxime, qui incongruo victus regimine uſi antea fuerant, gulae nimium, atque inconſulto indulgentes, nulla habita ratione alimentorum, quae indiſcriminatim, quae copioſe nimis, quae abſq; ulla

cau-

cautione, ante invaſionem morbi aſſumpſerant. Unde mihi difficile admodum captu videbatur, an vere vermes illi pro genuina tunc morbi cauſa habendi vere eſſent, an potius pro ipſius effectu. Sciebam enim tum in hiſce Corporibus, uberiore crudorum humorum copia onuſtis, potius quam in aliis, occaſione hujuſce febris, aut ante ipſam, vermium ova foecundari melius poſſe, citiuſque excreſcere; tum & praeexiſtentes vermes, ſpecialis indolis, in hac febri peculiaria ſuſcitare poſſe *ſymptomata*, quin immo, & ipſius febris potiorem eſſe cauſam, pro ut ſententiae vermium hodierni Fautores quamplurimi abſolute ſentiunt. Quid autem in hoc caſu veritati magis conſonum fuiſſe cenſendum ſit: profecto abſolute ſtatuere non auderem in alterutram ex hiſce ſententiis pronus, optime noſcens quot, quantaeque hinc inde emergant difficultates, quas nemo fortaſſe ex ſagacioribus Medicis in tanta caligine ſolvere unquam audebit.

CCLXXI. Ex hiſce omnibus ſupra enarratis aperte patet, bilioſas haſce excretiones ſive ſuperius, ſive inferius factas, caeteris aliis omnibus palmam omnimode praeripuiſſe; unde illis tantum, & non aliis tutior hujuſce morbi ſolutio omni jure tribuenda eſſe videtur. Sudores enim, aut nulli penitus toto febris curſu aderant, aut ſi quandoque apparebant, tantummodo initio morbi ante quartam diem, aut paulo poſt ipſam evenere. Tantum autem abeſt, quod ſudores iſti quidquam levaminis afferrent AEgrotis, ut plerumque pejorem morbi conditionem aperte praenuntiarent; cum abſque ordine prorſus, modo in ipſo febris augmento, modo paulo ante ipſius *exacerbationem*, primis maxime morbi diebus contingerent; nihil autem remittente morbo: quapropter ipſos non tanquam *criticos*, ſed veluti *ſymptomaticos* merito exiſtimare fas erat. Non inficiabor tamen, quandoque & copioſos ſudores prope decimam quartam Morbi diem occurrentes, hujuſce febris tutiori, atque faciliori ſanationi non parum contuliſſe: quod in *ſucciplenis* Corporibus, ideoque uberiore praeſertim lymphae copia gaudentibus, eveniſſe diſtincte obſervavimus. Verum cum hoc perquam raro contigerit, atque in ipſis conſuetae Alvi dejectiones bilioſae nunquam defuerint; hiſce profecto melius, quam illis excretionibus tutioris ſanationis potiorem cauſam adſcribendam fuiſſe quilibet noſcet.

CCLXXII. Quod de occurrentibus tunc ſudoribus adnotatu dignum fuiſſe hic obiter propoſui, idem & de habitis urinarum *excretionibus* dicendum merito eſt. Etenim urinae nunquam, quod ego noverim, veridica perfectae *criſis* ſigna protulerunt; cum neque copia plerumq; potiones AEgrotis familiares ſuperarent (habito maxime congruo reſpectu ad *inſenſibilis perſpirationis* indefinentes motus) neque ex earundem affluxu quidquam levaminis AEgroti caperent; quod Alvi bilioſum fluxum paſſim ſequebatur. Ipſa quoque urinarum qualitas nulla profecto veridicae *criſis* ſignacula exhibe-

bat. Nam paſſim limpidae initio morbi, turbidae in progreſſu, atque prope remiſſionem clarae iterum, aut aliter praeter ordinem quomodocunque excernebantur; plerumque conſueta apparente ſeparatione, ſeu *hypoſtaſi*, fundo vaſis inhaerente. Non inficias tamen iverim, hujuſcemodi occurrentes urinae mutationes, quaſi per gradus (habito reſpectu ad morbi curſum) quandoque factas, etſi nullam per ſe *criſis* motionem indicantes, non parvi caeteroquin faciendas tunc fuiſſe; cum tutioribus praedictionibus maxime conferrent, atque praecipue conſuetis Morbi motibus ſucceſſive indicandis: dummodo tamen alia ſimul non deeſſent ſigna, quae aliunde petenda tutius erant.

CCLXXIII. Attamen hic obiter hac ſuper re monitos Lectores volo, me quidem non ex illis eſſe, qui nullo rationis, atque experientiae maxime, innixi fulcro, Antiquorum quibuſcunque placitis mancipati, eorum ſententias, veluti ex Tripode prolatas amplexantur; licet ipſorum documenta nunquam contemnenda eſſe, ſemper exiſtimaverim. (126) „*Etenim veneror inventa ſapientiae, Inventoreſque: adire tamen multorum haereditatem juvat..... Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt: ſuſpiciendi tamen ſunt, & ritu Deorum colendi.* Hinc non video, quomodo nam Veterum ſententiis caeca mente, ſicuti in aliis, ita & in hiſce nonnulli adhaerentes, tantum ſibi ex urinarum ſola inſpectione fidant, ut cum in hujuſcemodi febribus, tum in aliis pleriſque gravibus morbis, tutas inde, firmaſque prognoſes obtinere ſe poſſe temere nimis arbitrentur, atque ubique depraedicent. Hoc autem eo audacter magis, atque tam appoſite coram Adſtantibus ex ſola *Uroſcopia* praeſtare ſatagunt, quo majorem famam apud credulos, qui magis decipi amant, inde ſibi aſciſcere affectant. Matulae inſpectioni nil penitus detraho, quod ipſi jure debetur, eidemque merito a primis uſque Medicinae Patribus attributum olim ſemper fuit. Aſt ipſi omnimode praeter rationem credere ſtultum eſſe arbitror: quippe quod *Empirico* magis, quam *rationali* Medico hoc competat. Credo equidem, quod cum urina immediate e ſanguineo penu ſecernatur (urinam illam intelligo, quae vere ſanguinis communiter appellari conſuevit, non vero aliam, quae potus dicitur: quidquid ſit de peculiari ejuſdem ſeparationis diverſo modo, de quo hic quaeſtionem non vacat proponere) Sanguinis ipſius conſtitutionem variam, & motus, ſolidarumque ſimul partium peculiares diſpoſitiones deſignare aliquando, nec falſo ſemper poſſit: dummodo *ſecernentis* ipſius *organi* ſpecialis conditio quaevis varias ejuſdem urinae mutationes non producat, aliaeve non adſint innumerae pene variae circumſtantiae, tum a tempore, & modo mictionis, tum a recipiente vaſe, atque a tot aliis hujuſcemodi rationibus petendae: ad quae omnia Medici accurata ſpeculatio dirigenda

(126) *Seneca ad Lucill. Epiſt. 64.*

da primo eſt, antequam Uromantem agat. Secus agunt ii, qui *empirico* more, inſpecta ſtatim urina, de morbi ſtatu, atque exitu judicant, nihil ultro cogitantes, reliquis omnibus omiſſis ſignis. Sic & vafri, & doloſi cenſendi illi merito ſunt Scioli, qui vulgarem tantum affectantes plauſum, ut de morbis judicent, frontem perfricando, ſeſe ad ſeriam gravitatem diſponunt, atque mille ſpecioſa in urinae inſpectione praemittunt, & agunt: dum caeteroquin ad id facilis admodum, & ſimplex requiritur diligentia, quam tamen aliorum ſignorum inveſtigatio ſedula praeiverit.

CCLXXIV. Etenim, niſi ad peculiares Renum, aut Veſicae dignoſcendos morbos, ſed diſtincte ad humorum peculiares conditiones perſcrutandas in hiſce praeſertim, aut aliis pleriſque febribus, urinae mihi proponantur inſpiciendae: ſatis ſuperque eſſe reor, ſi animadverterim ſedulo, an urina turbida, & craſſa ſit, aut limpida, & tenuis in fundo vaſis deponens, magis, minuſve colorata, flava, rubeſcens, aut *percolata*. Hiſce namque ſolis poſitis conditionibus attento oculo perpenſis, atque recto ratiocinio ad trutinam revocatis, noſcere, atque indicare facile poteſt Medicus, quae nam ſit aeſtuantium intrinſecus humorum turbulenta magis, minuſve mixtio: quae nam ſit dominantis praeſertim bilis, exuberantiſve lymphae, aut ſtillantis ab interno *abſceſſu* quovis, vel *tuberculo ſuppurato*, puris cum ſanguine copulatio: (quod in Pectoris *apoſtematibus* pleriſque paſſim evenire ſupra adnotavimus) quae nam ſit tubulorum ſecernentium in Renibus conſtrictio, ſive a compreſſione quavis, ſive a ſpaſmodica fibrarum contractione (ut in *convulſivis* omnibus, atque *hyſtericis* maxime morbis evenire quotidie noſcimus) ſive alio quovis modo facta, tum & eorundem laxitas peculiaris, craſſioribus ideo ſanguinis etiam moleculis aditum indiſcriminatim concedens: quod praecipue prope agonem occurrere conſuevit, tunc cum univerſus ſolidorum tonus pervertitur, minoremque, eadem ratione properantibus fluvidis tunc minima cum velocitate motis, obicem parat.

CCLXXV. Hujuſcemodi urinae ſignacula tantum, abſque ulteriore accurata nimis indagine, ad morboſas quaslibet ſanguinis conſtitutiones, atque ſolidorum malas peculiares conditiones indicandas, Medico cuilibet ſufficere poſſe, ideo ſemper certo certius putavi, quia aperte hoc ab experientia ipſa, ratione, duce evincitur. Quo majore enim cum velocitate ſanguis in Corpore circumagitur, eo intime magis *ſeroſae* quaelibet, atque *aetherogeneae* particulae cum ipſo miſcentur, atque difficilius inde disjungi poſſunt, quod in ipſo febris augmento evenit; quando urinae, aut limpidae ex toto ſunt, aut turbatae maxime, nihilque in fundo vaſis deponunt. Contra evenit remittente febri, humoribus ad nativum minus concitatum motum fere redactis, atque ſolidis ipſis undecunque laxatis; propter quod intima validior illa mixtio tol-

litur, atque secernendae quaelibet *moleculae* minus reliquae sanguinis toti massae adhaerent, unde & facilius in consuetis *colatoriis* ab aliis secedunt, atque melius in fundo vasis separantur: ex qua potissimum causa variis modis *sedimentum* evenire, caeteris paribus, solet. Hinc factum fuit, quod in hac praesertim febri primis diebus clarae, ac quasi percolatae visae fuerint urinae, indeque progrediente morbo citrino fortiter colore saturatae, ob uberiorem dominantis bilis mixtionem: atque postea, ad remissionem vergente febri, prope decimam quartam diem, consuetas in fundo Matulae *separationes* ostenderint.

CCLXXVI. Rem clarius patere arbitrabor, si vulgari utar *analogismo*, casui tamen nostro perquam favente. Dum aquae in Fluminibus concitato minus motu feruntur, clarae, & limpidae ideo sunt; quia omne id quod coenosum, aut arenosum in ipsis continetur, aut successive cum iisdem commiscetur, majore propria urgente gravitate specifica, hinc inde fundo demittitur. Secus fit, dum pleniore gurgite ipsae fluunt, majoreque cum velocitate; unde turbidae evadunt, crassaeq; admodum, nec quidquam, aut parum saltem in fundo secernunt: eo quia rapidis, tumidisque fluctibus irruentes tunc majus, inde habita proportione, obtinent momentum ab adaucta velocitate natum, propter quod *gravitantium* aliarum particularum diversae speciei motum ad fundum eo magis superant, istaeque ideo magis intime cum aqueis *moleculis* commiscentur, & magis strictis mutuo nexibus devinciuntur. Unde apposite admodum Virgilius sic cecinit.

(127) *Rapidus montano flumine torrens*
*Sternit agros, sternit sata laeta, boumque labores.*
*Praecipiteque trahit silvas, stupet inscius alto*
*Accipiens sonitum saxi de vertice Pastor.*

Quare & Claudianus quoque notat, quod

(128) *Hyberno tumidus cum vortice torrens*
*Saxa rotat, volvitque nemus, ponteque revellit,*
*Frangitur objectu scopuli, quaerensque meatum*
*Spumat, & illisa montem circumtonat unda.*

CCLXXVII. Quod si quis Uromantiae nimis amator, me minus cautum, minusque sedulum in *Uroscopia* tunc fuisse arguat, legat quaeso eruditos clarissimi Foresti libros tres *de incerto, ac fallaci urinarum judicio* in calce quarti tomi suarum observationum positos. Hinc enim satis discet, quanto minus accurata esse debeat *Uroscopia* ad morborum causas, progressus, atque eventus media laudabiliore *Uromantia*, dignoscendos. Discet hinc, quam audacter *Empirici* quidam *Uromantes*, Circulatoresque, & *Medicastri* tot ex urinae inspectione mendacia potius proferant, quam vere ex urinis judicent. Necessariam laudabilem *Uroscopiam*, atque ab ipsa emanantem

(127) *Virgilius lib. 2. AEneid.* (128) *Claudianus lib. 1. in Ruf.*

tem tutiorem *Uromantiam* fusius nobis indicavit praeclarissimus Michael Alberti: quod nemo ante ipsum melius unquam praestitit. Attamen hujuscemodi ratiocinii ex urinis deprompti fallaciam perquam facile noscens sic merito admonet (129) *Neque etiam necesse est tamoperose Uromantiam affectare, & ultra praescriptos limites extendere, quin potius longe certiorem normam ille inveniet, qui cognita vera, & simplici morborum historia, & causa ex successibus occurrentibus ad eventum provide concludit, quippe quae consideratio ingenuum animum praeservabit, ne in foetidis, atque sordidis plurima Artis arcana, atque adminicula quaerat.*

CCLXXVIII. Quod si tot de causis nil penitus, aut parum saltem, sive urinis, sive sudoribus perfecta hujusce febris solutio adscribenda fuit: quid nam de sanguinis *stillicidio* in aliquibus ex hisce AEgrotis quampluries observato, dicendum potiore jure erit? Profecto hujuscemodi excretio cum raro, & praeter ordinem, neque in omnibus fieret, nullum profecto perfectae *crisis* indicium proferebat. *Stillicidium* enim hoc modo primis diebus, modo invalescente morbo, rarissime prope finem, plerumque cum modica sanguinis effusione apparebat; unde pessimum saepe saepius indicabat omen, *symptomaticam* potius ex conditione morbi, quam *criticam* expulsionem aemulando. Plerumque enim verum Sanguinis *stillicidium*, non autem *haemorrhagia* completa occurrere solebat, quae cum incompleta dumtaxat excretio esset, non a *Plethora*, sed a tumultuaria sanguinis febrili concitatione proficiscens, eo magis funesta evadebat, quo magis in principio morbi tale aderat *symptoma*. Satis enim testantur communes clariorum Medicorum sententiae, propter quas tantum abest, ut *stillicidium* hoc tanquam fausti ominis commendari soleat, quin immo pessimum signum communiter habeatur. Unde Petrus a Castro sic effatur (130) *Stilla sanguinis semper funesta in principio, vel augmento, praesertim si quarta erumpat*. Quod & confirmat Joannes Fortis, statuens (131) *non nisi malignissimum symptoma supervenies hoc nuncupari posse*. Quamobrem & Galenus ipse aperte declarat (132) *Sanguinis stillationes e naribus malum semper quidpiam esse: propterea quod natura quidem concupiat, quod superfluum est, excernere, sed ob propriam imbecillitatem nequeat, vel ob sanguinis crassitiem*: quod & quotidianae observationes satis superque testantur. Quod si aliquos post narium iteratas copiosas magis *haemorrhagias* in febribus hisce, a Capitis dolore, aut gravedine, mentis *stupiditate*, aliisque hujusce indolis *symptomatibus* liberatos, aut saltem magna ex parte immunes factos vidimus; non hinc universalis fida morbi solutio, sed peculiaris tantum hujusce *symptomatis* moderatio petenda ideo esse visa fuit: quod certe ad genuinam



(129) *Mich. Albert. Semiologia Sect. 2. Cap. 1. n. 40.*
(130) *Petrus a Castro Sect. 4. Aphor. 36.* (131) *Jo: Fortis de Febr. Malign.*
(132) *Galenus com. in Hippoc. 4. Acut. 67.*

indicandam tutiorem *Crisim* sufficere neutiquam poterat. Non inficiabor tamen, aliquando evacuationes hasce *Criseos* perfectae signacula clarius protulisse, maxime cum copiosae in *Plethoricis* magis Corporibus evenirent, in quibus sanguis pleno gurgite e naribus fluens, supervacaneae sanguinis copiae imminuendae peregregie favebat; quod alioquin iteratae sanguinis missiones debuissent praestare; quare generaliter loquendo Michael Albertus sapientissime sic innuit (133) *In quacunque febre Plethora valde turget, & urget, subjecta etiam juniora, & activiora sunt, & antehac haemorrhagias salutares, tanto magis statarias subierunt, in illa tempestive, & sine impetu decurrens, magis bona, quam anceps existit.* In oppositis autem circumstantiis (134) *Pessimum plane conamen est, si natura sanguinis evacuationi inducendae vires suas applicat, quando neque necesse, neque opportunum est sanguinem dimittere, sed ubi per errorem, aut sub confusa angustia, & tergiversatione ad hoc auxilium confugit: Testimonio haemorrhagiarum in malignis contagiosis affectibus.* Quod in enarrata hac potissimum febri eveniisse animadvertere potui.

CCLXXIX. Nec minus, ac praedictae sudorum, urinae, & sanguinis excretiones per nares infortunium hoc passae sunt *petechiarum* eruptiones (sive melius *stagnationes*) cujusvis illae fuissent indolis, seu quo ad colorem, seu quo ad copiam, seu quo ad tempus, & modum apparitionis huic febri semper familiaris. Quo enim copiosae magis illae videbantur, quo citius extimam Corporis superficiem foedabant, *oedematoso* quodam quasi tumore membra inficiebantur omnia, rigebant magis partes, stupida fiebat mens, vires dejiciebantur ex toto propemodum languentes, reliquisque omnibus pari modo indeadauctis *symptomatibus*, omnia in pejus derepente ruere videbantur; maxime cum non tantum copia, sed etiam mala qualitate peccarent, utpote *puliculares*, inaequales, atque livescentes, & diu permanentes: unde properantis Mortis certissimum ab ipsis habebatur judicium, reliquis etiam omnibus in id conspirantibus signis. Sic vice versa magis de AEgrotorum salute sperandum, utplurimum erat, dum paucae admodum, multoque magis nullae insurgerent *petechiae*: dummodo tamen nullum aliud pessimum adfuisset indicium a *symptomate* lethali alio derivandum; ut a *convulsionibus*, vigiliis non interruptis, diuturno furibundo delirio &c. Neque ullum unquam ex hisce AEgrotis ab Orci faucibus ereptum tuto vidi, cui saltem postremis morbi diebus, antequam *symptomata* pleraque graviora remitterent, omnimode *petechiae* non evanuissent. Hinc omni jure statuendum esse pro certo habui, *petechias* hasce nullum unquam perfectae *Criseos* indicium protulisse, sed tanquam fatale invalescentis Morbi, & properantis clanculum

(133) *Mich. Albert. Semiolog. Sect. 5. Cap. 2. n. 20.*
(134) *Idem ibidem Cap. 1. n. 13.*

lum Mortis nuncium fuiſſe exiſtimanda.

CCLXXX. Dum ad haec ſedulo attenderem, febris hujuſce ſimul indolem, motus, progreſſus, atque exitum in omnibus accurata magis indagine mecum ipſe perpendens, non parum mirabar, cum maximam perſpicerem diſcrepantiam, non parvi, meo judicio, faciendam, inter graſſantem *epidemicam Malignantium*, ſeu *Petechialium* iſtarum febrium conſtitutionem, ac aliam parum abſimilem, quam refert praeſtantiſſimus Ramazzinus in conſtitutione annorum 1692., 1693., 1694. Plurimi enim faciendam tunc temporis putaverat *petechiarum* apparitionem, ſeu *excretionem*, ut ajunt, cum ab ipſa ſpecialiter, tanquam a ſaluberrimo naturae *critico* motu AEgrotorum ſalutem plerumque derivari arbitraretur, quod aperte Poſteris ibidem indicavit (135) *Quicumque ex hac febrili incurſione* (inquit ille) *fati ope, vel Medici evaſere, nulli excretioni, vel per ſudorem, vel per urinam, vel alias vias, per quas natura Criſes ſuas moliri ſolet, ſalutem acceptam referre poterant, ſed ſolum peticularum ſuo loco, & tempore apparitioni, & earundem per totum Corpus expanſioni, lentaeque evaneſcentiae, ſalutis beneficium debebant: quin iis, quibus Alvi fluxus ſupervenere, funeſtum fuit &c.* Quamobrem ſolertiore omni ſtudio, diligentique examine uſus tunc fuit oculatiſſimus hic Auctor, ut hujuſce peculiaris excretionis (a qua unice ſalutem AEgris derivari quotidie animadverterat) modum, rationem, atque praecipuas quaslibet conditiones intime magis, accurateque perpenderet, atque de hoc Poſteros edoctos ſatis faceret: quod quidem omni opera praeſtitit, dum in eadem diſſertatione haec habuit (136) *Peticulae vero, utplurimum quarta die, & ſeptima erumpebant, & ii, quibus primis diebus apparuere, omnes fere ſublati ſunt: primum autem in Collo, Dorſo, & Pectore viſendas ſe praebebant; obſervatumque eſt neminem evaſiſſe, niſi tandem ad extremos Pedum ungues maculae illae ſe expandiſſent, in ſuperioribus partibus paulatim evaneſcendo: Quibus autem Pectoris, & Dorſi fines non tranſilierunt peticulae, mortem obtigiſſe. Variae autem, ac diverſi coloris erant &c. .... Aliae in profundo, & quas non niſi oculis tranſverſa intuentibus liceret inſpicere: quod genus peticularum fuit valde ominoſum.*

CCLXXXI. Quidquid ſit de hac obſervatione a ſolertiſſimo illo Auctore facta, de totali nempe, & perfecta illius febris ſolutione, media ſola *petechiarum* apparitione, nec quidquam ab ullo alterius excretionis beneficio unquam pendente (quod in dubium revocare nefas eſſe arbitrarer, cum hujuſce Auctoris celeberrimi fidem denegare idem prorſus eſſet, ac Solis lucem meridie nitidius emicantis ſtulte reſpuere) Ego certe aſſerere abſolute poſſum *petechialem* hanc cutis efflorescentiam in hac febri veluti *ſymptomaticam* ſemper, nec unquam veluti *criticam* a me tunc habitam fuiſſe. Et ut meam hac ſuper re ſententiam,

(135) *Ramaz. diſſert. 3. in conſtit. n. 21.* (136) *Idem ibidem n. 19.*

tentiam, arrepta occasione, ingenue proferam; tantum abest, ut *maculas* hasce in proposita hac constitutione visas, velut boni ominis signum, seu tanquam congruum naturae conamen ad *malignantia* vulgo credita miasmata e Corpore commodius, citiusque eliminanda putaverim: ut ipsas magis, minusve lethales semper cognoverim, quo magis, minusve copiosae essent, obscurove magis, minusve colore perfusae; Unde tanquam veridica pejoris morbi conditionis, minusque fausti futuri exitus signacula, intueri ipsas solitus fui. Nec tantum in proposito a me casu, sed & in quacunque alia non absimilis indolis febri, fixum mihi, ratumque semper fuit, atque erit in posterum (donec non auctoritatibus tantum, sed observationum sufficienti lumine illustratus, oppositam sententiam rationabiliter amplecti cogar) *petechias* omnes, cujuscunque illae sint indolis, eo magis AEgrotis infensas evadere, quo magis ab ipsis meatus cutis occluduntur, minorque consuetis *insensibilis perspirationis* promovendis *excretionibus* aditus remanet; cum illae solummodo sint simplices *stagnationes* innumerae, & minimae sanguinis, aut lymphae, aut utriusque ab exilibus extremis *canaliculis* extra aream *circulationis* male deviantis; in quibus humor ille concretus partim comprimendo, partim alio modo quolibet occludendo *secretoriorum* illuc tendentium *porulorum* hiatus, cutis consuetam necessariam *excretionem* ex toto tollit, aut saltem magna ex parte cohibet.

CCLXXXII. Verum dum haec in medium profero, innumerabilem pene *clinicorum* clariorum Medentium turbam erectis superciliis, crispataque fronte mihi adversantem jam satis nosco, ipsosque omnis generis telis ab auctoritate partim, partim ab observationibus a primordiis Medicinae usque in hunc diem diligenter peractis, partim & a ratione ipsa quomodocunque mutuatis, contra me strenue pugnaturos esse, nec ignoro, nec recuso. Perspectum enim satis habeo, tanti semper habitam fuisse, tantique nunc etiam a quamplurimis haberi hanc *petechialem excretionem*, seu melius *apparitionem*, ut in ipsa, tanquam in sacra anchora, omnem faustae curationis spem, firmiusque fundamentum semper cognoverint, atque nunc etiam certo certius statuant. Quippe primarius sanioris methodi cardo ad *malignantes* hasce, seu *petechiales*, ut melius dicam, febres evincendas, atque funditus eradicandas, in eo unanimiter vertitur tantum, quod *Alexipharmacis* validioribus *deleteria* non tantum supposita humorum qualitas evincatur, sed & *diaphoreticis*, aut *dissolventibus* quibuslibet, & *incisivis*, natura ad *petechialem excretionem*, ut ipsi dicunt, promovendam omnibus viribus excitetur. Quod si optatis jam tamdiu *maculis* cutis quaqua versus inspergatur, eo accurata magis Medico indicatur solertia, propter quam novis iterum validioribus praesidiis tum internis, tum externis utens, illarum *apparitionem* magis ultro promoveat: rigorose simul, atque scru-

ſcrupuloſe admodum cavendo, ne, aut repetitis nimis *Clyſteribus*, aut *purgantibus* cujuſvis generis remediis, multoque minus ſanguinis emiſſione, aliove quovis adminiculo, humorum *regulares*, ut ipſi ajunt, motus ad *circumferentiam* laudabiliter tendentes, ab ipſa ad centrum peſſime convertant, ſicque *petechiarum* ſomniatam *retroceſſionem* temere promoveant; unde ex VValdſchmidt habemus, quod (137) *Apparentibus petechiis nihil amplius in primis viis moveri debet; ut hinc vel ipſa enemata eo tempore ſint ſuſpecta.*

CCLXXXIII. Summa haec ſunt, atque inviolabilia pene, tanquam ſacroſancta in hiſce curandis febribus dogmata, ab antiquis omnibus Medicinae Proceribus propoſita, & ſucceſſive a Recentioribus etiam pleriſque caeca mente, fere per traducem, nobis communicata: quae quidem, & ego ipſe, dum primis annis ſub aliorum diſciplina Medicinam facerem, venerabundo obſequio ambabus excipere ulnis, non recuſabam. Poſtquam autem ponderoſo nimis *auctoritatum* jugo aliquantulum excuſſo, per ampliſſima Medicinae ſpatia libere divagari coepi, abdita quaeque Morborum *phaenomena*, & cauſas quotidiana praxi rimando, aliorum rationes quaslibet, atque ſententias aequa iteratarum obſervationum lance perpendens, oppoſitam prorſus de hac re opinionem amplecti coactus fui: maxime cum poſtea, & repetitis toties obſervationibus rationem ipſam optime congruere aperte cognoviſſem. Tunc autem magis hujuſcemodi ſententiae rationabiliter me adſtrictum ſenſi, cum primo doctiſſimi Hecqueti eruditiſſima opera perlegi, atque praeſertim elegantiſſimum novae Medicinae conſpectum, in quo ipſe abditiora naturae arcana quaeque ad Morborum cauſas, tutioremque eorundem curationem ſpectantia, acri judicio detegit. Ibidem ſatis ſolidis rationibus propoſitam hac ſuper re controverſiam peregregie dirimit. Placet autem hic pro hujuſce diſputationis complemento ſaniorem ejuſdem Auctoris explicationem adamuſſim tranſcribere, (138) *Staſes ſunt* (dicit ipſe) *adhuc, quas ſub oculos ponunt exanthemata, petechiae, morbilli, variolae, & quotquot ſunt purpurata notacula, quae terrori Medicis, AEgrotantibus vero exitio ſunt, aut periculo. Periculi ratio venit a repentina illa ſanguinis ecclampſi, qua ſubito correptus ſanguis a ſe exit, ſuiſque confeſtim exilit carceribus. Sugillationes enim, livores, & ecchymoſes facile diceres, in quibus cernere liceret ſanguinis ſuo a circuitu dejecti horrenda deliramenta, in eo formidabilia, quod nativis locis exiliendo ſanguis, propriiſque exeundo colliquis, in alienis ſedibus, aut peregrinis tubulis transfuga degere cogatur, quos hoſtiles revera experietur, in quantum illi alienis moribus vivendum erit intra tramites indebitos incedendo, peregrinos ſubeundo ritus, factuſque conſuetudinibus ſubjectus novis.* Eandem confirmat opinionem praecitatus hic Auctor, dum *Petechias*

(137) *VValdſchmidt Tom. 1. de febrib. malign. n. 16.*
(138) *Hecquet Nov. Med. Conſpec. p. 2. cap. X.*

*chias* vocat (139) *Stagnatae, ultraque circulationis orbitam, & ordinem dejectae partis sanguinis rubrae notaculum.* Id ipsum confirmat praeclarissimus Nicolaus Cirillus sic (140) *Imo ex sanguine eodem ad coagulationem saltem in vasis capillaribus tendente, oriuntur cutis stigmata, quandoque exanthematum, frequentius petechiarum forma conspicua.* Quod etiam statuit Villisius, dum de *Petechiis* haec protulit (141) *Cruoris coagulati portiones exiliores in cute defixae phaenomena haec minora constituunt.*

CCLXXXIV. Hanc eandem controversiam sapientissime diremit praeclarissimus Homobonus Piso concivis noster, atque in celeberrima Patavina Universitate Medicinae practicae Professor eruditissimus in elegantissimis Dissertationibus suis *de regimine magnorum auxiliorum*. In aureo hoc opere ad praxim medicam utilissimo, dum Medicinam a praeconceptis Veterum nonnullis opinionibus fere per traducem ad nos delatis liberare, solidioresque Praxeos doctrinas indicare utiliter satagit, inde aperte statuit, exanthemata haec (142) *nihil aliud esse, quam quiddam consequens ad fervorem malefici humoris; quemadmodum est color flavus, viridisque inficiens corpora passa morsum viperinum; ideoque quocunque tempore efferantur, esse symptomatica, & inutilia. Excretiones notabilis quantitatis in corruptione late fusa per sanguinem salutares esse possunt, non exiguae quantitatis, cujusmodi sunt puncta rubra, vel aliter colorata interstinguentia cutem; quorum occasione nunquam observatum est, uti notat Petrus Forestus, secutam esse crisim. Hac animadversione constat supervacuos esse, & potius noxios plurium Medentium conatus ad promovendam expulsionem peticularum cucurbitulis scarificatis, aut siccis, quasi earum copiosiore expulsione fomes malignus cum levamine AEgroti non parum minuatur. Nunquam, cum mihi licuit libere mederi, consuetis remediis, cuti adhibitis earum exitum provocavi &c. cavi tamen, quae possent impedire, utpote quoque insensibilem perspiratum impedientia; semperque in bonis habui, maculas paucas, rubrasque apparere.*

CCLXXXV. Pergant nunc oppositae sententiae scrupulosi Fautores, atque in summo naturae laborioso conflictu, dum lethalibus magis stipata *symptomatibus* febris ejusmodi viget, majoreque in vitae discrimine AEgrotantes miserrime versantur, *horrenda haec sanguinis deliramenta*, ceu veridica proximae pacis nuncia ab ipsis temere habita, anxie attendant, laetabundi spectent, atque solicite admodum quibuscunque adminiculis magis magisque ultro promoveant. Falso hoc simulatae, & fallacissimae spei nitore, perterritos aliunde merito Adstantes, tunc levare curent, faustumque magis morbi exitum polliceantur, dum in ancipiti magis res inde vertitur. Et ut rem ab intrinseco magis prospectam faciam, non incongrua utens analogia,

(139) *Hecquet in append. de Peste.* (140) *Nicol. Cirill. in not. Ettmul. tom.* 3. (141) *Villis. de febr. malign. cap.* 13. (142) *Homobonus Piso de reg. magn. ux. Dissert.* 1.

analogia, maculas haſce *ecchymoſibus* illis comparare ſoleo, quae cutim aliquando plus, minuſve foedare videntur prope vulnus a *Phlebotomo* inflictum, ad ſanguinem detrahendū: maxime cum aut vena non in prominente ſua parte, ſed ad latera potius, aut in qualibet incongrua directione ſecta fuerit; aut poſt ſanguinis ſufficientem emiſſionem, non bene occluſa; ita ut utraque vulnerati vaſis latera non omnimode, & per directum ſibi mutuo bene coeant. In primo namque caſu, cum ſanguis pleno gurgite libere effluere non poſſit per lineam ſummitati prominenti inciſae venae quaſi *perpendicularem*, ex ea parte, ubi magis a *perpendiculari* illa ſanguinis profluentis directio recedit, atque inclinatur; tum per apertum foramen quomodocunque male exit, tum ex eadem parte in latus *integumenti* ſecti impingit, ibidemque inciſos adhuc hiantes *lymphaticos* tubulos raptim, atque per vim ſubit, ſicque in iiſdem poſtea reſidens, & concreſcens, tumores ſtatim varios progignit, habito reſpectu ad copiam, modumque ſanguinis illuc deviantis: quare & inſueto ibidem rubicundo colore, & poſtea livido cutis tingitur. Idem, paucis mutatis, intelligendum venit, dum incongruo modo vena occluditur poſt detractum ſanguinem. Tunc enim, coeuntibus partim *integumentorum* ſectorum labiis, cum extra proſilire ſanguis ex toto, & commode nequeat, modica ejus aliqua adhuc portio a venae vulnuſculo non rite occluſo ſecedit, quae majorem ad extra obicem a compreſſione forti factum inveniens, ad latera per hiantes in *integumentorum* labiis *lymphaticos* tubulos ſeſe inſinuat, atque ibidem ſiſtitur, & congelatur, rubicundum, aut ſubobſcurum ſic cuti impertiens colorem, aliave multiplici ratione varium.

CCLXXXVI. Idem, mutatis mutandis, pari modo evenit, dum quis cutim aliqua in parte fortiter contundat, conſtringatve, ſeu quomodocunque percutiat. Tunc enim eadem ratione comprimuntur ſanguinei minimi ſuppoſiti *canaliculi*: cumque, ob cōtentum ſanguineum cylindrum plus, minuſve ipſos opplentem, eorundem tunicae ſibi tunc mutuo adhaerere omnimode nequeant, ob dictam extrinſecus factam compreſſionem, ab extra rumpuntur, & ſanguis ipſe exprimitur, qui per interſtitia cutis ſeſe inſinuat, atque ibidem ſtagnat, coagulaturque, rubro tingens colore lympham cutis indigenam; unde rubicundae, ac poſtea obſcurae maculae in extima Corporis percuſſa ſuperficie majores, minoreſve ſuccedunt. Verum cum uno, eodemque tempore utplurimum *lymphatici* ipſi ductus rumpantur (eodem fere modo, quo fit, dum cutis comburitur) effunditur lympha ſimul cum ſanguine, eademque de cauſa, dempta communicatione canalium laceratorum, liberum ſubtrahitur affectae cuti idonei nutrimenti ſubſidium: unde cuticula ipſa paulo poſtea exſiccatur, ac quaſi, deficiente nutrimento, adinſtar vegetabilium moritur, & *ſquamullatim* inde

tra-

tractu temporis secedit.

CCLXXXVII. Haec omnia non absimilem macularum productionis modum, juxta allatum supra doctissimi Hecqueti assertum magis ultro confirmant; cum utplurimum, postquam ipsae evanuerunt, profligato morbo, tota cuticula, aut magna saltem ejus pars hinc inde a tota Corporis superficie, partitis vicibus, citius, tardiusve secedat; pro ut breviore, aut longiore temporis intervallo cutis exsiccatur. Eadem prorsus, meo judicio, est ratio macularum livescentium, quae undique in *Scorbuticorum* cute exsurgunt, cum tam istae, quam *petechiales* ab effuso quomodocunque, coagulatoque in interstitiis cutis sanguine fiant; hoc tantum habito discrimine, quod *scorbuticae* maculae tenuem quandam facile fluxilem, seu, ut cum plerisque loquar, *corrosivam* humorum conditionem supponant in quocunque *Scorbutico* satis perspectam, propter quam sanguis quaqua versus corpus pervadens, absque ulteriore momento ab aucta ipsius velocitate derivando (quod ad id etiam in hisce morbis non parum aliquando conferre arbitror) activa speciali tantum, & scindente vi sua canalium tunicas pungit, discindit, atque minimos praesertim eorundem ramulos lacerat, ubi minor maxime obex occurrit, aditum sibi sic parans, ut a consueto *circulationis* tramite deflectens, extra canales fluat, atque coaguletur. Quod si sanguineos tubulos nullo, aut debili admodum *integumentorum* fulcimento munitos inveniat, eorundem diruptis tunicis, extra Corpus secedit; atque ob id *Haemorrhagiae Narium, Gingivarum, Uteri, Haemorroidum*, atque aliae hujusce modi *scorbuticis* plerumque familiares eveniunt. Quod si in hisce casibus canalium *corrosiones*, aut lacerationes ex dictis causis factas nolimus supponere; ipsos tamen hinc praeter ordinem reseratos fuisse, inficiari nemo poterit. Nec tantum in externis, verum etiam in internis partibus minimi canales corroduntur, seu reserantur, ob eandem dictam causam. Quamobrem sanguis ab ipsis effluens, modo per vomitum, modo per *exscreatum*, modo per Alvum, cum faecibus excernitur. Dum autem a discissis, aut quomodocunque reseratis canalibus prosiliens extrinsecus sanguis superpositorum *integumentorum* obicem superare nequeat, ut ultro extra progrediatur, in eorundem interstitiis, & forte sse etiam intra contiguorum *lymphaticorum* ductuum capacitates sistitur, congelatur, maculasque livescentes varii coloris, diversaeque configurationis, & magnitudinis producit; habita proportione tum copiae sanguinis a *circulationis* tramite aberrantis, tum & modi, quo ipse ab apertis canaliculis effluere antea potuit: Quod quidem in toto Corporis ambitu, juxta partium peculiares dispositiones, citius, aut tardius, plus, aut minus occurrit.

CCLXXXVIII. In *petechialibus* vero maculis, occasione febrium hujusce modi, apparentibus (licet non absimilem sanguinis extra pro-

prios

prios canales *ſtaſim*, tanquam immediatam genuinam cauſam ſupponam) ob aliam tamen potiorem rationem ipſum e vaſis prodire arbitror. Etenim cum *corroſiva* illa humorum ſupra poſita *diatheſis* non ſemper in *Petechialibus* hiſce febribus ſupponenda veniat: ad auctam ſanguinis velocitatem confugiendum omni jure eſt, propter quam majus ipſe, pari ratione, momentum nanciſcitur, tunicarum canalium ſuperando obici aptiſſimum; unde & variae conditionis maculae, non tantum in hiſce febribus, ſed etiam in tertianis ipſis, in *purpuratis*, ſeu *ſcarlatinis*, atque in aliis etiam, in ſumma ſanguinis aeſtuatione, vigente magis febri, ſuboriuntur. Huic ſi addamus, & humorum tenuitatem, fluxilitatemq; maximam (quam & in hujuſcemodi febribus ſpecialiter attendendam fuiſſe, ex dicendis infra ſatis patebit) non minoris momenti cauſa huic producendo *phaenomeno* idonea emerget. Duplicem ob hanc rationem quilibet ſatis primo etiam intuitu percipit, quomodo ſanguis canalium exiliores tunicas hinc inde dirumpat, aut ſaltem ipſarum meatus minimos ampliores reddat, ut ſibi aditum ad extra paret. Hujuſcemodi *petechiarum* explicationi, atque eorundem potiſſimae cauſae a me propoſitae, praeter allatas ſupra rationes a doctiſſimo Hecquet depromptas optime favere videntur obſervationes a praelaudato Homobono Piſone noſtro in ſupra citata Diſſertatione deſumptae, ex quibus ſatis conſtat maculas haſce a *malignante* ſomniata humorum qualitate nequaquam pendere; cum & in aliis febribus perquam facile occurrant, quod nemo ex Practicis inficiari unquam audebit. (143) *Vidi has maculas* (inquit ille) *in Viro quinquaginta circiter annorum, temperamenti ſanguinei, bilioſique poſt equitationem frequentem, correpto ſimplici tertiana. Vidi in Puella decem & octo annorum temperamenti ſanguinei, quae poſtquam choreis incaluit, incidit in tertianam duplicem continuam reſtinctam tamen intra quatuor, aut quinque dies, & abſque ullo maligni humoris indicio.* Ex utraque autem obſervatione hac facile eſt deducere praegreſſam ſanguinis nimiam *commotionem*, atque *diſſolutionem*, indeque *ſanguinis fervorem* ſubſecutum fuiſſe, quem pro potiore macularum cauſa ipſe agnoſcit, eundemq; congruis remediis temperandum eſſe, ibidem monet: dum caeteroquin alii falſis hac ſuper re praejudiciis innixi, *diſſolventia* omnis generis, atque *volatilia* tum interna, tum externa ſaepiſſime uſurpata laudant; ut ſomniatam ab ipſis *petechialem excretionem*, tanquam *criticam* magis magiſque promoveant.

CCLXXXIX. Quicunque ad haec ſedulo attenderit, percipiet facile, quantum a veritate aberrent ejuſmodi Medentes, atque quam manifeſte pejorem AEgrotis perniciem ſtruant, dum eorundem ſaluti officioſe nimis, atque operoſe incumbere videntur. Etenim *volatilia* haec *attenuantia*, atque *inciſiva* remedia, quibus ad id utuntur, eo magis ſuppoſitum

(143) *Homob. Piſo diſſert. ſupra citata.*

positum sanguinis fervorem excitant, promovent, & augent; quare idem propemodum hoc est, ac calcaria effraenato currenti Equo adjungere, ut ipse a motu cesset. Primariam ideo sic morbi causam fovent, vividioremq; atque magis activam reddunt; quare & tumultuarii sanguinis motus denuo suscitantur, pejoribus aliis efficiendis *symptomatibus* apti, atque maculis ipsis multiplicandis ultro, aliisque sanguinis gravioribus producendis *stasibus*. Etenim minimae hae sanguinis *stagnationes* totum extrinsecus corpus foedantes, eo majorem mihi incutere metum solebant in hujuscemodi febribus, quo tutius inde habere judicium poteram de internis non absimilibus, & magis funestis *stagnationibus* aliis in praecipuis visceribus omni jure pertimescendis. Tales enim *stases*, occasione istarum febrium, modo in Pectore, modo in imo Ventre, modo in Hepate fiunt, aut etiam in Cerebro, ejusdemque membranis: unde & *Abscessus* varii, alteriusve indolis tumores, *inflammationes*, aliaque hujusce indolis mala occurrunt, quae lethalem utplurimum morbo finem constituunt, aut alterius chronicae succrescentis AEgritudinis prima stamina firmant: quae omnia ab eadem proficiscuntur causa, propterquam & *petechiales* extrinsecus minimas *stagnationes* fieri, supra ostendimus: Quod quidem cum iis adamussim convenit, quae & Diemerbroeckium observasse, atque Vallesium, & Ballonium indicasse, ibidem testatur Ramazzinus ipse.

CCXC. Hisce de causis mirari nunquam desinam, quod Auctor iste caeteroquin perspicacissimus, atque in observationibus accuratissimus, a praeconcepta jam Antiquorum Medentium opinione de *petechiarum* origine, progressu, utilitateque adeo obcaecatus fuerit, ut absolute statuere non recusaverit, eas in allata ab ipso constitutione, tanquam *Criticas* habendas fuisse, dum ibidem ait: (144) *Hinc mihi visum est, considerandas non esse peticulas, ut simplex malignae febris signum, veluti communis fert opinio, nec a criticarum excretionum censu excludendas*. Id autem, praeter alias non contemnendas tamen rationes, eo fidentius asserere non dubitavit, quo magis a specioса ejusdem Diemerbroeckii observatione captus fuerat, quam sic ibidem refert: (145) *Curiosum autem est id, quod Diemerbroeckius refert, sibi in Cadavere ex hac febre extincto observatum; nimirum maculas hasce ab ipso perioستio initium ducere, & lata basi instar fumi lampadis recenter extinctae*. De quo fides sit penes Auctorem. Quod si AEgroti illi a praeclarissimo Ramazzino curati per nullam, ut ipse asserit, sensibilem humorum *excretionem* convaluerunt, non hinc merito *petechiarum* apparitioni victoria forsan tribuenda erat; sed potiore certe jure *insensibili perspirationi* affluentius factae in interstitiis cutis, ubi meatus excernentium porulorum a super incumbentibus *petechialibus stasibus* nil penitus occlusi erant, neque ullo modo compressi. Etenim, sicuti pro

(144) *Ramazzinus Dissert. 3. supra notata.* (145) *Idem ibidem.*

pro certo ſemper habui cum doctiſſimo Sanctorio, univerſum Corporis ambitum innumeris pene minimis meatibus a natura ditatum eſſe, ut per ipſos quaecunque, copia praeſertim, aut qualitate noxia forent, datis temporibus, juxta *mechanicas* leges, ſanitatis tempore magna ex parte excernerentur; ſic & inficiari neminem poſſe arbitratus fui, pari ſemper ac in ſanis, ita & in AEgris Corporibus cutis eoſdem meatus tuto, praecipuoque adminiculo eſſe, ut per eoſdem (caeteris maxime feriantibus ex toto *colatoriis*) neceſſarias *excretiones* moliri natura poſſit, ſicque AEgroti, etſi lethalibus antea detenti morbis, quaſi redivivi e tumulo, priſtina iterum valetudine potiri valeant.

CCXCI. Praeter praecipua, atque conſueta *ſymptomata* hujuſcemodi macularum apparitionem utplurimum comitantia, optime in ſententia noſtra explicari poſſe videntur colores diverſi, quibus *petechiae* hae in diverſis iſtarum febrium circumſtantiis infectae cernuntur, propter quos plus, minuſve infauſtum praeſeferre omen communiter creduntur. Data enim ſpeciali ſanguinis conſtitutione, juxta AEgrotorum peculiares temperies, facile eſt intellectu, cur ſanguis ille a conſueta *circulationis* ſemita aberrans, atque in interſtitiis cutis reſidens, aut etiam in *lateralibus lymphaticis* arteriarum tubulis, aut utrobique, ibidemque concretus, eadem ratione vario colore cutim inficiat. Quod autem non abs re ſit ſupponere, varios noſce ſanguinis characteres, diverſos in *petechialibus* cutis maculis colores producere, quilibet concedet, ſi ſatis noverit, pro diverſa AEgrotorum individuali conſtitutione, detractum ſanguinem modo plus, modo minus vividum, atque rutilantem eſſe, modo ſubobſcurum, atque ad violaceum fere vergentem, aliquando etiam crocei coloris participem: quod in hac praeſertim conſtitutione evenit. Praeterquamquod ſi quiſpiam animadvertat, quod maculae illae (quas vel a verberibus, vel a compreſſionibus, vel a contuſionibus, vel ab alia quavis conſimili extrinſeca cauſa fieri, effuſo inde, & ſtagnante ſanguine ſupra oſtendimus) in principio vividiorem exhibent colorem, atque ſucceſſive fuſcum, & nigricantem fere, diuturna facta ibidem mora; primo vix intuitu noſcet, cur id etiam in *malignantibus* hiſce ſignaculis pari modo eveniat; abſque quod opinione potius, quam ratione ducti, eo venenatam magis febris indolem nobis ipſis, Adſtantibuſq; objiciamus, quo magis lividum, obſcurumque praeſeferunt colorem. Eatenus, progrediente morbo, maculae illae, quae in principio rubicundae admodum erant, poſtea obſcurae evadunt: quatenus, ob diuturniorem moram, ſanguis extra conſuetam ſemitam ſtagnans, ibidem, quaſi vita carens, quia conſueto privatus motu, ſucceſſive magis, magiſque concreſcit, coagulaturque, atque in intima conſtitutione ſua commutatus, ob eandem cauſam, novum pari ratione, atque magis obſcurum colorem induit.

duit. Quod si cito subeat iterum consuetos canales sanguis iste, non tam fortis illico fieri potest concretio, obscuriori efficiendo colori idonea. Hinc videre est cur maculae, quo magis copiosae sunt, quo magis lividae, eo magis infaustum morbi praesagium afferant: quia major, atque magis copiosa fit sanguinis coagulatio, parem in internis quoque partibus factam, aut saltem *futuram stasim* omni jure indicans.

CCXCII. Propositam hanc de *petechiarum* genuina origine opinionem mihi ultro confirmabant ea omnia, quae non tantum morbum hunc comitari solebant, verum etiam tanquam pedisequa post febrim ipsam spectanda erant. Unde enim aliter, quam a sanguinis, & fortasse lymphae, aut utriusque internis *stasibus* quispiam melius deducat Aurium *bombos*, *tinnitus*, *obtusitatem* auditus, atq; surditatem ipsam; sicuti & varios *abscessus* aurium in fine morbi plerumque progenitos, atque alia hujuscemodi omnia, quae fere in omnibus hac febri correptis, longo etiam post febrim tempore animadvertere contigit? Non me latet sanguinem ipsum, concitato admodum in hisce febribus motu fluentem, quamvis intra consuetos canalium cancellos, majus inde nanciscì pari ratione momentum, quo majorem in canalium latera impetum faciat, eadem distendendo, concutiendo, validiusque premendo: unde, absque ulla, ne minima quidem *stasi* (si par in sanguineis minimis tubulis Aurem quaqua versus, atque Timpani praecipue membranam pervadentibus, sanguinis impulsus fortis concedatur) congrua *tinnitus*, aut cujuslibet Aurium morbosi strepitus ratio emanat. Attamen non ex hoc tantum aliquis unquam rationabiliter percipiet genuinam obtusi auditus, atque tam obstinatae surditatis rationem: nisi ultro procedens intelligat etiam, quod sanguis ipse citius, validiusque commotus in summo febris vigore, canales quoq; minimos quammaxime distendit, congrua habita ratione ad varias eorundem *resistentias*; ita ut hoc etiam in confiniis aurium pari modo eveniat, facta inde ab exilissimis istorum tubulorum scissuris sanguinis *effusione*, *stasi*, & *concretione*, eodem prorsus modo quo, & *petechias* in ambitu Corporis fieri, supra docuimus. Hinc membrana Timpani (quae tenuis antea, & moderate tensa erat, atque aeris subeundis, propagandisque ultro *undulationibus* idonea) repletis interstitiis densior fit, quare nonnisi validis *concussionibus* reniti valet; unde hujuscemodi AEgroti nonnisi vehementibus clamoribus excussi audiunt, & male etiam. Verum si major fuerit sanguinis copia extra *circulationis* viam ibidem aberrantis, & concrescentis, quam quae pro replendis tantummodo minimis interstitiis dictis sufficiat: majorem in molem sanguis ibidem congestus, & residens, *abscessus* efficit, quos modo intra, modo extra aures evenisse occasione harum febrium saepissime observavimus.

CCXCIII. Non inficias tamen iverim, varias hasce Aurium affectiones, *bombos* nempe, & *tinnitus*,

&

& *surditates* quandoque a *lymphaticis* ſolum *ſtaſibus* fieri; quod & occaſione iſtarum febrium non raro mihi contigit videre, in illis maxime, quae & *lymphaticam* ſubolebant naturam, de quibus arrepta occaſione hic etiam ſuo loco agemus. Tunc autem hoc aderat diſcrimen, quod in iis *ſuppuratio* neutiquam eveniret, quam a ſolius lymphae *ſtagnatione* fieri nunquam poſſe, quilibet novit. Etenim lympha dum ſtagnat in aliqua parte, aut in mucoſum, ac fere *tophaceum* gluten, ut in *Arthriticis*, commutatur: aut denuo attenuata per poros cutis (ſi ad ipſos praeeditus non fuerit aditus) ſenſim & ſine ſenſu avolat: aut contiguos *lymphaticos* ductus iterum ſubiens, in circulum denuo agitur: quo utroque modo per *reſolutionem* id evenire vulgo dicitur, nulla unquam facta *ſuppuratione* vera.

CCXCIV. Hinc ex dictis non abs re erit pauca hic obiter adjungere, quae veriſimilem magis rationem in propatulo ponant: qui fiat nempe, ut paſſim in hiſce febribus *ſurditates*, aut etiam obtuſus tantum auditus, tum & *bombi*, *tinnitus* in decurſu morbi occurrentes, fauſti praeſagii loco habeantur. Certe hoc aenigma, quod in ore Clinicorum Medentium omnium tam frequenter ſonat, a paucis ſatis intelligitur, atque adamuſſim explicatur. Hoc tamen minus arduum cuique videbitur, ſi rite antea intellexerit, *Timpani* membranam eo magis exquiſito ſenſu ditatam eſſe, quo magis tenſa congruo modo fuerit (quod & de nerveis quibuslibet ſentientibus fibrillis pari modo verum eſt) propter quod, ob occurrentes extrinſecus aeris concuſſiones, variis modis percuſſa, citius, validiuſve renititur, indeque magis facilis, atque acutus ſenſus redditur. Verum dum plus aequo laxa eſt (ob ſuppoſitam in ejuſdem interſtitiis lymphae, aut ſanguinis, aut utriuſque *ſtaſim*) ſicuti quibuſlibet aeris preſſionibus facile cedit, ita difficilius, tardiuſque, congrua validiore elateris deficiente potentia, ſui juris fit, ut priſtinam amiſſam denuo acquirat poſitionem: Ex quo debili reniſu idonea per nervos ſucceſſiva *undulatio* tam cito, tam valide, pro ut opus eſt, derivari nequit. Hoc ex ſola projectorum Corporum lege facile intelligitur. Illa enim, pro ut aut in tenſa magis, magiſque elaſtica, aut facile cedentia alia Corpora impingunt, eo citius, aut tardius, eo validius, aut debilius reſiliunt, habita ratione tum impetus, quo primo projecta fuerunt, tum & *reſiſtentiae*, & *elaſticitatis* Corporum, in quae irruunt. Hinc ſi a molli, aut moderate laxa hujuſce membranae conſtitutione, non incongruum eſt univerſalem ſolidorum omnium laxitatem (properante maxime ad exitum morbo) derivare, indeque laudabiliorem ſolidorum ad fluida reſpectum; illico patet, cur ſurditas in hiſce febribus optimum ut plurimum ſanitatis omē portenderit; niſi tamen in principio occurreret; quando intempeſtiva ſolidorum laxitas haec minus apta ſic ipſa reddit, congruis peragendis *oſcillationibus*, ad morbi cauſam ſatis, & valide evincendam, maxime neceſſariis.

CCXCV. De hoc tamen certior fieri potui, cum iteratis tunc obſervationibus attenderim, nullos penitus ex hiſce AEgrotis (quibus mentis ſtupiditas, Corporis torpor, cum *ſurditate*, pulſuque molli, atque amplo, non tam frequenti, aut concitato; aliaque hujuſmodi a ſpeciali ſolidorum laxitate petenda evenerant) Mortis victimas evaſiſſe. E contrario omnes fere (qui protractis nimium vigiliis, Corporis maxima agilitate praediti, una cum mentis alacritate nimia, parva, aut vix nulla *ſurditate*, vehementibus, diuque protractis deliriis, cum jactatione Corporis, clamoribus, & pulſu duro, contracto, atque vibrante admodum, detenti fuerant) Mortis ictum plerumque, & perquam cito ſubiere. Quamobrem rationalis hinc quilibet Medicus diſcere poteſt, quanti nam facienda ſit ſolidorum doctrina, tam erudite, & ſpecialiter a praeſtantiſſimo Hecquet in operibus ſuis explicata, tum ad inſtituendas tutſus curationes, tum ad abditas magis morborum cauſas rimandas, ſimulque prognoſes quaslibet certo certius proferendas. Qui ſola humorum ſpeculatione contenti, intima quaeque animalis OEconomiae penetralia abſque ulla, aut vix modica ſolidorum conſideratione audacter tentant, eo magis allucinantur, quo magis ſolidorum potentia fluidorum vim ſuperat in Animali Corpore. Illam enim potius, quam iſtam primarium tum ſanitatis, tum morborum fundamentum conſtituere, nemo unquam inficiabitur, praeſertim ſi clariſſimo eidem Hecquet fides adhibenda ſit, dum ſtatuit (146) ſolidorum vim, ad fluidorum potentiam eſſe ut 1000. ad 1.

CCXCVI. Humorum factas ſucceſſive in hiſce febribus *ſtaſes*, atque eorundem a communi circuitus ſemita *aberrationes* (a quibus unice veridicam occurrentium tunc *petechiarum* cauſam petendam merito eſſe ſupra ſatis oſtendimus) indicabant ultro (praeter jam recenſitos Faciei, & Manuum, Brachiorumque oedematoſos tumores in ſummo morbi conflictu ſaepiſſime obſervatos) non abſimiles alii Pedum tumores, atque univerſales etiam *cachectici* habitus, quibus profligata jam febri, AEgroti fere omnes detinebantur. Haſce tamen *morboſas* affectiones poſt haſce febres ſuccedentes, non a fluidorum tantum vitioſa *diatheſi*, verum etiam a ſolidorum mala praecipue conſtitutione, ſeu laxitate nimia occaſione praegreſſi morbi facta, tunc ſubortas fuiſſe quilibet noſcet. Etenim nemo ignorat, quod, dum, vigente febri, in tumultuarios aeſtus cietur maxime ſanguis (qui ideo eadem ratione canalium latera quaqua verſus validius premit, & urget) fibrillae omnes vaſa contexentes ſummopere diſtrahuntur undique, ut ſimul rarefacto plus aequo ſanguini magis amplum neceſſarium ſpatium concedant. Hinc factum fuit, quod poſt febrilem luctam fibrillae illae pari ratione laxae admodum evaſerint, ideoque minus aptae ad ſolicitandos rite fluidorum

(146) *Hecquet de purgand. Med. cap. X.*

dorum motus: congrua nempe inde deperdita *elaſticitatis* nativa potentia. Deficiente hac ſolidorum primaria vi, aut inerti ſaltem ipſa hinc maxime reddita; quis non videt, qua plerumque ratione ſanguis lento ideo magis motu poſtea fluere coeperit, atque maxime in extremitatibus canalium a Corde magis diſſitis, ubi, caeteris paribus, ipſius velocitas decreſcit in ratione reciproca diſtantiarum a Corde? Hinc feriante non parum ſanguine a concitatiore nativo ſuo motu in extremitatibus praecipue Corporis, atque fere dixerim, in iiſdem reſidente; ſeroſa ibidem ipſius portio, utpote tenuvior, magiſque permeabilis, per canalium laterales poros a tota maſſa ſucceſſive hinc inde receſſit, ibidemque extra *aream circulationis* ſtagnans, atque concreſcens, *oedematoſos* paulatim tumores dictos progenuit. Quod autem poſt habitas ſolidorum fortes contractiones diu nimis, validiuſque protractas, eorundem nimia plerumque laxitas, ſeu ad oſcillandum debilis potentia, eadem ratione contingat; ex eo facile deduci etiam poteſt, quod quilibet in ſe ipſo paſſim experitur; dum, poſt violentas, atque diuturniores Corporis exercitationes, virium univerſalem dejectionem, ſimulque muſculorum omnium enervatam potentiam perſentit. Neque aliter tunc priſtino potitur robore, niſi, congrua accedente quiete, ſolidorum univerſa compages ſatis refici queat. Id poſtea fit, congruo idonei nutrimenti adminiculo, cujus nutritivae minimae moleculae melius per quietem apponuntur, iiſdemque magis adhaerent; quae ideo, minimis ſic repletis interſtitiis, priſtinam acquirunt *elaſticitatem*, iterum contrahuntur, ſicque deperditum adipiſcuntur paulatim tonum, ut denuo validius, ſicut antea, oſcillare poſſint. Praeterea, quod in ſummo febris tumultu (maxime cum vehementius aeſtuando ſanguis, in concitatiores, magiſq; tumultuarios cogitur motus occaſione graviorum *ſymptomatum*) eadem ratione magis, magiſque ſolidorum minimae fibrillae, nerveae praeſertim, contrahantur, & rigeſcant, indeque, ſoluta morboſa lucta, laxiores, quam antea, plerumque evadant: id ſatis ſuperque teſtatur maximum robur, quo praediti videntur praeter ordinem AEgroti omnes, dum, vigente acuta febri, delirio ſaevius detinentur, aut vehementibus laborant *convulſionibus*, aliiſque hujuſce indolis *ſymptomatibus*; quae omnia poſtmodum, remittente morbo, maximus virium lapſus, cum univerſali laſſitudine Corporis ſubſequitur, nec raro etiam defatigatarum magis partium *Paralyſis* non facile ſuperanda. Haec etiam, mutatis mutandis, evenire paſſim obſervantur in *hyſtericis* Mulierum convulſivis affectionibus, validius, & diutius protractis.

CCXCVII. Attamen, licet ex dictis ſatis conſtet, hujuſcemodi ſolidorum laxitatem, ſeu ad oſcillandum debiliorem potentiam, variis tunc hiſce lymphae *ſtaſibus*, atque concretionibus perficiendis contuliſſe: Non negaverim quoque, & ſpecialem ſanguineae totius maſſae pra-

vam *diatheſim*, a praegreſſa febrili valida lucta derivatam, hiſce ſimul anſam praebuiſſe. Etenim occaſione acutarum febrium non parum totius ſanguinis compages pervertitur, & quidem vario modo, ſervata nempe ratione diuturnitatis morbi, ejuſdemque vehementiae. Namque, dum concitato magis motu tunc ſanguis canales omnes pervadit, a ſolidis ipſis validius, & frequentius oſcillantibus praeter modum undique preſſus, atque verberatus, ejuſdem primo componentes moleculae ex mutuo forti attritu maxime dividuntur; ſicque mutatis, eadem ratione, tum primis molibus, tum figuris, tota maſſa, praeſertim quo ad conſiſtentiam, tenuvior evadit; utpote majore numero minimarum particularum, laevigatam magis ſuperficiem obtinentium, quam antea conſtans. Verum hinc eodem modo ſecernendorum humorum materies creſcit; cum plurimae ex illis particulis, quae antea tum ob molem, tum ob configurationem per *ſecretoria* quaedam Cribra trajici nequaquam poterant, taliter mutatae eadem facilius ſubeant. Quare hinc aperte patet, quod & in eadem propemodum ratione univerſale ſecretionis negotium excreſcere neceſſario debeat: ad quod ultro ſpecialiter confert, & ipſius ſanguinis celerior motus, atque ab ipſo pendens majus momentum, quo ideo ejuſdem jam diviſae particulae in *ſecretorios* porulos impetum faciunt. Adaucto ſic undecunque multiplici ratione ſecretionis officio, deperditiſq; ideo majore in copia tenuvioribus, magiſque laevigatis ſanguinis particulis, quae remanent craſſiores, magiſque aſperae, craſſam magis, magiſque glutinoſam, eadem ratione, maſſam ſanguinis efficiunt, unde peculiaris illa prava ejuſdem *diatheſis* emergit, quae remittentibus gravioribus morbis contingere ſolet. Ab hac eadem mala conſtitutione non abs re eſt, & *oedematoſos* tumores dictos deducere. Cuique enim ſatis notum eſt, fluida quaeque, caeteris paribus, ab eadem motrice data potentia valido magis, minuſve impetu moveri poſſe, prout craſſa, glutinoſave minus, aut magis ſunt; utpote quae ſic recepto impetui varia ratione reſiſtunt. Hinc aperte patet, quam tardo, lentoque motu ſanguis fluere, recedente febri, neceſſario debuerit, cum ex praegreſſis tenax admodum, & craſſus evaſiſſet: quare ſerum utpote tenuvius ab ipſo variis in locis ſecedens, & ſtagnans *oedematoſos* tumores dictos progignere potuit: quorum ideo ratio *primario* a ſolidorum laxitate, *ſecundario* a fluidorum vitio ex dictis, ſimulque ab utriſque petenda jure, ac merito tunc fuit.

CCXCVIII. Praeter haec, quae maximi certe momenti eſſe mihi videntur ad *oedematoſos* hoſce tumores melius explicandos: duas hic ultro mihi placet obſervationes adjungere eidem propoſito perquam faventes, quae in *epidemica* ſpeciali hac conſtitutione tunc obviae ſemper fuerunt. Siquidem, eliminata hac febri, facilius, citiuſque *ſtaſes* haſce in extremitatibus novimus evenire Plebeis omnibus, tum & Militibus maxime, jam ante febrim aſſiduis Belli labo-

laboribus diu, noctuque defatigatis, atque copiosis tunc aquae potibus, simulque Oleribus, aliisque pessimae nutritionis esculentis ad satietatem usque saturatis: quod saepe saepius in Castrensi Regali Nosocomio Pedemontano Cremonae tunc existente diligenter observavi. Praeter haec iis frequentius Pedes, declinante morbo, intumescebant, quibus magis copiose, vigente febri, sanguis eductus fuerat, aut copiosae, diuque protractae *diarrhoeae*, aut narium *haemorrhagiae* evenerant, aut *dysenteria* ipsa, praesertim ob praeposterum purgantium validiorum usum: quam eandem ob causam *gangraenosae* etiam lethales *ulcuscula* in extremitatibus, atque apice praecipue nasi quampluries evenere, de quibus infra sermo habebitur.

CCIC. Si quis autem hic peteret, qui fieret, quod post eductum majore in copia sanguinem *oedematosi* ejusmodi tumores facilius, & majores fierent; non arduum hoc erit explicatu. Tota enim sanguinis moles plus aequo hoc modo imminuta, minus eadem ratione spatium in canalibus occupans, eorundem tunicas minus inde, minoreque cum impetu distendit. Hinc cum ratio vis renisus solidorum in fluida proportionalis plerumque sit impellentium fluidorum potentiae, quae & sanguinis necessario molis universae canales adimplentis, caeteris paribus, rationem sequitur: inde fit, quod imminutas sic (ob praegressas ipsius immoderatas evacuationes, aut alias quaslibet) fluentis sanguinis vires, minor pari ratione solidorum renisus vis subsecuta fuerit, minorque proinde fluidorum ad motum solicitatio, facilior stagnatio, ac demum serosae substantiae a reliqua sanguinis fibrosa portione citior, atque copiosa magis separatio. Idem, mutatis mutandis, dicendum venit de *oedematosis* tumoribus post *diarrhoeas* diutius protractas genitis. Siquidem biliosa, seroſaque maxime portione sic spoliatus sanguis, crassior fit, & glutinosus valde, magisque proinde ad *stagnationem* proclivis. Bilis enim praesertim, ex nativa constitutione sua, ad id specialiter comparata esse videtur; ut (praeter solventem vim suam maxime necessariam, ad solicitandas *Intestinorum excretiones*) activa, atque scindente peculiari sua potentia sanguinem dissolvat, ejusdemque congruam semper fluiditatem conservet; propter quod non incongruam arbitror quorundam opinionem, neque a ratione prorsus alienam, qui putant Bilem ab Hepate separatam, proprium postea *circulatorium* motum adimplere: dum per *cholidochon* ductum ad *Intestinum Duodenum* delata, partim cum faecibus extra Corpus eliminatur; partim *meseraicas* subiens venas, denuo ad sanguinem devehitur, ut cum ipso juncta iterum in Hepate secernatur: pro ut refert doctissimus Joseph del Papa in eruditissimo opusculo suo de humoribus (147) Certe si talis bilis jam a tota sanguinea massa separatae in sanguinem iterum sic habetur refluxus, eodem modo ob ipsius mixtionem



(147) *Joseph del Papa exercit. de Humor. cap.* 8.

nem cum sanguine, ipsum sic dissolvi, atque attenuari, magisque actuosum fieri putarem, quo & a *Testiculis* separatum semen in sanguinem postea refluens, volatiliorem illum reddit, magisque activum, solidaque ipsa elastica magis facit: ad differentiam *Eunuchorum*, qui deficiente hoc tam volatilis humoris subsidio, laxi semper sunt, obesi, & debiles, ac fere cachectici, atque in actionibus omnibus suis *effoeminatum*, quasi dixerim, animum, minusque robustum Corpus semper habent.

CCC. Hinc sedulo semper cavere Medici discant, tum a copiosis nimis sanguinis emissionibus, tum a vehementibus, & saepius repetitis *purgantibus*, non tantum in hisce febribus, verum etiam in aliis praecipue morbis, qui facilius ad *cachexiam* perducunt: cujusmodi sunt primariae Pectoris AEgritudines, atque *naturalium viscerum obstructiones* quaelibet Hyppocondriacis familiares. Discant hinc ultro Tyrones Medici hujusce utriusque evacuationis mensuram, non eandem semper servandam esse, sed in omnibus quidem variam; habito nempe congruo respectu ad peccantis peculiaris humoris naturam, ad morbi ipsius indolem, atque ferociam, tum & ad arteriae exploratae diametrum, quamproxime sanguinis specialem copiam in quocunque AEgroto indicantem, tum ad praegressum victus regimen, nec non ad antehabitas *evacuationes* quaslibet, ex quibus facile *stagnantium* in primis, ut ajunt, viis *cruditatum* suspicio habetur. Frustranea tamen penitus esse videntur hujuscemodi monita, praesertim de *purgantium* validiorum temperantia; cum nostro hoc aevo maxime ab hisce sordibus expurgata magna ex parte Medicina fuerit, atque saniores quilibet Medentes noscant, idem penitus esse in *inflammatoriis* quibuscunque morbis a solidorum specialibus vitiis prodeuntibus, *Catharticis* praecipue uti remediis, eorundemque ope *morbificae* causae solutionem exquirere; ac e pumice aquam stulte elicere. Solidissima haec, atque maxime commendabilis doctrina jam in toto Medico Orbe principatum obtinet, ejusdemque saniora fundamenta, praeter caeteros, perspicacissimus Hecquet, summum totius Medicinae lumen nuperrime promulgavit in Gallia. Tamque soliciti in Italia praesertim videntur Medentes plurimi, de speciali hoc Medicinae canone scrupulose servando; ut nil aliud tum differendo, tum consultando magis inculcatum quotidie sit, quam rigorosa a *purgantibus* temperantia, quam eo magis semper commendandam esse arbitror, quo minus severa, minusque ampla fuerint ejusdem praecepta, utpote peculiaribus quamplurimis documentis, atque cautionibus temperanda: pro ut infra ultro etiam in hujusce febris curatione notũ fiet.

Ea autem omnia, quae supra in enarratae Febris *Petechialis* historia, eo quo potuimus modo, clare, breviterque a nobis proposita sunt, omnimode fere cum illis consentiunt, quae hac eadem occasione accuratissime observavit, literisque humanissimis mihi communicavit eruditiss. Vir

Au-

Auguſt. Florentius Gallaratus mei amiciſſimus, in Regia Ticinenſi Univerſitate Medicinae primarius Profeſſor. Obſervavit enim clariſſimus iſte Vir, quod in pleriſque AEgrotis, qui hac febri detinebantur, eaque gravius laborarent, manifeſte ſemper *ſtaſes* fiebant variae vel in ſupremo, ut ajunt, ventre, vel in medio, ut plurimum in infimo. Quae in Pectore conſiſtebant (quarum ego quoque ſuo loco peculiares addam obſervationes a me factas) per *anacatharſim* ſolvebantur, *ſemiputridis* prodeuntibus aliquando ſputis. Haſce ego a biliofis aliis maxime ſemper differre exiſtimavi, utpote *lymphaticae* indolis participes; eaſque rarius eveniſſe novi, atque praeſertim Hyemis tempore. Tunc autem, & frequens, & moleſta admodum tuſſis aderat, cum reſpiratione magis difficili, aliaque hujuſmodi *ſymptomata* vigebant, quae vere Pectoris varios morbos comitari paſſim ſolent. Pari ratione, ſi ſpecialiter ſupremum obſidebant Ventrem, habito reſpectu ad diverſas occurrentes *ſtaſes*, aut veternoſi per plures dies reddebantur AEgroti, aut phrenitici, aut convulſi: quae diſtincte *ſymptomata* lethalia magis ipſe quoque novit, maxime cum diutius permanerent, aut crudelius ſaevirent. Sæpius tamen contumaces *timpanicos* totius Abdominis tumores, nec raro cum *Icteritia* evenire obſervavit; Quando nempe in imo ventre quomodocunque diſtincte febris cauſa vigebat: quod ego plerumque contigiſſe animadverti, tot aliis ſpecialiter comitantibus *ſymptomatibus*; de quibus ſupra ſatis egimus. Hac de re tunc ſemper biliofis variae indolis Alvi dejectionibus febres haſce tutius, & citius ſolvi, ipſe quoque adnotavit, prodeuntibus perſaepe vermibus. Vidit ultro, quod utplurimum, abſque ulla apparente Renum, aut Veſicae laeſione urinae ita parcae redderentur, ut quamplurimi ex hiſce AEgrotis tota die vix octo tantum urinae uncias excernerent, etiamſi copioſe ſemper biberent; idque modo ineunte febri, ac praeſertim in augmento morbi per plures dies eveniſſe novit, peſſimum ſemper praeſagium proferendo; utpote quod internas ſemper, graveſque *metaſtaſes*, aut proxime futuras, aut inchoatas, aut jam factas indicaret. Quod ad hanc obſervationem ſpectat a praeclariſſimo hoc Viro tunc habitam, certo aſſerere poſſum, quod ex innumeris pene, quos tunc temporis Cremonae curandos AEgrotos habui *petechiali* hac febri detentos, paucos admodum tam parce urinas excreviſſe noverim. Quod ſi aliquando urina in aliquibus ita ſupprimebatur, id tunc ſolummodo evenire conſuevit, cum *cardialgicae* Ventriculi graviores ſaevirent paſſiones, cum *Abdomen* undecunque, & maxime intumeſceret, cum doloribus, & torminibus, ſingultu, atque praecipue cum manifeſta imminentis ibidem inflammationis ſuſpicione. Neque tunc quicquam proderant copioſae potiones ad ſuppreſſas magna ex parte urinas ciendas, aut validiora quaevis diuretica remedia. Utilia tamen ad id admodum expertus ſemper

per fui *emollientia* fomenta ſaepiſſime, ac fere continuo *Abdomini*, verſus Pubem maxime, applicata. Ipſorum enim ope (niſi tamen confirmata jam inflammatio eſſet) paulo poſtea copioſe fluebant urinae: quod rationi ipſi tunc conſonum erat. Siquidem fomenta haec *Abdomen* undique extrinſecus laxando, internas quoque lenire partes ſummopere poterant, atque fibrarum omnium criſpaturas tollere, propter quas tum Renum *excretorii* poruli ſtrictiores, quam par erat, ob praedictas cauſas, evaſerant; tum & ipſa Veſica fere per *ſpaſmodiam* coarctata maxime fuerat. Praeterquamquod, ſi verum eſt, quod *Abdominis* muſculorum vis non parum confert tum ad Alvi, tum ad Veſicae excretiones obtinendas; dum ipſorum fibrae ex dictis contractae ita erant, tale tunc deerat adminiculum ad expellendas urinas neceſſarium, quod ideo fomenta emollientia reſtituere facile poterant. Nec tantum parcas ita urinas in hujuſmodi AEgrotis aliquando obſervavimus, verum etiam perfectam quandoque *Iſchuriam*, *Stranguriam*, & *Dyſuriam*. Attamen gravia haec Veſicae *ſymptomata* nunquam profecto febricitantibus hiſce a me curatis eveniſſe novi, quamvis innumeros penetunc habuerim, cum praeter Cives noſtros, praeter Noſocomium majus noſtrum AEgrotis hiſce omnimode repletum, maximum quotidie numerum Militum in Noſocomio generali Pedemontanorum, Cremonae tunc exiſtente, inviſerem, eademque ubicunque *petechialis* febris graſſaretur. Quod ſi AEgroti iſti a me curati ab hiſce *ſymptomatibus* immunes penitus, & ſemper fuerunt, dum alii quamplurimi alia methodo tractati, iiſdem graviter vexabantur; id nulli alii rationi tribuendum melius eſſe putabam, quam ſervatae a me ſemper temperantiae a *Veſicantium* uſu. Satis enim cuique conſtat, quam facile, quam crudeliter fere ſemper veſicam afficiant *cantharidum arſenicales* particulae: quod eo magis ex dicendis infra patebit. Idcirco alii Medici in hac *conſtitutione petechialis* dictae febris *veſicantibus* indulgentes, diuturno magis certe tempore, majoreque ſolicitudine uti debebant, ut inde ortae *Iſchuriae* proſpicerent, quam ut febrim ipſam omnimode evincerent. Neque fauſto hinc ſemper res ipſis omine aeque ceſſit. Nonnullos enim tunc vidimus, devicto jam ex toto primario morbo, *petechiali* nempe febri perfecte ſoluta, aut ob ſuperadditam *Iſchuriam*, indeque ſubſecutam inflammationem, miſerrime occubuiſſe: aut ob genitum ulcus in parte, ubi *veſicantia* conſtiterant, diutiſſime, graviterque laboraſſe: quae omnia praeſertim in Noſocomiis, & ſaepius, & facilius eveniſſe obſervavimus. Quo ad exitum enarratae febris ſpectat, praelaudatus quoque Gallaratus ſemper cognovit, occurrentes *Petechias* eo magis infauſtum protuliſſe omen, quo magis livido, cinereove inficerentur colore. Id quoque adnotatu maxime dignum fuiſſe in hujuſce febris curatione ipſe exiſtimavit, quod, quum in habitis

habitis alias similibus constitutionibus sanguinis emissio non tantum inutilis, verum etiam nocua comperta fuisset; tunc omnem, praecipuamque curationis paginam adimpleret, maxime si pluries etiam, juxta AEgrotorum peculiares constitutiones, congruo tempore celebrata foret. Siquidem natura ipsa id plerumque provide Medicis indicabat; dum copiosa Narium *Haemorrhagia*, quandoque etiam usque ad uncias centum prodeunte sanguine, morbum tuto, citoque solvere saepe consueverat. Attamen sanguinis iste Narium fluxus facilius, & copiosius AEgrotis illis evenit, quibus aut nunquam secta tunc fuerat vena, aut parce nimis sanguis prodierat. Ego quoque maximam emissionis sanguinis necessitatem, utilitatemque in hisce febribus semper cognovi; quod servata a me subsequens methodus fusius ostendet. Hoc unum hic dicam, quod, quamvis praesidium hoc opportunum maxime tunc existimaverim, semper tamen & modum, & tempus, & rationem secandi venam attente servaverim. Irrationales enim Medicos illos arbitrabar, qui eo plerumque frequentius *Phlebotomum* tunc accersiri jubebant, quo certius putabant, in vehementibus hisce febribus, eadem prorsus ratione morbi ferociam sedari, qua AEgrotorum vires, iteratae, copiosaeque sanguinis emissionis ope, enervantur, ac pene destruuntur. Inconsultam autem hanc curandi methodum quilibet certe respuet, si rationem potius, quam aliorum exempla sequi amet. Unus enim pro cunctis cuique sufficiat doctissimus Freind (*) sic loquens. *Acri saepius judicio opus esse fateor, quando in febribus acutis sanguinem educere oportet, quando secus: habet enim ea res multas cautiones. Hoc unum videtur perpetuum venae sectionis indicium, si ad caeteras, quae modo descriptae sunt, notas accesserit pulsuum robur. Et venam quidem in Acutis circa initia maxime secari praestat, cum vires adhuc integrae sint: nam alias saepe, aut inclinante jam morbo nihil proficit, aut inveterascente mortem maturat.*

SECTIO

(*) *Freind. in Com. 2. de Febribus.*

# SECTIO TERTIA

## CAPUT SECUNDUM.

### *Hujuſce Febris cauſa, & curatio, praeſertim de ſanguinis miſſionis, & purgationis ratione, atque uſu Veſicantium in hujuſcemodi febribus &c.*

CCCI. Eneralis ejuſmodi fuit talis febris propria indoles, quã plerumq; primis menſibus, quibus illa graſſari primo coepit, obſervare ſpecialiter potuimus. Tot aliae tamen adjungendae erunt differentiae peculiares, quae juxta affectorum corporum conſtitutiones varias, diverſaſque aeris occurrentes viciſſitudines, in poſterum rimandae fuerunt, quae quidem, etſi ab eadem primaria generali emanantes cauſa, ſpecialem tamen Medici animadverſionem expoſcere jure, ac merito videbantur, maxime cum perſaepe graviſſima, atque ſingularia afferrent *ſymptomata*, quae totum, atque praecipuum curationis momentum ſibi aſciſcere conſueverunt. Antequam autem peculiares hoſce iſtius febris characteres, iiſdemque magis congrua adhibita remedia in medium proferam: pro majore aſſumpti mei dilucidatione ſatius arbitratus ſum, generalem a me ſervatam in hiſce febribus methodum (quam quidem, utpote ſimpliciorem, tutiorem, minuſque AEgrotis incommodam, nec non fauſtis fere ſemper eventibus confirmatam, amplexus fui) paucis, fideliterque adaperire.

CCCII. Aſt cum non *Empirico* more ductus (quod quidem, utpote Medico inconveniens penitus, ſimulque AEgrotis nocuum, effugere ſemper conſuevi, atque cum clarioribus omnibus Medicinae Proceribus ſemper condemnabo) ſed rationali quidem perficere tunc ſemper curationes fategerim; cauſam nempe morbi, tum *procatharticam*, ut ajunt, tum *internam*, atque *immediatam* ſaniore ſcrutinio eruens; indeque tutioribus, magiſque genuinae ipſius morbi naturae analogis *indicationibus* deductis, magis efficacia poſtmodum remedia ſeligens, vi, cauſaeque morbi tutius, citiuſque evincendae magis conferentia: Operae pretium me facturum, pro certo habui, ſi priuſquam ſervatam tunc

a me

a me curationis normam oſtendam, ea omnia prius exhibeam ratiocinia, quibus tum morbi, tum adnexorum ipſi *ſymptomatum* quorumcunque peculiares me attigiſſe cauſas exiſtimo, ipſiuſque methodi fundamentum me rationabiliter firmaſſe.

CCCIII. Dum Febri huic teterrimum *malignitatis* nomen mihi placuit adjungere, non venenatum, fere dixerim, ejuſdem principium indicare in animo habui: Febrim illam videlicet, quae, ut Dolaeus ait (148) *blanditur, & fallit inſtar Canum, qui minus latrant, acrius mordent*, atque breviſſimo temporis intervallo motum ſuum luctuoſe adimplens, AEgrotos citiſſime jugulat. Febrim hanc *malignam* appellare conſuevi, ut Medicorum, atque AEgrotorum me ſermoni vulgari adaptarem, illam intelligens (149) *quae variis, graviſſimiſque ſtipatur ſymptomatibus, ruitque in deterius*. Fixum enim mihi, ratumque eſt, quod plerumque febres illae (150) *quae nobis videntur malignae, a viſcerum phlegmone, aut eryſipelate fiunt, ideſt a cauſa evidente, & manifeſta*: quod verum eſſe, ſemper arbitror, ſive in cavitate Pectoris, ſive Abdominis, ſive in Capite primario ſedem obtineant, aut a quovis ſtagnante ſpecialiter humore proficiſcantur; *lymphatico* nempe, *ſanguineo*, bilioſo, aut alio quolibet ab univerſa ſanguinis maſſa ſecedente, atque extra *circulationis* aream quomodolibet deviante.

CCCIV. Hinc ſatius *malignantis* naturae febrim ejuſmodi dixerim, *petechialem*, atque *epidemicam*, in Abdomine praeſertim fixam habentem cauſam, quae juxta conſuetum acceſſionis modum, *ſymptomatumque* peculiarium comitatum, reduci merito poſſe videbatur ad illas omnes, quas idem indicavit expertiſſimus Baglivius: ad *Tritaeophyam* nempe, *Hemitritaeum*, *Triphodem*, *Aſſodem*, *Elodem*, *Lypiriam*, & *Epialam*: licet neutram ex hiſce ipſam omnimode referre, quilibet ex allata ſupra hiſtorica hujuſce febris deſcriptione primo intuitu noſcere ſatis poſſit. Omnibus itaque perſpectis, quae hujuſce febris propria fuere, *ſymptomattibus*, attentoque ſimul progrediendi ordine, ad *malignantium* indolem referendam illam eſſe, nemo negabit; dum juxta divini Senis mentem (151) *Rigores, qui ad rigorem tertianae accedunt, ſiquidem in medio exacerbantur, febri quidem nullum ordinem retinente, admodum maligni ſunt*: quare alibi ex eodem Praeceptore didicimus, quod (152) *Quae tertianae modum febres referunt, & anxiae ſunt, malignae*.

CCCV. Cum primum febris haec circa initium menſis Martii anni 1734. graſſari coepit, ſaeviſſimam undecunque tyrannidem ſuam exercens, ſatius cunctando, quam temere agendo muneri Medico ſatisfieri a me poſſe in earundem curatione arbitratus certo fui, juxta ſolertiſſimi Sydenhamii monitum apte

(148) *Dolaeus Cap. 5. de Febre maligna.*
(149) *Bagliv. de Febr. malig., & Meſenteric.* (150) *Idem ibidem.*
(151) *Hippoc. in Coac. lib. 1. n. 26.* (152) *Idem ibidem n. 34.*

te docentis: expedire (153) *Quando novae febres graſſari incipiunt, cunctari pauliſper, & ad magna praeſertim remedia non niſi ſuſpenſo pede, ac tardius procedere, diligenter interim illarum genium, atque morem obſervare; quibus itidem praeſidiorum generibus AEgri juventur, vel laedantur, ut quamprimum, his repudiatis, illis utamur.* Semper enim in morborum quorumlibet curationibus, ac praecipue ſub initium *epidemicae* hujuſce *conſtitutionis*, non tam facile, quin immo ſummopere arduum id eſſe putavi; genuinam nempe ipſius indolem, atque *individualem* conditionem ſtatuere, ut veriſimilis inde ipſius cauſa, atque curandi tutius principium emergeret. Haec namque non ratiociniis ſolum, non ſpecialibus, aut ingenioſis quibuſvis commentis aſſequi unquam poteſt Medicus; ſed obſervationibus maxime, atque tutioribus a natura ipſa mutuatis fundamentis. Appoſite enim admodum eruditiſſimus docet Hecquetus, quod in hiſce tenebris (154) *Naturae ſpectator factus Medicus otiando agit, de illa operante tutus, quae illius cauſa, & nomine agit indeſinenter, nec infructuoſe. Illius enim patientiae fructus eſt reſciviſſe modum, quo ferus ille cicuratur, vincitur tandem Morbus, modo hac, illa modo vacuandi ratione, non infrequenter evacuatione ſenſibili nulla.* Sanioribus hujuſcemodi documentis innixus, poſthabitis quibuslibet praejudiciis, ſive ab auctoritate, ſive a Theoricis ſpeculationibus mutuatis, liber ōnimode factus, febris hujuſce genium inveſtigare ſedulo aggreſſus primo fui, motus ipſius omnes, *ſymptomata* quaeque, variaſque mutationes pro varietate affectorum Corporum paſsim occurrentes (quae omnia pro ingeniolo meo, meliore, quo licuit, modo, in allata febris hiſtoria enucleare ſupra curavi) perſcrutando: ſimulque peculiares attendendo evacuationes, quibus haec ſpecialiter potius, quam alia febris ſolvi plerumque viſa eſt.

CCCVI. Dum ad haec animum rite intenderem, tum in Noſocomiis, tum in Urbe frequenter AEgrotos hoſce inviſens: vulgaris ſubito illa inter Medicos quaeſtio prodiit: an febris ſcilicet haec a principio *coagulante* vere penderet, an potius *diſſolvente*. Utrinq; tunc de hoc variae fuerunt ſententiae. Alii enim vehementes febriles aeſtus attendendo, robuſtiora Corpora vividiore juventutis flore gaudentia, atque ſpirituoſis eduliis, & potibus maxime aſſueta, nec non bilioſa magis, volatilique ſanguinis compage caeteroquin praedita, quae facilius, quae gravius, quam alia, ſaevi hujuſce morbi tyrannidem pati ſolita erant: variaque ſimul alia ſpectantes *ſymptomata* hujuſce febris familiaria; recte inde deduci poſſe arbitrabantur ipſam a *diſſolutione* maxima ſanguinis unice, & primario pendere. Plerique tamen oppoſitam tueri ſententiam non dubitabant, certo putantes, genuinam tum ejuſdem febris, tum adnexorum ipſi *ſymptomatum* originem

(153) *Sydenh. de morb. epidem. Cap. 2.*
(154) *Hecquetus in monit. ad append. de Peſte.*

originem non aliunde melius, quam a *coagulante*, atque *incrassante* vi in sanguine dominante derivandam esse. Id enim testari satis videbantur Capitis gravedines, & dolores, mentis stupores, virium prostrationes praeviae, cum universali Corporis torpore, ad somnum nimia proclivitas, auditus obtusus, eidemque succedens fere semper surditas, cum *tinnitu*, & *sibilo*, *petechiales stases*, *oedematosi* partium extremarum tumores, aliaque *symptomata* quamplurima, quae febrim hanc utplurimum praeibant, comitabantur, atque sequi solebant.

CCCVII. Hisce potissimum de causis, hanc potius, quam aliam me amplecti merito debere sententiam primo existimavi, atque publice in occurrentibus consultationibus profiteri non dubitavi. Re autem melius considerata, actuosum admodum, atque mobile principium, sanguinis universam massam *dissolvens*, agnoscere coactus postea fui. Ea namque *symptomata*, quae sanguinis *coagulationem* aperte indicare videbantur, ac verae *stasis* genuinae soboles erant, patentes satis attenuati, atque maxime mobilis sanguinis necessarios effectus demonstrabant. Ideo enim in interstitiis cutis, in *lymphaticis* tubulis undique stagnando sanguis, *petechiales* praeseferebat maculas; quia *lymphaticos* eosdem validius subiens canaliculos, extra *aream circulationis* dejectus, communi *circulationis* consueto motu fraudatus erat. Quod si non absimiles in internis etiam Corporis partibus *primariis* factas eodem modo *stases* supponere non irrationabiliter velimus; inde etiam aliorum *symptomatum* tutior explicatio, illi conformis, habebitur. Quomodo autem quispiam violentas hasce, atq; tumultuarias sanguinis deviationes a consueta *circulationis semita* factas percipere unquam poterit, nisi acceleratum admodum ipsius motum supponat, humorumque tenuitatem maximam a *dissolvente* peculiari principio petendam? Ab hoc uno profecto fonte facile erat deducere, quomodo nam sanguis admodum tenuis redditus, & mobilis, simulque majus ab adaucta eadem ratione velocitate momentum nactus, in canalium tunicas magno impetu irrueret, *lymphaticarum arteriolarum* ostiola ampliaret, atque subiret facile: quomodo minus resistentes sanguineorum vasorum tunicas dirumperet; unde *Narium Haemorrhagias*, aut *Uteri*, aut *Haemorrhoidum* in quamplurimis evenisse novimus: quae quidem a crasso, glutinosoque sanguine, atque ad *coagulationem* maxime tendente derivari nec semper, nec tam facile possunt. Hac de causa *lenientia* quaeque, *incrassantia*, atque *acida remedia* in hujusce febris curatione caeteris omnibus palmam praeripere visa sunt; quae certe nocua admodum in alia hypothesi evasissent, si *coagulationis* veridicum adfuisset principium in toto sanguine; quo in casu, tanquam pestem, sanguinis missionem condemnat expertissimus Baglivius, dum absolute statuit, quod (155) *Si*

*vel*

(155) *Baglivius de febribus in genere.*

*vel minima ſuſpicio aderit febris malignae ex coagulatione; cave a ſanguinis miſſione, tanquam peſte*: quae quidem ex oppoſito juxta morbi, & AEgrotorum conditiones varias recte uſurpata, feliciter evadere ſemper viſa fuit.

CCCVIII. Hujuſcemodi *diſſolvens actuoſum* principium a volatili exaltata, ut ajunt, admodum bile petendum ſpecialiter eſſe videbatur: ex cujus imperio, atque actione omnia ſupra enarrata iſtius febris *phaenomena* derivari commode poſſe, nemo certe inficiabitur. Amarus iſte liquor, mediis *Hepatis*, & *cyſtifelleae* colatoriis tubulis a tota ſanguinea maſſa ſecretus, quo uſque laudabilem omnimode conditionem obtinet non admodum *diſſolventem*, blanda mordaci, qua pollet vi, non tantum ad faecum faciliorem *excretionem* mirabiliter conducit; verum etiam, ut alias ſupra adnotavimus, *meſeraicas* magna ex parte ſubiens venas, iterum in circulum cum ſanguine reducitur, ipſiuſque componentes particulas opportune dividit, atque in earundem interſtitia ſeſe intrudens, impedit quo minus ſanguineum fluidum ad *coagulationem* tam facile vergat: ex quo fit, ut *circulatorio* univerſo perennando motui ſpecialiter inſerviat; quod videre eſt ex peculiaribus quamplurium morborum *ſymptomatibus*, ob morboſas *Hepatis* conſtitutiones varias, atque *obſtructiones* plerumque ſubortis: ex *Cachexia* nempe, *Hydrope*, aliiſque morbis, ſanguinis glutinoſam naturam indicantibus, quae hic ſingillatim enarrare, atq; explicare ſupervacaneum prorſus arbitror. Hinc dum bilis a moderata hac *deterſiva*, atque *ſcindente* vi ſummopere deflectens, ob actuoſa nimis reddita ejuſdem principia (quae non vacat hic cum Chymicis, aut cum mechanicis determinate aſſignare) *diſſolventem* plus aequo, atque *attenuantem*, *actuoſamque* potentiam induit, univerſam ſanguinis maſſam inde diſſolvit quammaxime, & incidit, atque ita ſubdividit, ut in febriles violentos aeſtus datis temporibus, atque in determinatis ad id conferentibus circumſtantiis perduci facillime poſſit, ſimulque tumultuarios quoſcunq; ſuſcitari motus, innumeris gravioribus progignendis *ſymptomatibus* idoneos; maxime cum ab eadem cauſa ſolidorum quorumlibet *oſcillationes* magis fortes, magis frequentes fiant.

CCCIX. Quod una potius, quam altera vigente tempeſtate bilis potius, quam lympha, haec potius, quam *balſamica*, ut ajunt, vividior ſanguinis *diatheſis* in Corporibus quibuslibet copioſe magis vigeat, atque ſpeciales exſuſcitet analogas *AEgritudines*, tam notum cuique eſt, ut nemo oppoſitum tueri rationabiliter valeat; quod & ſupra ſatis attigimus. Ob eandem rationem fit, quod & in variis aeris peculiaribus conſtitutionibus, conſuetis anni quatuor tempeſtatibus adamuſſim reſpondentibus, homogenei hiſce morbi ſuboriantur, qui analoga iiſdem pariter *ſymptomata*, atque fere ſemper ſimilia quocunque anno plus, minuſve exſuſcitant. Quid ergo mirum, quod poſt diu protractam antea

rea siccitatem, intempestivis Veris tempore caloribus subsequentibus, aestivos etiam grassari praemature morbos viderimus? *Tertianas* nempe *febres* omnis generis, *Diarrhoeas*, *Dysenterias*, *Cardialgicas Ventriculi*, atque *Intestinorum passiones*, *Choleram* ipsam &c. Isti certe morbi omnes bilioſum satis praeseferebant principium, a cujus potente magis dominio *malignantis* etiam hujusce febris originem eo rationabilius deducendam esse putavi, quo frequentius novi, plerumque, aut post *tertianas* male curatas febres, *petechialem* febrim istam paulo postea subsecutam esse: aut etiam hac profligata, *tertianas* saepissime immediate succesisse. Id ultro evincere satis poterant *symptomata* illa omnia febrim hanc passim comitantia, quae *tertianarum* etiam *febrium* propria vere sunt: tum & invadendi modus, cum *alternis* rigoribus, more *tertianarum* occurrentibus, nec raro etiam cum simulata febris *intermissione*, doloso accedente sudore: propter quae non semel vidimus, quod, dum *proditoriis* hisce apparentibus notis, *tertianam spuriam* febrim initio credentes, ad *Chinam Chinam* confugere Medici arbitrabantur, de AEgrotorum salute non parum sperantes, ad *specifica* alia magis congrua remedia confugere derepente coacti erant, atque in ancipiti admodum AEgrotorum vitam indicare, quam in tuto ponere paulo antea minus verebantur.

CCCX. Hinc appoſite admodum de hac febri sic animadvertit Ludovicus Mercatus in obſervationibus diligentissimus. (156) *Habet quoque id fallacissimum, nimirum ad tantam remissionem in principio devenire, ut facile incautos, & imperitos Medicos decipiat.* Nec tantum in principio *tertianarum* febrium aemula febris ista videbatur; verum etiam in progressu, atque remissione. Praeter alia enim *symptomata* illius propria, satis bilis dominium testabantur oris maxima amarities, croceus faciei color, atque bilioſae, maxime copioſae *excretiones* inferius utplurimum, non raro superius, & *critice* factae. Insuper graviora quaeque *symptomata* febrim hanc comitantia, quae ab imo ventre suboriri manifeste videbantur, plerumque in *Hepate* subsidebant; unde ibidem & doloris, & tensionis notas saepissime obſervavimus, male affecto quoque per *consensum Ventriculo*, atque *Intestinis*, cum quibus mutuum adest tum nervorum, tum vaſorum commercium. Quod si praeter haec, atque alia morboſa *phaenomena* (quae manifeste a latitante in imo ventre utplurimum primaria causa derivari, nemo ignorabat) consuetas etiam Capitis affectiones adjungere velimus; dolorem nempe capitis, gravamen, mentis stuporem, atque surditatem &c. non absimile profecto eorundem principium censendum est: quod ultro magis, primo vix intuitu, patere cuique poterit, si manifestum *Capitis* cum *Hepate*, atque aliis imi Ventris praecipuis Visceribus consensum satis calleat: quē in affectione *Hyppocondriaca* maxime, atque praesertim in *abscessibus* Hepa-

P tis,

(156) *Ludov. Mercat. Cap. 2. de Malign. febr.*

tis, ob Capitis vulnera graviora non ſemel factis, perſpectum optime habemus. Addam ultro, quod plerumque ii gravius, ii facilius ab hiſce febribus corripiebantur, qui robuſtiores erant, Juniores, atque Cholerici maxime, aut vino magis, atque aromaticis eduliis indulgentes. Quare merito ex Savonarola habemus, quod (157) *Corpora naturaliter in poris lata, ut ſanguinea, cholerica, caeteris aliis paribus, ſunt paratiora febrim incurrere peſtiferam.* Inſuper ii praeſertim *malignantem* febrim hanc paſſi ſunt, qui antea *tertianis* febribus frequentius laboraverant, aliiſve hujuſce indolis morbis a bile unice pendentibus. Hinc *Hepatis*, aut *Lienis*, aut utriuſque etiam viſceris tumores non raro febres haſce praeibant, aut ſubſequebantur: quod perquam facile *recrudeſcentiae* morbi anſam praebebat.

CCCXI. Hiſce omnibus de cauſis, atque aliis ultro (quas ex ſe ipſo quilibet a ſuprapoſita febris hiſtorica deſcriptione, atque ab iis, quae poſtea dicentur, facile deducet) certe putavi febrim hanc ad *tertianarum* principium, atque indolem magna ex parte reducendam eſſe; licet & ratione *continuitatis*, & vehementiae *ſymptomatum*, & brevioris utplurimum curſus, atque ob alias rationes, ab illis merito differre videretur. Pari ratione, expertiſſimo Sydenhamio febris *dyſenterica* audiebat continua illa febris, quam *Dyſenteria* dominante caput extuliſſe ipſe dicit. (158) *Eaſdem enim ubique* (monet ipſe) *cauſas manifeſtas, & apparentes habuit, quas dyſenteria, eadem etiam per omnia ſymptomata, quae dyſentericorum febrem comitabantur.* Quod quidem ratiocinium caſui noſtro perquam facile aptari poteſt.

CCCXII. Quod ſi quiſpiam in hoc ſententiae meae nil penitus aſſentiri velit; atque, dum a bile praeſertim iſtius febris principium, ſanioremque explicationem deduci debere autumo, aliunde hoc haberi melius poſſe, pro certo habeat; ſatis mihi erit innuere ſuam aeque, ac meam opinionem fallaciis obnoxiam eſſe poſſe: Licet ſimul putem, meam non debili ex toto ſtare pede, atque non ſine recto, aut ſaltem veriſimili ratiocinio prolatam eſſe. Quidquid ſit de hoc: ſatis omnes noſcunt, ratiocinia quaeque medica *conjecturalia* tantum eſſe, utpote occultis innixa principiis, nunquam ſatis cognitis. (159) *In morbis enim ſive acutis, ſive chronicis producendis viget occultum quid per humanas ſpeculationes fere incomprehenſibile, & niſi juvantium, & laedentium teſtimonio in illius cognitionem perveniamus, adminicula mentis irrita prorſus experiemur.* Hinc, niſi patentes audaciae notas mihi attribui poſſe viderem, non dubitarem aſſerere, habitas a me de hujuſce febris cauſa *ſpeculationes* a recto veritatis tramite minus alienas fuiſſe, quo magis iteratis obſervationibus confirmatae erant, atque iis maxime, quae, utpote a *juvantium*, & *laedentium* remediorum

(157) *Mich. Angel. Savonarola de febr. malig. Cap. 9.*
(158) *Sydenh. Cap. 4. de conſtit. ann. 1669., 70., 71., 72.*
(159) *Baglivius lib. 2. prax. Cap. 9.*

remediorum exitu proficiscentes, erroris minus participes esse solent.

CCCXIII. Quod a diuturna praevia hac siccitate maxima, velut i generali causa, acuta haec febris originem traxerit, eo fidentius asserere non dubitavi, quo magis consonum videbatur Hippocraticae sententiae, dum ipse monet, quod (160) *In siccitatibus febres acutae fiunt. Et siquidem annus pro majore parte talis fuerit, qualem fecit constitutionem, utplurimum etiam tales morbos expectare oportet:* quod casui nostro mirabiliter congruit. Tunc autem acutos plerumque morbos, & facile vincendos evenire, censet doctissimus nostri temporis ejusdem cōmentator Hecquet; ideo quia actuosus hinc magis redditus sanguis, concitatiores excusitat tumultus, graviorum *symptomatum* parentes, simulque *coctiones* necessarias accelerat. Quanta nam sit aeris vicissitudinum quarumlibet vis ad diversas in humoribus conditiones producendas, nemo non novit, dum aut ipsi crassescunt, atque ad motum inertiores redduntur, aut nimis attenuantur, comminuunturque, quare violentius, & tumultuarie nimis motus suos adimplent. Verum cum humorum motus *mutuatitius* tantum sit, a solidis veniens; proinde necessario constat illos tantum ab aere alterari neutiquam posse, nisi & ab eadem causa simul solida eadem ratione patiantur. Hinc facile est concipere, quomodo nam in puriore hac aeris constitutione, diutius praeter solitum siccitate protracta, & solida ipsa vegetiorem contraxerint renisus vim, frequentibus, atque validioribus suscitandis *oscillationibus* quammaxime idoneam. (161) *Ad aeris enim elateris rhythmum oscillant, aut vibrant Corporis potentiae: quapropter si vehementius, festinantiusque oscillet aer, praecipitantius oscillabunt potentiae vitales; sicque aeris elateris modus, motus, mensura est norma vitae, sanitatis regula.*

CCCXIV. Hac posita humorum *attenuatione* inde facta, additaque simul *energetica* solidorum potentia; quis non videt a concitatiore hinc exsuscitato fluidorum motu, atque componentium molecularum necessario consequente collisione forti, quantum ultro subdividi, imminui, atque attenuari potuerint; unde postea volatiles moleculae majore in copia exsurgerent, atque actuosae maxime, vix suo loco unquam stabiles, a quibus biliosi hujusce humoris magis in casu nostro furentis originem petendam esse satis constat. Hinc dum hujuscemodi aeris temperies, fere semper eadem constanter permanens, diu admodum protracta esset, eaedē propemodum febres diuturno tempore dominari visae sunt, iisdem penitus stipatae *symptomatibus, criticisque* conformibus motibus fere semper solutae, atque vix paululum, pro diversitate affectorum Corporum immutatae. Id pariter indicavit Hippocrates. (162) *In constantibus temporibus, si tempestive tempestiva reddantur, constantes, & judicatu faciles fiunt morbi: in inconstantibus*



(160) *Hippoc. Aphor.* 7. *Sect.* 3. (161) *Hecquet in appendice de Peste.*
(162) *Hippoc. Aphor.* 8. *Sect.* 3.

*autem inconstantes, & difficiles judicatu.* Quod elegantissime admodum explicat praeclarissimus Hecquet, sic: (163) *Aer ergo vitae norma est, regula sanitatis, potentiarum Corporis momentum, elaterum fons, altor, & principium, quas omnes vires, quo agit ordine, rhythmo, aut moderamine, constantia pari moderatur vitae causas.*

CCCXV. Mirabitur hinc fortasse aliquis, quod a siccitate diutius protracta hujusce febris originem absolute deduxerim: dum caeteroquin tum ratione, tum experientia duce, potius constare videtur, *malignantes* hasce febres in austrinis, atque pluviosis constitutionibus maxime exsurgere, atque crudelius saevire: quod clariorum Medentium observationibus convenire optime videtur, pro ut ipse indicavit Hippocrates. (164) *Ex anni vero constitutionibus* (ait ipse) *in universum quidem siccitates pluviosis sunt salubriores, & minus lethales.* Hoc explicat optime Hecquet in commentario; quia quo siccior est aer, eo subtilior, atque purior est; quia minus imbutus aquosis particulis, a quibus passim inficitur, maxime cum a terreis humidis, aliisque *evaporationibus* coinquinatur, a quibus imbrium materies efficitur. Addam ego; quod morbi in siccitatibus occurrentes, licet (ob allatas supra rationes) acuti fiant, & graves; minus tamen lethales sunt, eo quia *coctiones* nocuorum humorum facilius perficiuntur, sicuti & eorundem *excretiones*; ob majorem nempe solidorum elasticam vim, fluidorumque *volatilitatem* nimiam; secus ac in pluviosis australibus constitutionibus, autumno praesertim vigentibus, quando nempe (ut experientia ipsa docet) graviores, contumaciores, atque magis funestis stipatae *symptomatibus* aegritudines occurrunt. Praeterquamquod placet hic ultro animadvertere, quod Hippocratica sententia haec aliter etiam intelligenda esse videtur: quod nempe, ideo communiter siccitates imbribus salubriores sint, quia plerumque etiam sani melius sub aere sicco, quam pluvioso degunt, atque ad actiones omnes obeundas alacriores redduntur, magisque expediti. Etenim si absolute statuendum inde esset, quod graviores plerumque, & frequentius morbi accidant, in constitutione aeris pluviosa, quam sicca: nemo certe perciperet unquam, cur in sicca hic enarrata diuturna constitutione febres hae magna in copia dominatae fuerint: dum secus pauci admodum, ac fere dixerim nulli exitiales morbi visi sunt insurgere ineunte anno 1736., dum haec scribo; quando nempe continue tribus fere mensibus pluviosum semper, aut saltem nebulosum Coelum experti fuimus, perquam raro libero Solis lumine gaudentes: prout alias in sequenti constitutione fusius explicabimus.

CCCXVI. Adnotandum hic etiam est, quod si specialem febrem hanc cum aliis conferamus, quas alias in austrinis pluviosis constitutionibus grassatas distincte fuisse novimus: nil penitus similis reperietur; cum istae

(163) *Hecquet in Commentario.* (164) *Hippoc. Aphor. 15. Sect. 3.*

iſtae raro per *excretiones* Alvi ſolvi ſolitae fuerint; ſudoribus plerumque, aut urinis, aut aliis hujuſcemodi criticis motibus praeviis remittentes. In hiſce autem *lymphaticum* fortaſſe potius principium, quam aliud aderat, quod nulla ratione per Alvum ſolvi rationabiliter poteſt: pro ut in progreſſu iſtius conſtitutionis *malignantium* febrium prope hyemem, nos etiam obſervaſſe poſtea patebit. Bilis autem (quam genuinum hujuſce febris principium fuiſſe diximus) nullo alio modo melius, quam per Alvum vincebatur. Quod autem in ſicca conſtitutione hac potius, quam alia, magis copioſa, magiſque activa bilis ſpecialiter vigeret, ut dixi: ſatis oſtendebant praematuri aeſtivi morbi, quos magna in copia tunc habuimus veris etiam tempore.

CCCXVII. Attamen non deerunt hic Naſutiores aliqui, ingenioſis potius ſpeculationibus, quam veridicis obſervationibus Medicinam ditare affectantes, qui mechanicis ratiociniis tantum, atque ſpecioſis quibuſvis vocabulis a Matheſi mutuatis aſſueti, haſce bilis nomenclaturas, atque ab ipſa petitas ratiocinationes, utpote rancidas, obſoletaſque penitus reſpuent, atque faſtidiente ſtomacho ferre vix poterunt. Hinc a me petent anxie, quomodo nam factum fuerit, quod bilis haec (quam tertianarum quarumlibet principium eſſe ſupra ſtatuimus) continuas poſtea acutas haſce pernicioſiſſimas febres exſuſcitare potuerit, atque tam diverſa, multiplici ratione, morboſa *phaenomena* progignere. Rem arduam profecto poſtularet quicunque ſic loqueretur; cujus tamen genuinam rationem in quacunque alia etiam Hypotheſi tuto proponere, atque explicare nemo poſſet. De hiſce autem differere ultro fruſtraneum eſſe prorſus arbitror. (165) *Etenim ut impoſſibile plane eſt, ut Medicus eas morbi cauſas ediſcat, quae nullum prorſus cum ſenſibus habent commercium, ita neque eſt neceſſe; Abunde enim ſufficit, ut ſciat, unde immediate oritur malum, taleſque ejus effectus, atque ſymptomata, ut inter hunc, aliumque morbum hujus non diſſimilem, valeat accurate diſtinguere.* Sufficit ſcire quid vere illud fuerit, quod praecipue ejuſmodi febribus anſam praebuerit: quommodo autem egerit, parum refert hic quaerere. Verum ſi in re tam ambigua, neque tuto ſatis unquam explicanda, eo quo poſſumus, modo ratiocinari velimus, haud alienum penitus a veritate putarem aſſerere, ſeu melius conjicere, quod in hiſce ſpecialiter, ſecus ac in tertianis febribus, & majore in copia, magiſque activa, & mordax vigeret bilis, quae quidem non de tertio in tertium, neque data qualibet periodo (ut de *tertianis* quibuslibet, atque *quartanis* abſolute ſtatuere non dubitavimus) circa propria *emunctoria* accumularetur: quin imo ibidem magna ex parte congeſta, bilioſos fere dixerim *abſceſſus* progigneret, propriam *maturationem*, aut *reſolutionem* citius, tardiuſve ſubire valentes; unde breviore, magiſve diuturno



(165) *Sydenham. in praefat.*

temporis intervallo febris ipſa remitteret, nempe decima quarta die, aut tardius poſt ipſam. Satis id evincebant pleraque *ſymptomata* in tertianis quoque familiaria, dolor nempe fere ſemper perſiſtens, & tumor in regione Hepatis, aut non procul ab ipſa, croceus faciei color, aliaque quaecunque accidentia morboſa, quae eadem fere ratione remittere utplurimum videbantur, qua & Alvus bilis majorem copiam congruo tempore educebat; ſicuti & vice verſa graviora fere ſemper evadebant, pro ut bilioſa excretio deficeret, aut tardius occurreret. Alias omitto rationes, quas ex dictis facile quilibet deducet, ut hujuſmodi principium magis, magiſque pateat. Silentio tamen non praetermittam, quod hac eadem occaſione, praeter bilem hanc majore, minoreve incopia prope dicta *emunctoria* coacervatam, ſpeciale idem bilioſum principium in tota ſanguinea maſſa vigeret, ipſam diſſolvens, ut diximus, atque ad concitatiores aeſtus cogens. Non negaverim quoque, lympham ipſam non extra culpam quandoque fuiſſe, ſicuti aliquando utramque ſimul: quod juxta occurrentes aeris conſtitutiones varias, diverſa quoque ratione eveniſſe novimus, atque ego quoque diſtincte animadverti. Hinc modo *lymphaticam* tantum naturam praeſeferebat haec febris, modo *lymphatico-bilioſam*, modo *bilioſam* dumtaxat: quod tum peculiaria teſtabantur *ſymptomata* ipſam comitantia, tum & ſingulares, *criticae excretiones*, quas ipſi terminum poſuiſſe obſervavimus, nec ſemel admirati fuimus.

CCCXVIII. Satis ideo mihi fuit ab occurrentibus utplurimum *evacuationibus* hoſtilem humorem noſcere, quo prodeunte, *ſymptomata* quamplurima evaneſcendo, propriam ab ipſo derivatam originem, ut diximus, ſatis indicabant. Quin immo, & quaecunque attemperantia, acida, & diluentia, ideo par levamen ſemper adferrebant; quia ſuppoſiti peccantis humoris naturae adverſa, ejuſdem actionem compeſcere, vireſque enervare maxime poterant. Experientiae fideli dirigente luce, ulteriores aliunde exquirere faces fruſtraneum, & inconſonum eſſe arbitror; ut intima magis morbi penetralia quiſpiam pervadat, ad quae ſi aliquis unquam pervenire poſſet, nunquam melius opitularetur morbis, quam naturae ipſius motus ſequens, ab experientia ipſa per tutiores ſemitas manu ductus. (166) *Demum quis erit ex Medicis modeſti ingenii* (loquor cum expertiſſimo Baglivio) *qui non fateatur ſe internam, ſive immediatam morborum cauſam propemodum ignorare; contra vero quotidie curationem illorum ſuſcipere, & curativa methodo longo uſu comparata feliciter abſolvere?* Satis hic ſit innuere me ratiocinio propoſito harum febrium curationes abſolventem, minus erroneam amplexum fuiſſe methodum, utpote fauſtis utplurimum eventibus confirmatam, quam

(166) *Baglivius lib. 2. prax. Cap. 9.*

quam jam diſtincte hic proponere aggredior.

CCCXIX. (167) *Cum morbi inchoant, ſi quid movendum videtur move, cum vero conſiſtunt, melius eſt quietem habere.* Utiliſſimum hoc eſt divini Senis praeceptum, cui tanquam firmo admodum fulcro *primarium* hujuſce curationis fundamentum inhaerere debere tunc ſemper exiſtimavi. Hinc cum ab eruditiſſimo Friderico Hoffmanno ſanioris Medicinae in Germania praeceptore celeberrimo edoctus ſatis eſſem, quod (168) *In his diſſolutoriis exanthematicis, acutis, & periculoſis febribus quammaxime valet practicus ille Hippocratis, Veterumque canon. Naturam eſſe optimam morborum medicatricem, per ſe doctam, quae congrua ſervet, & incongrua rejiciat;* primarius mihi videbatur eſſe curationis ſcopus, ut ſtatim initio hujuſce febris eas omnes, ſi quae adeſſent, cauſas tollerem, quae aut morbum ipſum in ipſius decurſu augere magis poſſent, aut conſuetos naturae motus *criticos* praepedire, aut ſaltem retardare. Ut hoc autem tutius in occurrente nova hac conſtitutione praeſertim praeſtarem, in eo potius eram, ut ipſius naturae ſalutares greſſus reſpiciens, illuc ſanioribus praeſidiis unice tenderem, non violenter tamen ipſam cogens, ſed ejuſdem motus ſequens, & ſimul fovens. In hujuſcemodi enim circumſtantis merito animadvertit praeclariſs. Hecquet, oportere maxime, quod Medicus ſit. (169) *Naturae auditor aſſiduus, in qua Medicinam nactus jugem, conſilianum habet ad manum, quem confeſtim interrogando, monitorem illico audit; generatim novit naturae tuendi ſe rationes, inſtrumenta, modos in debellandis quorumlibet morborum aſſultibus; in anteceſſum illi eſt obtinuiſſe, cujus fuerint generis, & conditionis praeſidia, quae ad ſanandum ingredientem novum morbum illi venient eligenda; quin immo has omnes auxiliorum rationes ipſamet natura tibi definiet, ſi ex operibus illius, illius vocem interpretari ſuetus, obſervaveris diligenter, quae ſint, quas feliciter adhibet artes, quos ſuſcitat motus, quas tentet vias, humores quos pellit, quae tempora ſervat, quas amat periodos, quas indicationes, quos exitus in expediendo novo ingrediente morbo.*

CCCXX. Haec omnia adamuſſim perpenſa, duo praeſertim mihi ſtatim indicabant praeſidia, *purgationem* nempe, & ſanguinis miſſionem. *Purgatio* autem convenire tunc merito videbatur; ut (ſi quae eſſent in primis, ut ajunt, viis humorum impuritates, aut magis liberalis male digeſti alimenti reliquiae, aut peccantis ejuſdem bilioſi humoris portiones in ſuperioribus *Inteſtinis* tumultuoſe fluctuantes) eas paulatim, & opportune educerem; eodemque tempore expeditas magis redderem *Inteſtinorum* ſemitas, ut per eas dato tempore conſuetas moliri *criticas ſeparationes* natura libere poſſet. Sanguinis vero miſſio ſatis indicata videbatur; ut exuberantem ejuſdem copiam in *plethoricis* maxime Cor-



(167) *Hippoc. Aphor. 29. Sect. 2.* (168) *Frider. Hoffm. de febr. epidem. exanthem.* (169) *Hecquet de Medici officio &c. ad append. de Peſte.*

poribus feſtinanter imminuerem: ſic praecavens, ne in ſummo febris aeſtu, concitatioreque humorum tumultu, vigente morbo, rarefactus plus aequo ſanguis, atque majus proinde ſpatium in canalibus affectans, nec ſatis habens, eorundem canales unquam dirumperet: aut ſaltem incongrua inde evaderet ſanguinis totius moles continentium vaſorum capacitati, ſicque maximum perenni ipſius motui obſtaculum emergeret, maximumque neceſsariis nocuorum humorum promovendis *excretionibus* impedimentum: propter quod utrinque, & *ſtaſes* quaelibet, & graviora *ſymptomata* quaeque multiplici hinc ratione imminere merito poterant.

CCCXXI. Non inconſulto tamen utraque haec praeſidia in quibuſcunque Corporibus, eadem licet pari modo inchoante febri, uſurpabam. Ea enim omnia ſedulo perpendens, quae peculiares AEgrotorum temperies, atque conditiones quaslibet ab extrinſeco etiam quomodocunq; venientes, modo alterutro, modo utroque modo, modo neutro ex hiſce utebar; ſed raro admodum. Quo ad ſanguinis miſſionem, eam fere nunquam in principio omittendam fuiſse cenſui; niſi cum, aut ſero admodum vocatus, morbum jam ad ſummum perductum, atque ad remiſſionem jam jam tendentem curare deberem: aut etiam initio morbi talis adeſset virium univerſalis proſtratio, cum pulſu admodum debili, & parvo; propter quae merito pertimeſcerem, ne forte AEgrotus in ſummo morbi conflictu unquam deficeret: quod perquam raro evenit. Non enim febres iſtae *malignantem* illam, quaſi dixerim, *venenatam* indolem, ut innuimus, referebant, tanquam teterrimam a Veteribus habitam; propter quam illico, & inopinato viribus fere ex toto deſtituitur AEgrotus, congruis ſolidorum *elateribus* extemplo deperditis. Neque a prima hac ſanguinis miſſione unquam temperabam, etiamſi de vere *plethoricis* non ageretur Corporibus; cum futuram praeviderem ſanguinis *rarefactionem* ob ſupra allatas rationes merito timendam. Non hinc tamen inconſiderate nimis ad copioſas magis ſanguinis emiſſiones confugiendum eſse monebam; optime noſcens, ad praecavendos potius tumultuoſi ſanguinis motus effectus, quam ad morbi cauſam primariam funditus evincendam eas ſpecialiter conferre. Cum enim primitiva haec cauſa in bilioſo praecipue humore conſiſteret, ipſam haud aliter melius, quam per congruas Alvi *excretiones* deſtrui poſse, quilibet noverat. Quare jure, meritoque doctiſſimus Fridericus Hoffmannus animadvertit, quod (170) *Venae ſectio in exanthematicis hiſce febribus, cum ſumma circumſpectione adminiſtranda ſit. Magis enim ad perſpirationem facit, quam ad curationem.*

CCCXXII. Aſt cum veridicae adeſsent emittendi ſanguinis indicationes, hoc ſtatim fieri jubebam, congruam ſolicite occaſionem arripiens: ne poſtea incaſsum forte, atque

(170) *Frider. Hoffman. de febr. epidem.*

atque ignominioſe ipſam praeſcribere coactus eſſem. Etenim de ſanguinis miſſione merito verum eſt, quod (171) *tarde facta juxta, ac omiſſa aequale vitae periculum inducere poteſt*. Quapropter Valleſius aperte monet, quod (172) *miſſio ſanguinis quanto maturior, tanto utilior, ac proinde in principio primo ejus occaſio eſt*. Quod magis in conſtitutione hujuſce febris, ob quamplurimas rationes, contigiſſe, ſaepiſſime novi.

CCCXXIII. Si ex praegreſſo liberali magis victu in ſaginatis maxime corporibus, ex amaritie oris, nauſea, ſtomachi moleſto gravamine, Ventris murmure, praeſertim in *Hyppocondriacis*, atque ex aliis hujuſcemodi ſignis, ſpecialem in imo ventre humorum apparatum dignoſcebam: manum nil ultro a *purgatione* temperabam, quam tunc perficere fidentius ſolebam, cum ſanguinis congrua miſſio celebrata antea fuiſſet. Tunc autem primo diligenter animadvertebam, num per ſuperiora, an vero per inferiora *purgare* conſonum magis eſſet. Si frequens ad vomitum concitatio licet inanis aderat (quod utplurimum eveniſſe novi) *emeticum* idoneum ſtatim propinare conſuevi, fauſto ſemper exitu. Hoc eſt expertiſſimi Sydenhamii praeceptum, maximi in hiſce caſibus faciendum. (173) *Poſt venae ſectionem (ſiquidem ipſa juxta caſus praememoratos neceſſaria fuerit) ſolicitus, ſeduluſque inquiro, numquid AEgrum vel vomitus, vel inanis aliqua vomendi propenſio ſub febris initium interturbaverit: Id ſi contigerit, omnino medicamen emeticum praeſcribo*. Pro ſuperiore autem *purgatione* hac abſolvenda, tanquam tutum magis, & fidum remedium *Ypecacuanham* ad ſemidrachmam, aut ſcrupulos duos exhibebam, cujus adminiculo votis nunquam fruſtratus evaſi. Ad artificioſa alia *emetica* confugere, tunc eo minus tutum arbitratus ſui, quominus de eorundem recta praeparatione certus eſſe poteram. Id tamen caute admodum ſemper animadverti, quod, quotieſcunque *emetici* ope inanes fierent vomendi conatus, aquae ſimplicis cujuſvis tepidae, aut ſaltem juſculi diluti copioſos hauſtus iteratis vicibus praeſcriberem. Etenim hoc modo vehementior *emetici* actio compeſcitur; eodemque tempore, ſi quae fuerint materies magis viſcoſae, *Inteſtinorum*, atque maxime *Ventriculi* plicis infixae, optime diſſolvuntur, atque ad exitum facilius, citiuſque ſolicitantur. Cavendum ultro tunc ſedulo ſemper eſſe monui, ne intempeſtive nimis, ſtatim poſt aſſumptum *emeticum*, ad copioſas haſce aquae potiones AEgroti confugerent. Sic enim praemature nimis excitato vomitu, *emeticum* ipſum rejicere facile poterant, priuſquam quicquam egiſſet; quod ideo ſic inutile prorſus evaſiſſet.

CCCXXIV. Expurgato ſic *Ventriculo*, ſi nil penitus per Alvum quoque fuerat dejectum (quod non raro evenit) eadem die *Clyſterem* emol-

(171) *Jo: Fort. de malign. febrib. cap. proprio.* (172) *Valleſ. 4. Method. 2.* (173) *Sydenh. de febr. contin. Cap. 4.*

emollientem veſperi praeſcribebam, hac praeſertim ratione ductus, quod inverſum quoquo modo, vi *emetici*, *Inteſtinorum* ad ſuperiora motum, ad inferiora ſic provide reducerem, ad eas nempe vias, per quas congruam in progreſſu morbi *criſim* natura moliri fere ſemper conſueverat. Verum in adminiſtranda ſuperius, vel inferius *purgatione*, ſedulo ſemper curavi, quod ſi utraque tunc ſimul praeſidia (ſanguinis nempe miſſio, & *purgatio*) indicata eſſent, venam ſemper ſecari primo juberem, juxta doctiſſimi Valleſii effatum (174) *alioquin cum utraque evacuatione eſt opus, miſſionem ſanguinis oportet antecedere.* Hinc Savonarola merito ſic admonet (175) *Cum ſigna videris Phlebotomiae in putridis, ſtatim phlebotoma, & ſolutionem ventris fac ſequi;* cujus rationem ſic profert Celſus (176) *Satius eſt enim primum levare AEgrum, deinde purgare.* Hiſce ſententiis aſſentitur etiam Sydenhamius, dum de exhibendi *emetici* ratione agens, optime explicat, quare nam ante ipſum ſanguis ſit primo mittendus. Siquidem dicit, quod ſi hoc fiat (177) *dum vaſa diſtenta ſunt, periculum imminet, ne ex violentis illis vomendi conatibus, vel rumpantur vaſa Pulmonum, vel Cerebrum laedatur, affuſo cum impetu ſanguine, atque effuſo, adeoque AEger Apoplexia correptus pereat. Cujus rei quamvis hiſtorias aliquot commemorare poſſim, illis tamen hic ſuperſedere viſum eſt, monuiſſe contentus, maxima hac in re cautela utendum eſſe.* Hujuſmodi ſemper mihi fuit propinandi tunc *emetici* ratio, cui & in quacunque alia conſtitutione, alioque etiam morbo inhaerendum ſemper jure, ac merito eſſe exiſtimabo.

CCCXXV. Quoties tamen praevii deeſſent vomendi conatus, neque liberalis nimis, aut incongruus quacunque ratione praeceſſiſſet victus; ſi ſtricta admodum adeſſet Pectoris conſtructio, aut ad Haemorrhagias proclivis maxime AEgrotus eſſet, aliave hujuſmodi *emeticum*, vel illico non poſcerent, vel omnimode recuſarent, alioquin autem *purgationis* indicatio urgeret: tunc inferius purgare ſatius arbitrabar. Ut hoc tamen praeſtarem, mitiora ſemper ſelegi remedia, *catharticis* validioribus omnibus prorſus rejectis. Mihi enim ſatis ſuperque perſpectum erat, quod hujuſmodi remediorum nimia vi contrahuntur tam valide, corruganturque ſolidorum fibrae, ut, ob violentam expreſſionem in *inteſtinalibus glandulis* factam, non tantum humores noxii, verum etiam laudabilioris lymphae portiones per vim emungantur. Neque ſolum in Inteſtinis vehementiora haec *purgantia* vim ſuam violenter exerunt, ſed eodem tempore, ob conſenſum partium omnium mutuum, in univerſo nervorum genere *ſpaſmodicas* excitando contractiones, univerſam pariter humorum maſſam in furibundos tumultus cogunt, a quibus innumera ſuſcitantur *ſymptomata* perquam gravia, quae paſſim in hiſce caſibus obſervare contingit: pro ut ſanioribus qui-

(174) *Valleſ. 2. Method. 3.* (175) *Mich. Ang. Savonar. de Febr. putr.*
(176) *Celſus Cap. 10.* (177) *Sydenh. de Febr. contin. Cap. 4.*

quibuslibet Clinicis Medicis, experientia ipsa teste, notum satis est.

CCCXXVI. Praeter haec ideo magis blandis tantummodo, minusque activis *purgantibus* tunc uti satius duxi (dummodo tamen de saginatis admodum non ageretur Corporibus, quorum *Intestina* gravi *crudorum* humorum, atque excrementorum sarcina onusta maxime, validiore indigebant pharmaco, praedicto evincendo obici proportionato) quia illas solummodo excretias educere leviter curabam; quae in *Intestinis* plerumque adesse solent; ut eodem quoque tempore magis liberas illas redderem vias, per quas dominantem bilem, aliosque hostiles humores excernere natura tunc fere semper consueverat. Siquidem aliquando initio morborum mucosa quadam lympha, aliove tenaci humore interna superficies *Intestinorum* oblinitur, sicque minimarum *glandularum* ibidem jacentium meatus tam stricte occluduntur, ut nullo fere modo, aut saltem difficili admodum, aut sero nimis per easdem vias natura noxios expellere humores queat: quod & de *biliariis excretoriis* poris verum pari ratione comperitur; cum in ipsis tam tenax, tamque crassa quandoque latitet bilis, quae non nisi validioribus solidorum contractionibus removeri inde unquam potest: quod quidem saepissime in hujusce *petechialis* febris constitutione observare nobis datum fuit.

CCCXXVII. Inter mitiora *purgantia*, quibus tunc, quoties opus esset, initio hujusce morbi utebar, sive mavis solventia (ex quorum actione nullam unquam, ne minimam quidem, AEgrotis tunc mihi commissis noxam subortam fuisse novi, quin potius, & faciliorem, tutioremque sanationem) familiaris utplurimum mihi erat Sirupus ex Floribus Persicorum, aut Rosatus aureus in aqua destillata glandium Persicorum exhibitus. Quibus vero haec non arridebant pharmaca, aut tutiore alio uti consonum erat, ad praedictam infusionem foliorum sennae, cum Rhabarbaro, & Tartaro in eadem aqua factam confugiebam addendo simul congruam dosim, aut alterutrius dicti Sirupi, aut Mannae. Verum si inanes dejiciendi conatus, seu premitus urgerent (quod persaepe tunc evenit) a tenaci admodum, atque stimulante maxime bile *Intestinorum* tunicis, aut propriis *colatoriis* infixa, initio morbi pendentes (quae quidem etsi in modica, plerumque copia ibidem consisteret, tamen ob nativum suum gluten praedictis partibus stricte inhaerens, ipsas admodum irritaret, easdemque ad frequentes enormes contractiones cogendo, molestos, frequentissimosque dejiciendi conatus progigneret) tunc inquam ad usum floris Cassiae recenter extractae una cum Pulpa Tamarindorum confugiebam. Certe tamen asserere possum, me tutius omnibus, magisque expeditum remedium tunc expertum fuisse, quum *Ypecacuanha* modo supradicto usus fui, maxime cum illico ciendi vomitum veridicae indicationes adessent, nullaeque aliunde huic obstarent congruae rationes.

CCCXXVIII. Quamvis mitioribus

bus hisce utens praesidiis pro certo semper haberem, nullas penitus in *Intestinorum* fibris vehementes, minusque congruas contractiones, aut abrasiones produci posse: nihilo tamen secius optime noscens, a nullis unquam, etsi magis blandis hujuscemodi medicamentis Alvum solicitari posse, nisi eorundem vi analoga in *Intestinis* ipsis irritatio suscitaretur: Ideo, ut, & huic prospicere satis incommodo possem, duabus, tribusve horis post assumptum pharmacum, praecipue post primas egestiones, aquae simplicis, aut simul addito Mali medici succo recenter expresso, copiosos cyathos AEgrotis exhiberi iteratis vicibus curabam. Eo autem congruum magis praesidium hoc arbitrabar, quo magis de biliosis Corporibus, magisque gracilibus ageretur; in quibus tum ad peccantis humoris fervorem provide compescendum optime convenire videbatur, tum ad laxandas, atque humectandas *Intestinorum* tunicas, quae, eadem ratione, vi purgantis remedii stimulantur, ut diximus, contrahuntur, exsiccanturque. Praeter haec adnotanda tunc etiam merito erat biliosi ejusdem humoris crassities in hisce febribus passim familiaris, quam necessario simul oportebat dissolvere, fluidioremque, juxta Hippocratis mentem, facere, ut facilius, ut citius, tutiusque adhibiti remedii actioni auscultaret. Non semel, quoties laxare sic magis fibras opus esset, loco praedictae aquae copiose sumendae, serum Lactis optime depuratum post singulas quascunque egestiones pluries, & copiose sumendum esse, utiliter docebam. Quotiescunque tamen initio morbi Alvus ex se satis flueret, nullaque ex praedictis incommoda vigerent, *purgationem* necessario expetentia, maxime in extenuatis Corporibus: purgans remedium quodvis omittebam, solo emolliente *Clystere* quandoque contentus.

CCCXXIX. Dum haec profero, non deerunt quamplurimi (sicuti nec defuerunt tunc etiam) qui adhibitam tunc *purgationem*, etsi saniore praedicto modo usurpatam penitus condemnari jure, ac merito posse contendent, utpote a purgantibus omnimode alieni. Ideo cum isti sententiam suam, quamplurimis non spernendis rationibus partim ab experientia, ut ajunt, partim ab auctoritate, atque praesertim a divini Senis oraculo mutuatis, tam viriliter tueri se posse depraedicent, ut oppositam funditus evertendam esse arbitrentur: non abs re futurum fore existimo, si rem hanc breviore, quo licebit modo, arrepta occasione perscrutemur; ut inde cuique pateat, me tali utentem methodo non chimaerice, neque ex propriae opinionis tenacitate, sed tutioris ratiocinii lumine ductum tunc sic egisse. Idque AEgrotis ipsis perquam utile evadet, quorum persaepe tutior, citiorque salus a purgante remedio initio morbi dextere usurpato dependet, cujus ope toties futuris in posterum *criticis* naturae motibus via sternitur, atque ansa commode praebetur.

Pro-

CCCXXX. Profecto praecipuae, quae passim contra *purgationem* afferri solent rationes, non aliunde melius, quam ab Hippocraticis sententiis mutuari possunt. Esto igitur sic primo ex Hippocrate (178) *In acutis affectionibus raro, & in principiis purgante utendum, atque hoc diligenti prius adhibita cautione faciendum.* Sententiae huic non immerito adhaerens Baglivius varia tradidit praecepta, atque praesertim sic distincte docuit. (179) *In principiis febrium acutarum cave a purgantibus, cave pariter a remediis nimium volatilibus, & vehementibus: crudo namque existente adhuc morbo, vel educes, quae educenda non sunt, vel augebis febrem, vel jugulabis AEgrotum.* Necessarias hasce *cruditatis*, & *coctionis* animadversiones ante humorum *purgationem* habendas semper esse, satis ante ipsum divinus Senex monuerat. (180) *Concocta purgare, & movere oportet, non cruda, neque in principiis, nisi turgeant. Plurima vero non turgent.* Huic alter adjungitur ejusdem Praeceptoris aphorismus. (181) *Corpora ubi quis purgare voluerit, facile fluentia reddere oportet.* Cum hoc alter omnimode convenit, in quo & modum ad dirigendas, si opus fuerit, superius, aut inferius *purgationes* idem optime docet. (182) *Corpora oportet, ubi quis purgare vult, facile fluentia reddere. Et siquidem velis efficere facile fluentia sursum, Alvum sistere; si vero deorsum, humectare.*

CCCXXXI. Hisce praesertim sententiis adhaerent omnes, qui *purgationem* quamlibet initio morborum quorumcunque indiscriminatim, & semper condemnant: utpote qui absolute existimant idoneas tunc humorum *coctiones* haberi nunquam posse. Istis facem praebere putatur laudatus toties perspicacissimus Hecquetus, praeter caeteros, qui tum in Commentario suprapositorum aphorismorum, tum fusius in aureo tractatu suo *de purganda Medicina* &c. litem hanc optime diremit, atque malesanos *purgationis* solicitos nimis amatores solidissimis adoritur rationibus. Si autem Hippocratis sententias hasce rite, absque ullis praejudiciis perpendamus, una cum aliis quibuslibet inde petitis sanioribus ratiocinationibus, quas tum Hecquetus, tum alii contra *purgationem* improperam proferunt: haec omnia ad deficientem *concoctionem* (quod maxime initio acutorum animadvertendum esse indicant) referenda esse, quilibet statim intelliget. Quamobrem, antequam rationes istas, atque Hippocratis suprapositа dogmata cum servata a me methodo conferamus; quid vere sub *coctionis* hujusce nomine intelligendum sit, cum sanioribus sedulo perscrutari, atq; adamussim explicare oportebit.

CCCXXXII. Nemo certe, meo judicio, clarius, nemo rationabilius docuit, quid sit tam decantata haec humorum *coctio*, quam laudatus toties

(178) *Hippoc. Aphor.* 24. *Sect.* 1. (179) *Baglivius de febr. in genere.*
(180) *Idem Aphor.* 22. *Sect.* 1. (181) *Hippoc. Aphor.* 9. *Sect.* 2.
(182) *Idem Aphor.* 60. *Sect.* 1.

ties Hecquetus (183) dum de *cruditate* humorum, & *coctione* fuse satis, dilucideque agit. Postquam enim ibidem optime explicavit, quam falso coctionis haec actio a caloris speciali vi, aut *volatilizantium*, ut ipse notat, succorum, aut sulphuris, *absorbentium*, *concentrantium*, aut *alkalium* lixivioforum, derivare nonnulli contenderint: pergit ostendere, quomodo *coctio* in speciali tum fluidorum, tum solidorum dispositione consistat. Dicit enim ibidem, *miram illam succorum temperiem, quae coctio est, comminutionem esse liquidorum immensam, sed mollem, sed exquisitam, sed levem, eamque a solidorum tractabilitate, systole, & oscillatione perpetua, sed levi, forti, sed molli, miti, sed efficaci elaboratam. Porro coctionis fructus est, & signaculum secretionum facilitas, ordo, & sinceritas, quibus fit, ut suas directiones, tempora, & vices servent. Unde concludas licet definiendam venire coctionem his verbis, quae Hippocratis sunt, conceptam humorum commoderationem, permixtionem, & contemperationem; cruditatem vero* (ut idem loquitur) *incommoderationem*: aut ut idem Auctor paulo postea subdit: *Cruditatis nomine duo importari necesse est, deviantem liquidorum motum, eorundemque triturae defectum.*

CCCXXXIII. Hac posita genuina *coctionis*, *cruditatisque* idea, facile est intellectu cur, & quomodo in quocunque morbo utrumque, tum *coctionis*, tum *cruditatis* tempus attendendum sedulo sit; ut hoc nempe a *purgatione* sapienter ex toto temperet Medicus, ne cito nimis naturam ad *secretiones*, indeque ad *excretiones* quaslibet dirigat, ad quas tunc non nisi per vim, & temere coacta perducitur: illo autem, ut naturae motibus provide obsequendo, humores ab ipsa rite jam praeparatos, atque ad *excretoria* congrua organa jam propulsos, dextere educat. Quaecunque autem ea sit occurrentis cujusvis specialis morbi *primaria*, atque *immediata* causa, sive a solidis tantum, sive a fluidis, sive ab utrisque quomodocunque derivanda, verum semper est, humorum inde *deviationes*, *stagnationes*, atque *alterationes*, si non *primario*, saltem *secundario* variis modis evenire, propter quas rectum totius *animalis OEconomiae* moderamen sufdeque vertitur, atque proinde *secretiones* quaelibet, *excretionesque* eadem ratione pessime fiunt. Quamobrem, ut ad nativum statum reducatur Corpus (etiamsi *primaria* laesio in solidis vigeat; quae profecto tolli omnimode haudquaquam potest, nisi ortae inde humorum concretiones, aut crassities solvantur) stagnantes humores dictos, seu crassiores redditos, quicunque ii sint, ad motum solicitare, aut attenuare oportet. Quod si ipsi jam in *circulationis aream* cum tota massa redacti sint, ad *secretoria* propria organa propellendi sunt, ut per ipsa consuetis adminiculis opportune excernantur. Quare, sive peccantes humores jam stagnantes supponere velimus, sive etiam cum tota massa intime mixtos, jamque

(183) *Hecquet de purg. Med. Cap.* 17.

que adhuc *crudor*, utrinque praevia naturae congrua actio neceſſaria ipſis eſt, quam *coctionem* dicimus, antequam nempe *purgationem* ſubire coacti ipſi ſint. Etenim oportet primo ut hujuſmodi humores (ſi eos ſtagnantes arbitramur) idoneo ſolidorum agentium, & reagentium auxilio diſſolvantur, attenuenturque, ut, aut ruptis aggeribus, poſtea inde congruo tempore prodeant, aut contiguarum venarum, ſeu *lymphaticorum* ductuum meatus ſubire queant, obſitamque partem liberando, ſic in circulum cum tota ſanguinea maſſa redigantur. Verum cum hoc haberi neutiquam poſſit, niſi apta contiguorum ſolidorum vibratione, & congrua laxitate, humorum in vaſa refluxui non omnimode obſtante; Ideo inde ſatis deducitur, quomodo *coctio* tum laudabilem humorum fluiditatem, tum ſolidorum congruam diſpoſitionem importet, ut cum praeclariſſimo Hecqueto ſupra ſtatuimus. Si autem humores iſti, quomodocunque peccantes, cum tota humorum maſſa promiſcue in circulum agi ſupponantur: propria prius indigent *trituratione*, & *comminutione*, ut in determinatae cujuſvis molis, & figurae moleculas redigantur, quae ideo idoneae fiant, *ſeparatoriis* alicujus viſceris cribris permeandis, ut poſtea ſecernantur, atque excernantur: Ad quod pariter ſolidorum requiritur proportionata actio, ſine qua tam neceſſarium opus perficere neutiquam natura potis eſſet.

CCCXXXIV. Siquis ideo ineunte vix morbo, cujuſvis ille indolis eſſet, humorum hujuſcemodi ſeparationem ſtatim promovere tentaret: Eo audentius, eo incongrue magis ageret, quo minus fluidi illi facti eſſent, minuſque diſpoſita ſolida, ut optatis eorundem ſecretionibus opem ferrent, atque, quod magis intereſt, natura adhuc ex toto indifferens eſſet, ut per hoc potius, quam per illud *emunctorium excretionem* moliri tentaret: maxime cum eodem ſemper modo ipſa neutiquam operetur. In hoc certe caſu, qui *cruditatis* tempore, talia maleſano conſilio expeteret, jure, meritoque Hippocratis exprobrationes ſibi aſciſceret, atque contra allata ſupra ejuſdem dogmata temere progrederetur. Aſt (ut in caſu noſtro de hiſce ſpecialiter diſſeramus) tunc notum cuique erat, ex ſupra poſitis ratiociniis, in hiſce febribus copioſae, atque praeter modum aeſtuantis bilis dominium, quae partim cum univerſa ſanguinis maſſa in circulum acta, partim in conſuetis *biliariis colatoriis* ſecreta, & ſtagnans febriles furibundos ſanguinis tumultus excitaret, in ſolida quaeque vehementer ageus, eaque in *ſpaſmodicas* fortes cogens contractiones, unde *ſymptomatum* quorumcunq; ratio petenda erat.

CCCXXXV. Profecto, dum bilis haec cum ſanguine intime mixta erat, aut in *biliariis* Hepatis confiniis reſtitans partim, craſſa admodum erat, & glutinoſa, *cruditatis* tempore, nullis unquam auxiliis educi, neque per vim poterat; atque tunc purgantia validiora propinare pro ejuſdem promovenda *excretione*, ſolida-

ſolidaque ipſa ad enormes ſic contractiones cogere, idem prorſus erat, ac aerem verberare, quin immo & novis humorum *ſtaſibus*, eorundemque pejoribus novis tumultibus anſam praebere, tum & lympham inſontem, loco peccantis bilis, velle educere. Sic (184) *crudo nempe exiſtente morbo* (ut iterum expertiſſimi Baglivii verbis utar) *vel educes, quae educenda non ſunt, vel augebis febrem, vel jugulabis aegrotum*. Praevia opus eſt antea hujuſce bilis diſſolutione, ut a tota maſſa ſecedat; ejuſdemque ad *bilioſa colatoria* praevio tranſitu, ut educi poſſit: quod utrumque tam expetitam naturae *coctionem* importat, quam modo citius, modo tardius, progrediente morbo ipſa perficit, & melius etiam, ſi adjutrices manus provide Medicus adhibeat, ipſius ſequens greſſus, non eam praemature cogens. In hoc certe ſenſu *purgationem* initio harum febrium non convenire, quin immo & pernicioſam maxime eſſe, cum Hippocrate rationabiliter ſemper putavi; eam tamen intelligens *purgationem*, quae validioribus ideo purgantibus perficienda eſſet, quorum ope nondum praeparatus, ſeu (ut cum Hippocrate loquar) nondum fluidus factus bilioſus humor tunc ſic audacter, & inconſiderate educi poſſet.

CCCXXXVI. Hinc dum levioribus ſupra recenſitis purgantibus initio morbi uti arbitrabar, non morbificam ex toto educere vere cauſam in animo habebam. Hoc enim ideo incongruum magis eſſe, atque praeter rationem exiſtimabam; quia certo certius ſemper noveram tum hoſce, tum alios acutos morbos ſtatutum peculiare tempus ad neceſſariam perficiendam *coctionem* requirentes, nullis unquam remediis citius terminari unquam poſſe: quod in hiſce praeſertim febribus verum ſemper compertum fuiſſe, obſervavimus. Etenim nunquam ante decimam quartam diem omnimode ſolvebantur, & quandoque etiam ultro magis curſum ſuum protrahebant. Eo tantum idcirco conſilio ductus mitiſſimis hiſce ſuaviter agentibus purgantibus, ſive mavis lenientibus, aut laxantibus remediis utebar: quod certe putarem, neceſſe eſſe in hiſce febribus expeditas illas affatim reddere vias, per quas unice, & ſemper natura *criſes* moliri ſolita fuerat, quibus obſtare maxime poterant, & plerumque ſolebant excrementitiae quaeque materies in *Inteſtinorum* cavitatibus latitantes, *ſecretorios* tum bilis, tum & *Peyerianos* etiam glandularum *Inteſtinalium* porulos comprimendo, atque obturando. Hoc autem non immature erat naturam cogere, ſed liberiorem tantum futuris in decurſu morbi *excretionibus* ſemitam tuto, leniterque parare.

CCCXXXVII. Enim vero ſi id violentioribus remediis ſolida concutientibus, atque ab ipſis per vim humores valide emungentibus praeſtare tentaſſem; me inconſulto, & temere nimis ſic egiſſe quilibet noſceret. Verum purgantia illa, quibus utebar, talis ſemper fuiſſe indolis animadverti: ut, ſi quae adeſſent

(184) *Baglivius loco ſupra citat.*

ſent jam paratae in *Inteſtinis* materies, eas leniter educerem; ſi nullae adeſſent, additis inde aquae copioſis potionibus, *Inteſtina* ipſa diluerent. Hoc ne igitur erat *cruda* educere? *Cruda* medicare? atque *inconcoctos* humores praemature ad exitum ſolicitare? Si *Inteſtina* tantum diluere, atque a latitantibus ſordibus, leviſſimis, blandiſque remediis expurgare, ſic quaerebam? Nec fruſtranea penitus mihi videbatur hujuſcemodi ſolicita *Inteſtinorum expurgatio*, initio iſtarum febrium peracta; etiamſi diſpoſitos nondum ad exitum noxios humores eſſe ego quoque noſcerem. Etenim verum eſt, quod, caeteris paribus, cujuſvis humoris ſeparatio, & *excretio* eo facilius habetur, quo magis ampli, & expediti ſunt *ſecretorii* meatus, in quibus eo minor occurrit *reſiſtentia*, quo minus compreſſi ſunt, minuſque foedati. Quamobrem, dilutis ſic *Inteſtinorum* cavitatibus, atque leviter initio expurgatis, facilior fiebat aditus, ut tum bilis per proprios ductus congruo tempore excerneretur, tum per *Inteſtinales* innumeras dictas glandulas totum ſecretionis reliquum opus perficere natura poſſet. Si quis autem fortaſſe ignoraret, quanti momenti, quantaeque utilitatis ſint minimae hae, ac pene infinitae numero *Inteſtinorum* glandulae, ad copioſiſſimas in morbis perficiendas *excretiones*, eruditiſſimum conſulat Freind (185) qui praeſertim de *excretione Inteſtinali* agens, docet, glandulas haſce, ex Peyeri invento detectas, maximam humorum copiam in cavitatem *Inteſtinorum* eructare commode, & perquam brevi poſſe. Neque tunc ad id intelligendum auctoritate, aut ratione ulteriori opus erat; cum experientia ipſa per ſe ſatis loqueretur. Plerumque enim in hac conſtitutione copioſiſſimas, ut diximus, progrediente morbo, hujuſmodi excretiones per Alvum ad plures etiam dies protractas vidimus; quarum tantummodo beneficio tutior morbi ſolutio omni jure adſcribenda erat.

CCCXXXVIII. Nec tantum non incongruas, non pernicioſas, non inutiles *purgationes* haſce, dictis remediis peractas, verum etiam neceſſarias tunc utplurimum fuiſſe, facile eſt cognitu. Peculiares omittam circumſtantias in ſaginatis admodum corporibus, gulae nimium indulgentibus, atque craſſioribus omnis generis eduliis ad ſatietatem repletis; in quibus congruae *purgationis* tunc denegare neceſſitatem, idem prorſus erat, ac ſaniores Medicinae canones a fundamentis reſpuere. *Quae a repletione fiunt, inanitione curantur*, docet ſaepiſſime divinus Senex. Quid nam dicendum erat de AEgrotis illis, in quibus primis etiam febris diebus, cum amaritie maxima Oris, linguae citrino colore, ſtomachi gravamine, nauſea &c. inanes vomendi conatus, non raro etiam cum bilioſae virentis, aut flavae materiei excretione occurrebant? quod ſaepiſſime vidimus. Nonne manifeſta haec erant *turgentiae* verae fidiſſima notacula? Quare ergo in hujuſmodi *turgentia* a pur-

(185) *Freind Com. de febr.* 7.

*purgatione* temperandum tam ſcrupuloſe erat, quando hoc & in principiis acutarum febrium, & morborum quorumlibet faciendum indicat Hippocrates ipſe? In hiſce circumſtantiis (186) *Sane vomitorium propinare* (loquor cum expertiſſimo Sydenhamio) *ubi iſtiuſmodi praegreſſa eſt vomendi proclivitas, adeo eſt neceſſarium, ut niſi humor ille expellitur, in ſentinam quamplurium malorum difficilium ſit abiturus, quae crucem figent Medico, toto durante Medicationis tempore, AEgrumque in haud leve periculum conjicient. Ex horum praecipuis, & maxime ſolitis eſt Diarrhoea, quae utplurimum in deferveſcentia febris conſequitur, quotieſcunque emetica, quando ea ſuadebat indicatio, omiſſa fuere &c.*

CCCXXXIX. Hujuſmodi incommoda, omiſſo *emetico* initio morbi a natura ipſa ſatis indicato, eveniſſe paſſim obſervavimus, quibus adjungebantur *cardialgicae paſſiones*, Ventris *tenſiones*, febriles majores aeſtus, ac praeſertim difficilior morbi judicatio. Plerumque enim illi, quibus in hiſce circumſtantiis congrua bilis *expurgatio* initio omiſſa fuerat, difficilius, & tardius optatam valetudinem adipiſci poterant. (187) *Quae ducere oportet, quo maxime vergant, eo ducenda per loca convenientia.* Si ergo natura ipſa initio iſtarum febrium excretionem hanc indicabat, & moliebatur: quare ipſam omittere Medicus debebat, ejuſdem caeteroquin fidelis ſectator? Nec quidpiam hic refert dicere, quod aliquando, propinato *emetico*, tam modicam bilis copiam AEgroti vomerent, ut vix perceptibile parum videretur, quidnam inde levaminis capere ipſi poſſent. Quamvis ratio id difficile admodum probare queat, experientia tamen ex ſe ſola ſatis loquitur, quod & ipſe admiratus eſt Sydenhamius (188). *Saepe miratus ſum* (inquit ipſe) *dum forte materiam vomitu rejectam aliquando curioſe contemplabar, eamque neque mole valde ſpectabilem, nec pravis qualitatibus inſignem, qui factum fuerit, ut AEgri tantum levaminis exinde ſenſerint, nempe vomitu peracto, ſaeva illa ſymptomata (nauſea E. G., anxietas, jactationes, ſuſpiria luctuoſa, linguae nigredo) quae & ipſos excruciaverant, & Adſtantes perterrefecerant, mitigari ſolent, ac ſolvi.* Profecto, etiamſi, *emetici* vi, magna humoris peccantis copia non educatur; ob excitatam tamen in ventriculo *contractionem*, *concuſſionemque* (quae proinde, ratione *contiguitatis*, *Inteſtinis* etiam, atque adnexis aliis partibus communicatur) excretiones omnes, & bilis praeſertim ſolicitantur: unde fit, quod licet iſta per vomitum non ſemper educi ſatis queat, ad motum inde eadem ratione ſolicitata, per inferiora faciliorem aditum obtineat; quod pluries tunc evenit, cum poſt aſſumptum *emeticum* parum vomendo AEgroti, magnam bilis copiam per Alvum paulo poſtea dejecerunt.

CCCXL. Hinc quotieſcunque manifeſta aderant ſigna *emetici* uſum indicantia, aliunde tamen conſueta emer-

(186) *Sydenh. conſtit. febr. cont. ann.* 1661. 62. 63. 64.
(187) *Hippoc. Aphor.* 21. *Sect.* 1. (188) *Sydenh. loco ſupra citat.*

emergerent validiora *contraindicantia*: eundem propemodum effectum per inferiora obtineri toties vidi, idoneo adhibito purgante, ex mitioribus tamen, ut ſupra indicavimus. Aſt utrumque in hiſce caſibus ſemper, & omnimode omittere, a recta curationis methodo temere aberrare erat. Niſi enim *purgationis* defectum, ſuperveniente diarrhoea, natura ſatis ſupplere poterat; raro admodum AEgroti Mortis ictum effugiebant. Sunt qui fortaſſe putabunt, bilioſos hoſce humores a natura ipſa toto morbi decurſu expulſos, non cauſam, ſed effectum ipſius Morbi dicendos eſſe: unde certe deducent purgantia, initio morbi, ideo nunquam convenire, quia ſolidas irritando partes, fluidaque ipſa nimium diſſolvendo, incongruas haſce hoſtiles ſuſcitant *ſecretiones*, *excretioneſque*, quas raro pro *criticis*, plerumque pro *ſymptomaticis* habendas eſſe arbitrantur. Aſt dicant quaeſo, qui ſic loquuntur: effectuſne tantum morbi dicentur, & mere *ſymptomaticae excretiones* bilioſae iſtae, quae ſemper cum levamine fiebant? Quibus deficientibus graviora reddebantur *ſymptomata*, morbus in pejus ſemper ruebat, aut ſaltem diutius protrahebatur? Quoties morbi a bilis dominio ſpecialiter derivantur, iis ob eandem penitus rationem, mutatis mutandis, *purgatio* convenit, propter quam, & ſanguinis miſſio morbis aliis neceſſario competit, qui ab exuberante, aut remorato in aliqua parte ſanguine unice dependent. Hinc & Baglivius ipſe, quamvis in principio harum febrium *purgatione* cavendum eſſe docuerit, in progreſſu tamen, & *Clyſteribus*, & *purgationibus* frequenter, & utiliter ſe uſum quampluries fuiſſe aperte teſtatur, dum ait: (189) *Humorum apparatum e Meſenterio quamcitiſſime educo, Clyſteres etiam bis in die injicio, purgationes frequenter praeſcribo, & totam dirigo indicationem in educendo per purgationes meſenterico apparatu, poſthabitis diaphoreticis, & inutilibus, ne dicam noxiis, teſtaceis pulveribus.* Utiliſſimum hoc eſt praeceptum in ejuſmodi febribus ſcrupuloſe, atque adamuſſim ſervandum, quo plerumque iſtarum curationum rationem dirigens, fauſto tunc utique omine rem mihi ceſſiſſe novi.

CCCXLI. Non deſunt, qui hujuſcemodi *purgationis* indicationi ſatisfacere ſe poſſe putant, ſolo amygdalarum dulcium Oleo tum in principio, tum in progreſſu harum febrium exhibito. Profecto remedium hoc, utpote ab omni ſtimulo alienum, omnem meretur laudem; maxime dum, contractis nimis exiſtentibus ſolidorum fibrillis, timendum merito eſt, ne purgantis cujuſvis vi in violentiores contractiones ipſae redigantur, propter quas, impedito ſucceſſive fluentium humorum motu, eorundem poſtea *ſtagnationes*, & inflammationes eveniant: quod a praepoſtero purgantium validiorum uſu eveniſſe non ſemel novimus. In hujuſcemodi ideo caſibus (maxime cum ultro de organica ſpeciali laeſione, a qua primario febris proficiſcatur, timendum ſit) ſi materia

(189) *Baglivius loco ultimo citat.*

etiam turgeat, optimum, & neceſſarium conſilium eſt ad oleum amygdalarum dulcium confugere, quod ſimul, & humorum tenuviorum aeſtus, eorundem minimas particulas irretiendo, compeſcit, & ſolidorum ſimul corrugationes, laxando, mirabiliter tollit. Quapropter dum ſingultus, aut *cardialgicae paſſiones*, aut *tympanicae* Ventris *tenſiones*, aut alia hujuſcemodi *ſymptomata* a forti ſolidorum *contractione* in hiſce febribus derivata occurrebant: ad hoc remedium, tanquam ad ſacram anchoram confugere perquam utiliter conſuevi. Aſt dum, initio morbi, ſpontanea haec ad vomitum excitamenta, non a ſola ſolidorum *contractione*, ſed a bilis aeſtuantis fervore proficiſcebantur: Oleum hoc propinare, idem prorſus erat, ac morbum ſuaviter, & blande lenire, ſeu melius tantum titillare. Addam ultro, quod quotieſcunque in hiſce circumſtantiis prope *biliarios* ductus, atque in *Inteſtinis* ipſis magis tenax, & viſcida adeſſet bilis: tantum abeſt, quod ab uſu hujuſce Olei quidquam levaminis caperent AEgri; ut potius inde moleſtiſſimae, & graves emergerent *paſſiones*, aliaque non levia *ſymptomata*: eo quia oleoſae illae particulae cum glutinoſis bilioſis dictis irretitae, difficili admodum negotio removeri inde poterant: unde & ponderis, & irritationis ſenſus: quod quidem ſaepiſſime attendere potui. Oportebat tunc ad idoneum magis, magiſque efficax remedium confugere, quod hoſtilem citius humorem educere poſſet, aut ſaltem ipſi viam melius adaperire. Nec juvat hic opponere, quod oleum hoc, utpote blandum leniens remedium, AEgrotos minus fatiget: nam toties novimus tum in allatis ſupra circumſtantiis, tum & in aliis etiam, ab illo graves ſtomachi *paſſiones*, & vomitus ſuſcitari, quas a nullo mitiore purgante produci unquam obſervavimus. Oleum enim, utpote tenax maxime, atque ad motum pariter iners ſuperficiei Ventriculi, atque *Inteſtinorum* maxime adhaeret, difficilique admodum modo ultro progredi poteſt; maxime cum tenaces aliae, & mucoſae praeexiſtant materies, quarum ſuperare *reſiſtentiam* haudquaquam poſſit. Hanc potiſſimum ob cauſam non ſemel tunc, glutinoſa magis vigente bile, nocuam quammaxime evaſiſſe novi *caſſiam*, cujus ope eo magis fortes ventriculi *paſſiones*, & ventris tormina, quam a purgantibus mihi familiaribus remediis, ſuſcitari conſueverant. Quare ab hoc remedio tunc ſemper abſtinere ſatius duxi, atque utplurimum curabo, ipſum ad oris gratioſam delectationem potius, quam ad AEgrorum utilitatem plerumque conferre, putans.

CCCXLII. Exhibito mitiore purgante ſupradicto, aut *emetico*, quoties opus eſset, ſequenti die iterum ſanguinis emiſſionem ex Pede celebrari jubebam in congrua doſi, quae AEgrotorum vires, & morbi vehementiam reſpiceret. Interim praecipua mihi cura aderat, ut copioſas aquae acidulae potiones cum Mali medici ſucco ſaepiſſime ſumendas etiam, atque etiam commenda-

rem,

rem, quae, meo judicio, omnem in hujuſmodi curationibus paginam adimplere commode poterant; tum ut glutinoſam diſsolverem bilem, eamque ad exitum facilius diſponerem; tum ut eadem ratione febriles compeſcerem aeſtus, totiuſque ſanguineae maſsae tumultuarios furores ſedarem. Hinc quantum hiſce potionibus delectabantur AEgroti, tantum inde levaminis habebant. Unde & acidulas haſce copioſas potiones pro ſpeciali cardiaco in hiſce febribus ſemper habui, optime cum eruditiſſimo Boerhaave hujuſce aevi Medico celeberrimo noſcens, quod (190) *Cardiacum eſt proprie quidquid auget vim animalem movendi muſculos, & vim naturalem movendi fluida*; ſeu quod idem eſt, quidquid *morbificam* cauſam deſtruens, aut ſaltem retundens, deperditum ſolidis reſtituit tonum, fluidiſque congruam mobilitatem conciliat, propter quod utrinque optatum emergit aequilibrium, unicum & perenne vegetiorum in Corpore noſtro motuum omnium principium. Non enim nomine *cardiaci* volatilia ſemper, atque diſsolventia, magiſque actuoſa remedia intelligenda ſunt (191) *quoniam id, quod uni cardiacum eſt, idem ſit alteri venenum*: quod in noſtro caſu verum comperiri merito poterat. Hujuſmodi namque *cardiaca* ſanguinem attenuantia, mobilem etiam magis, atque activam reddere, eadem ratione, bilem poterant, atque proinde morbi cauſam magis, magiſque fovere. Hinc cum aliunde notum ſatis eſset, a furibundis hiſce bilis aeſtibus effrænatos tum ſolidorum, tum fluidorum enormes tumultus ſuſcitari: ut homogeneus magis, ſeu laudabilior eorundem reſtitueretur motus (quod unice *cardiacorum* uſum neceſsario expetebat) nullum magis congruum, magiſque efficax praeſidium erat, quam ad acidas haſce potiones frequenter confugere: cum hac de cauſa idoneum magis haberetur inde *cardiacum*. Quamobrem inutiles penitus, ne dicam abſolute noxios, tunc arbitrabar pulveres illos omnes *bezoarticos*, ut ajunt, *alkalicos*, *diaphoreticos*, diſsolventes, aut alios hujuſcemodi. Ad hoſce quandoque, & quidem raro confugere tunc conſuevi, cum Adſtantium potius credulis opinionibus, quam indigentiae morbi ſatisfacere curabam. Peſſimo enim neſcio quo Artis noſtrae fato, id ſpecialiter Medico ineſse munus debet, ut non tantum ſaniorum remediorum ope AEgrotantibus ſibi comminiſſis opitulari ſatagat: verum etiam ut politicis adminiculis propriae famae proſpiciat, ne forte, ſi ſpeciale quidpiam, etſi inane remedium omiſerit, moriente AEgroto, peſſime ideo illum ſuo munere functum fuiſse credatur. Tunc autem ea tantum ſeligebam remedia, quae, niſi optatum AEgrotis levamen adferrent, ipſis tamen nocere haudquaquam poſsent. In Noſocomiis ideo, ubi libere magis agere mihi conceſsum erat, ſimpliciore hac methodo ſervata, citius & tutius, ab hoc morbo evaſiſse AEgrotos utplurimum novi,



(190) *Boerhaave de Virib. Medicam.* (191) *Idem ibidem.*

paucis admodum adhibitis remediis. Hinc dicere ſemper ſoleo, Nobiles viros eo minus tuto, eo pejus curari, quo magis a ſimplicitate deflectens Medicus illos multiplicibus, magiſque pretioſis remediis curare coactus eſt: ac ſi Divitum, & Nobilium Hominum ſalus cariore redimenda ſit pretio, iiſque pompoſa, & ſpecioſa admodum remedia potius proſint, atque conveniant, quam ſimpliciora, & mere neceſsaria, quorum ope Pauperes facilime levantur. Alia tamen ratione Divitibus quandoque diverſa curatio congruit, cum verum ſit ſemper ex Seneca (192) *quod tam nullo aegrotamus genere, quam vivimus*; unde ibidem paulo antea ipſe animadverterat ſic: *Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paulatim: deinde in hanc pervenit multiplicem varietatem. Nec eſt mirum, tunc illam minus negotii habuiſſe, firmis adhuc, ſolidiſque corporibus, & facili cibo, nec per artem, voluptatemque corrupto. Qui poſtquam coepit, non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quaeri, & inventae ſunt mille conditurae, quibus aviditas excitaretur: quae deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis.*

CCCXLIII. Primariis hiſce remediis, juxta morbi naturam, affectorumque Corporum quorumlibet diſpoſitiones in uſum provide revocatis, diluentia tantum acidula ſupradicta indeſinenter uſurpanda indicabam: ſicque ab aliis quibuslibet temperabam remediis, quae nimis credulo uſurpari praejudicio paſſim ſolent. Sciebam enim tranſgreſſis tunc primis morbi diebus, naturae ipſi munus ineſſe potius, quam Medico, ut peccantes humores rite diſſolverentur, atque ad propria *ſecretoria* organa pervenirent, indeque neceſsariae fierent *criticae excretiones* (193) *Enim vero ut ſuae ſunt naturae viae* (pro ut doctiſſimus Hecquet animadvertit) *& viarum directiones, juxta quas ſervatur in ſanis functionum ordo, ſuae etiam ſunt ſub morbis naturae determinationes, ductu quarum illum ad ordinem functiones reſtituere nititur, aut revocare. Ut autem mutatis illis directionibus, mutatur Corporis OEconomiae facies, mutatis his determinationibus novatur morbus, nova enim, & praeter ordinem aſſurgunt ſymptomata, novus proinde morbus, moroſus in tantum, & difficilis, in quantum caecae temeritatis foetus eſt, non effectus naturae.* Quod hoc poſſit in curationibus morborum, ob nimiam Medicorum credulitatem, atque incongruam, noxiamque ſolicitudinem evenire nemo eſt qui ignoret.

CCCXLIV. Duae ideo mihi tantum, adaucto morbo, *indicationes* aderant, quibus omni ſtudio ſatisfacere curabam: nempe ut primo occurrentibus in dies *ſymptomatibus* dextere proſpicerem: ſimulque magis fidos naturae motus ſedulo attendendo, eos ultro magis promoverem. Ut ſecundae huic ſatisfacerem *indicationi*, cum ex repetitis totius obſervationibus ſatis didiciſſem tutiores naturae motus in hiſce febribus per Alvi dejectiones utplurimum

(192) *Seneca ep. 95. ad Lucill.* (193) *Hecquet Com. in Aphor. 20. Hipp. Sect. 1.*

rimum commode compleri; quoties Alvus inobediens esset, atque caeteroquin aliunde peccantis bilis aestus mihi satis innotescerent, *Clysteres* ex Lacte, alioſve hujusmodi laxantes, atque emollientes quotidie adhiberi, & bis etiam in die, si opus esset, jubebam. Mirum profecto est quam facile, quam blande graviora inde mitescerent *symptomata* omnia: quare quotidie Discipulis meis indicare non omittebam, praecipuam harum febrium ulteriorem curationem, frequenti enematum usui tribuendam omni jure fuisse: ut taceam sanguinis sufficientem emissionem, aliaque primis diebus usurpata praesidia, de quibus satis supra egimus. Si autem mediis *Clysteribus* parum dejiciebant AEgroti (eo quia crassior, & tenax magis bilis in superioribus praecipue *Intestinis*, aut saltem in eorundem confiniis residens, difficili admodum modo removeri inde posset) tunc ad diluentia praedicta saepius, & copiosius confugiendum esse monebam. Utilis etiam tunc maxime fuit in progressu morbi usus Olei amygdalarum dulcium identidem in parva dosi usurpati.

CCCXLV. Oleum hoc amygdalarum dulcium iteratis vicibus adhibitum, una cum repetitis laxantibus *Clysteribus* jam supradictis, plerisque etiam succurrebat *symptomatibus* in hisce febribus praesertim familiaribus: vomitui nempe, atque *cardialgicis* aliis *Ventriculi passionibus*, Ventris doloribus, *Hyppocondriorum tensionibus*, singultui, atque aliis hujusmodi. *Anodynis* tamen simul utebar, juxta indigentiam, atque inter haec ea specialiter seligebam, quae utilia toties expertus fueram ad *cardialgicas* hasce *passiones* in tertianis febribus sedandas, prout supra ostendi. Idcirco Sal Absynthii cum Laudano, aut *mixtura stomatica* mihi familiaris, tutissimum remedium fuit, ad haec *symptomata* illico sedanda: nunquam tamen omissis copiosis aquae potibus. Hisce solis simplicioribus remediis quamplures ex hisce AEgrotis servatos vidi, atque illos quoque, qui protracto ad plures dies continuo etiam singultu, cum universali Corporis refrigeratione, frequentibusque vomendi conatibus, animam jam agere videbantur; prout ex peculiaribus observationibus postea patebit. Congruum tunc etiam pluries remedium fuit malvaticum meracum vinum, cujus ope *ventriculi*, atque *Intestinorum* fibrae magis elasticae redditae, biliosum facilius expellebant humorem, non neglectis tamen *Clysteribus* ad id maxime conferentibus. Hisce iisdem de causis, quoties aderant *Hyppocondriorum tensiones*, utilia erant fomenta emollientia simul, atque discutientia saepissime adhibita.

CCCXLVI. Praeter dicta *symptomata*, in summo morbi conflictu molesto admodum Capitis gravamine vexabantur AEgroti, veternosi fere inde facti, cum universali torpore maximo, humeros gravius afficiente. Tunc etiam utplurimum *Oedematosus* quidam tumor totum fere corpus occupabat, atque extremitates maxime; simulque tota facies pari ratione intumescebat, rubicundo magis, ac quasi livido colore perfusa.

perfuſa. Talia autem *phaenomena* tunc citius, & facilius evenire conſueverunt, quum copioſae magis, magiſque lividae *petechiae* apparerent. Quamobrem, cum haec omnia a lenteſcente maxime undecunque humorum motu fierent, praeſertim in minimis tubulis cutim pervadentibus: utiles admodum perſaepe evadebant *cucurbitulae* ſcarificatae humeris appoſitae, quarum ope pleraque ex dictis *ſymptomatibus* illico mitiora reddebantur. Neque id a ratione penitus alienum quiſpiam arbitrabitur, ſi ſpecialem *cucurbitularum* actionem attenderit. Namque ipſae valida quadam ſuctionis vi cutis fibras comprimunt, atque proinde latentes in ipſa *ſanguineos, lymphaticoſque* ductus. Qua de re ſtagnans in ipſis ſanguis, aut ſaltem lente admodum per ipſos fluens, ad motum maxime ſolicitatur. Quod ſi extra aream *circulationis* dejectus in interſtitiis cutis reſideat (prout ſupra de *petechiarum* origine agentes ſuppoſuimus) eadem ratione contiguos venarum meatus ſubire cogitur, ut iterum in *circulum* redigatur. Nec tantum in ipſa parte, cui *cucurbitulae* apponuntur, earundem actio ſiſtitur; ſed ultro etiam vim ſuam exerit. Nemo enim ignorat conſenſum mutuum partium omnium noſtri Corporis, qui praeſertim in cute tam obvius cuique eſt, ut oculis ipſis percipi ſaepiſſime queat. Quapropter hinc liquido conſtat, quanam ratione *cucurbitulae* tunc humeris applicatae, non ſolum lenteſcentes ibidem humores ad motum urgere valide poſſent, ſimulque torpeſcentem ſolidorum elaterem ſuſcitare, & roborare: verum etiam in diſſitis aliis partibus tum externis, tum internis pari modo agerent; quo nil opportunum magis, magiſque efficax erat, ut tunc *petechiae* inde magna ex parte evaneſcerent; tum ut obtenebrata minus illico redderetur mens, univerſali ſimul imminuto gravamine, & torpore, aliiſque pari ratione non parum remittentibus *ſymptomatibus*.

CCCXLVII. Quotieſcunque tamen dictum Capitis ſummum gravamen non urgeret, neque tam gravi veterno premerentur AEgroti, neque ſummopere tumeſceret facies, nec oculi admodum lenteſcente in ipſis ſanguine rubeſcerent: *cucurbitulas* penitus omittebam. Si enim conſuetus torpor undique Corpus detinebat, copioſiſque maxime *petechiis* tota cutis inſperſa eſſet, illarum loco ad univerſales fortes *frictiones* confugiendum eſſe, tuto monebam, bis etiam ſingulo die eas repetendo. Porro ſi ſuctionis vim maximi aeſtimandam eſſe in *cucurbitularum* uſu, ob plures cauſas, ſupra indicavimus: non minoris certe momenti cuipiam videbitur univerſalis cutis compreſſio, atque corrugatio *frictionum* ope pluries excitata, ad praedicta ſolvenda *ſymptomata*. Idcirco, ut voti compos tutius evaderem, non ſicca manu, ſed oleo amygdalarum dulcium ſatis illinita frictiones tunc fieri curabam. Quin immo plerumque (quoties lenteſcentes in interſtitiis cutis humores diſſolvere efficacius, atque citius removere inde, velocioremq; in tota

ſan-

sanguinis massa motum excitare optabam) eidem oleo congrua dosis spiritus vini camphorati, una cum modica portione olei spicae volatilioris adjuncta erat, ut simul omnia pro idoneo linimento sufficerent, ad frictiones peragendas. Hujusce linimenti, iterataeque *frictionis* ope, minimi cutis meatus supradicta ratione aperiri melius poterant, simulque fibrae laxari, ut minor inde remaneret obex tam necessariae *perspirationis* muneri obeundo. Postquam aperte docuit clarissimus Desault (*) plurimi faciendas esse *frictiones* iteratas, & validas ad *podagricorum* humores crassos incidendos, atque per insensibilem *perspirationem* facile educendos; earundem maximam vim paucis sic merito explicat. *Si nous donnons attention a la structure de la peau, que Levvenoeck nous a developée, on ne peut se dispenser de croire l' utilité, que cette friction apporte au rappel de la perspiration dans les goutteux. Ces petites ecailles qui récouvrent la peau, ces petits canaux excretoires qui la débordent peuvent-ils manquer d'etre ouverts & relevés, lorsqu' on frotte une partie en tous sens, allant & venant? peut-on douter que par une male, & redoublée compression qu' ils souffrent, on n' exprime la matière qui y séjourne pour en procurer la sortie?* Porro non ad id tantummodo tunc *frictiones* hasce quammaxime prodesse arbitrabar, verum quoque ad dissolvendas, attenuandasque concreti sanguinis minimas portiones illas, quas una cum lympha in cute restitare, atque *petechias* efficere novimus. Quare dissolutus inde, comminutusque sanguis ille, ob iteratas dicto modo *frictiones*, ad motum magis, magisque solicitari ultro poterat, ut magis propinquos, hianteque inde magis tubulos pervadens, ad *circulationis* aream iterum reduceretur. Etenim, ut notat praeclarissimus Fridericus Hoffmannus (194) *Sola pedum paulo longior, & fortior frictio tantum valet, ut universam sanguinis massam, atque etiam humorum in celeriorem motum, cum intensiore calore, ut & perspiratione, adducat.* Quod potiore jure de universalibus *frictionibus*, ut supra diximus, saepissime usurpatis verum comperitur. Quare liquido constat, quomodo nam praesidia haec, quae a plerisque ad suppositam *petechialem excretionem* promovendam, atque augendam tam solicite in usum revocari quondam consueverant; atque nunc etiam a quamplurimis eadem ratione adhiberi solent; etiam in sententia nostra optima essent, atque merito convenirent: hoc tantummodo servato discrimine, quod si alii Medici, ad augendas solum, atque multiplicandas *petechias frictionibus*, atque *inunctionibus* utebantur: nos ad earundem citiorem, & faciliorem solutionem obtinendam, easdem maxime necessarias, utilesque esse arbitraremur.

CCCXLVIII. Ejusmodi *inunctionum*, *frictionumque* universalium quotidie, atque bis etiam in die adhibitarum

(*) *Pierre Desault dissertat. sur la Goutte.*

(194) *Frider. Hoffman. Med. R. Syst. Tom. 3. sec. 1. cap. 6. n. 16.*

hibitarum ope, ſicuti in extimis miminis tubulis, ita & in majoribus proinde internis canalibus, laudabiliorem ſanguinis motum promovebam, majorem aequa ratione ſolidorum fibris tonum addens, ſeu vividiorem *elaſticitatem*, tum & majorem humoribus omnibus fluiditatem, atque ad motum faciliorem diſpoſitionem, quae (ob factas undecunque progrediente morbo ſtaſes) deperdi magis, magiſque quotidie videbatur. Hinc faciliores pari modo, magiſque ſolicitae evadebant *ſecretiones* omnes, *excretioneſque*, atque *Inteſtinorum* praeſertim, quas diſtincte, utpote magis tutas, & hujuſce morbi enarratae cauſae magis congruentes, tutioribus ſupradictis remediis promovere non omittebam. Non ſemel tunc vidi, ſoluta ſatis Alvo, *Clyſterum* emollientium ope, bilioſiſque hinc ſuccedentibus congruis *excretionibus*, Capitis gravamen, & dolorem derepente imminui, atque etiam tolli, & quidem tutius, faciliuſque, quam ſi ad conſueta magis moleſta *revellentia*, quae in uſum paſſim revocari ſolent tunc fruſtra confugerem. Hinc magis ideo ultro patebat primariam hujuſce febris, omniumque ipſam comitantium *ſymptomatum* cauſam in imo Ventre ſpecialiter conſtitiſſe: unde & Caput quoque in conſenſum trahi ſolebat, ob patentem ſatis, licet nondum perfecte explicatam, communicationem Hepatis cum Capite, in gravioribus Capitis vulneribus a Chirurgis omnibus ſatis perſpectam; in quibus & vomitus, & *cardialgicas paſſiones*, & *abſceſſus* lethales poſtmodum in Hepate ob eandem cauſam plerumque ſuboriri, non eſt qui ignoret.

CCCIL. Dum praeſidia haec varia ratione pro AEgrotorum varietate, *ſymptomatumque* peculiarium ſaevitie in uſum revocabam, *cardiacas*, ut ajunt, potiones quoque non omittebam, quas variis modis parari jubebam, atque cocleatim identidem ſumi, juxta morbi ſpecialem indigentiam. Hujuſmodi potiones (quas in rigoroſo vulgari ſenſu vere *cardiacas* non auſim abſolute dicere) quandoque utiles in hiſce morbis maxime eſſe, ob graviora quamplurima praeſertim compeſcenda *ſymptomata*, ſatis ratio, & experientia ipſa ſuadet. A ſpirituoſis enim hiſce aromaticis remediis (dummodo dextere, & cum cautione debita uſurpata ſint, neque nimia polleant activitate deſtruendis potius, quam reſtaurandis viribus idonea) neſcio quid actuoſum Corpori ſuppeditatur, quod non raro, & flacceſcentes Ventriculi defatigatas nimis in hiſce caſibus fibras elaſticas magis reddit, nec ex toto abſimilem in univerſo ſolidorum ſyſtemate fructum parit. Eodem tempore hinc etiam lenteſcentia undecunque fluida ad motum urgentur, comminuuntur, attenuanturque, atque proinde ab ipſis animalis tota OEconomia, fere dixerim, reficitur. Dum ad haec confugiebam praeſidia, a multiplicibus abhorrens *praeſcriptionibus*, ſimplicitatem, meliore quo poteram modo, ſemper curavi; Quare cum non eadem ſemper ſeſe mihi offerret indigentia, non eadem ſemper

methodo

methodo eas parari jubebam. Attamen plerumque hujusmodi fuit talium potionum mixtio.

℞ *Aq. Tot. Citri*
*Pimpinellae* añ. unc. 3.
*Theriacal. River.* unc. 1.
*Confec. Alchermes* scrupul. 4.
*Succin. alb. praep.*
*Nitri purific.* añ. drach. 1.
*Sir. ex Corticibus citri* unc. sem. M. cap. cocleatim. Loco Succini quandoque Radicem *Contrahyervae* in pari dosi adjungebam. Si *cardialgicae* aderant *Ventriculi passiones*, si Alvus nimis fluebat, si vomitus urgebat; loco hujusce potionis ad *mixturam stomaticam* confugiebam, quam supra de Tertianarum febrium *symptomatibus*, atque earundem curatione agentes, proposuimus. Verum cum noscerem, una cum variis humorum *stasibus*, nervorum quoque malas affectiones suscitari, a quibus non semel supra enarrata Capitis morbosa plurima *phaenomena* proficiscebantur, cum stupore mentis, corporisque torpore universali, tremoribus &c. ad volatilia etiam *nervina*, una cum dissolventibus remediis aliis confugiebam. Sequens autem mixtura familiaris tunc mihi erat, eaque cum manifesto levamine quampluries usus fui.

℞ *Aq. Meliss. non spirituosae*
*Totius Citri* añ. unc. 2. & sem.
*Theriacal. River.* unc. 1.
*Confect. Hyacint.* scrup. 4.
*Tincturae electae Castor.* scrupul. 2.
*Spiritus Salis Armoniaci d.* drach. sem.
*Sal. Volat. Succini* scrup. sem. aut scrup. 1.
*Sir. de Toto Citro* unc. sem. M.

CCCL. Quotiescunque, una cum recensitis *symptomatibus*, delirium simul maxime, atque indesinenter vigebat, cum magno faciei rubore, oculorum nitore, atque manifesta adhuc in sanguineorum tubulorum maxima *turgescentia* in *Adnata* praesertim tunica: cum toties observassem naturam ipsam nil utilius tunc, quam *Haemorrhagias* Narium promovere; consuetis hisce salutaribus naturae motibus inhaerens, *Hirudines* Narium pinnis extrinsecus applicari monebam, modicamque inde sanguinis copiam, cum manifesto immediato AEgrotorum levamine, detrahi. Praesidium hoc eo rationabilius, tutiusque me amplecti posse putabam, quo magis ejusdem naturae consuetis *crisibus* accomodari videretur. Etenim cum (195) *Artis sit naturae ductum sequi, in iisdem rerum angustiis easdem venas, vel ex eodem saltem alveo derivatas aperiri sane convenit*. Loco tutioris hujusmodi, atque a natura ipsa indicati praesidii in gravioribus hisce Capitis *symptomanibus*, nonnulli illico, atque indiscriminatim, nullo fere habito respectu ad veridicam talium *symptomatum* causam, ejusdemque veram sedem, jugularem venam statim secandam esse docebant, omnem in ipsa

(195) *Freind. de febribus Com.* 2.

ipsa spem praeter modum ponentes. Quod talis venae sectio in quamplurimis morbis (196) *qui partes illas, unde jugularis extimae ramuli oriuntur, afficiunt, V. G. in Angina, Ophtalmia, & faciei tumoribus &c.* merito convenire possit, ipse docet, atque distincte explicat praeclarissimus Joannes Freind, qui fusius de ipsa agit, atque ipsam maximis commendat laudibus. Omnem tamen ad id distincte fidem merentur ea, quae eruditissime, atque cum grano, ut dicitur, salis pensitavit, atque exposuit eruditissimus, atque inter rationales Medicos commendandus maxime Joannes Baptista Silva (197) Haec enim, quae in hoc argumentum, praeter alia, sapientissime ipse protulit, sicuti eas omnes exhibent rationes, quae jugularis sectionem in quamplurimis morbis utilem probant; ita ex opposito praeproperum, minusque cautum ejusdem usum jure, & merito condemnant, talesque raro admodum haberi posse in morbis circumstantias ipse monet, in quibus necessaria vere sit jugularium sectio, neque aliunde per aliarum venarum sectiones aeque prompte, tutiusque levari AEgroti queant. Ego tamen asserere certe possum, me in enarrata hac *malignantium* febrium constitutione nunquam jugulares secari jussisse, licet gravissima Capitis urgerent *symptomata*; Comatosum nempe gravamen, mentis stupor, delirium, aliaque hujusce indolis, quae, praeviis aliis generalibus praesidiis, solo *enematum* frequenti usu commode solvebantur, cum in imo Ventre primaria eorundem vigeret causa, atque Cerebrum per consensum tantum, ut ajunt, pati videretur.

CCCLI. Spirituosae dissolventis supradictae potionis ope, atque *frictionum* maxime modo supradicto adhibitarum, una cum spiritu Vini, aliis ultro ad id conferentibus praesidiis, Capitis gravia quaeque tunc suborta *symptomata* plerumque sedata vidi, quin ad *Vesicantia* confugerem, quibus alii Medici, quamplurimis non contemnendis rationibus ducti, saniorumque Virorum plurium auctoritate suffulti, uti fidenter solebant. Ego certe nunquam *Vesicantibus* credere, aut fidere tantum potui, quantum alii indiscriminatim faciunt. Etenim licet ea omnia, quae a *Vesicantium* Fautoribus in eorundem laudem adducta sunt, omnem mereri laudem primo intuitu videantur: fixum mihi, ratumque semper tamen erit (198) *Rem maximae difficultatis esse, ubi plura adhibentur remedia, dignoscere, utri in morbo liberando prima deferre oportet*: prout clarissimus Freind notat, qui caeteroquin acerrimus *Vesicantium* Patronus, atque AEstimator videtur (199) dum & ratione, & experientia, eorundem necessitatem probare contendit. Quicunque *Vesicantium* usum distincte commendant, atque quamplurium AEgritudinum sanationem ipsis unice,

(196) *Freind. de febribus Com.* 2.
(197) *Traité de l'usage des Saignées prem. part.*
(198) *Freind. Com. de Febribus Com.* 7. *Hist.* 1. (199) *Idem ibid.*

te, & ſpecialiter adſcribendam eſſe arbitrantur: certe aliis etiam uſi fuerunt remediis, quibus forſitan victoriae palma potiore jure tribuenda erat; aut rite nunquam ſtatuere quiſpiam poterat, cuinam vere ex hiſce eſſet rationabilius referenda. Non hinc tamen *Veſicantium* utilitatem maximam in quamplurimis morbis abſolute denegare audeo; ſed eorum generaliter commendatam plus aequo potentiam in morbis illis omnibus concedere prorſus nequeo, in quibus maxime convenire, quin immo neceſſariam ſummopere eſſe, plures arbitrantur, atque pleno nimis ore ubicunque depraedicant. Non pauci occurrunt morbi, in quibus *Veſicantium* uſum reſpuere, utilitatemque denegare, idem penitus eſſe arbitror, ac contra veridica experientiae quotidianae dogmata temere pugnare. Si autem minimus hujuſcemodi AEgritudinum numerus, cum innumerabili pene aliorum morborum, quibus nil penitus conveniunt, atque infenſiſſima etiam ſunt, agmine conferantur: nullius fere uſus eſſe poſſe in Medicina reperientur. Non vacat hic ſingillatim oſtendere in quibuſnam tantum morbis *Veſicantia* merito laudanda ſint, ſingulaſque ſimul non tam facile ſolvendas rationes in proſpectum ponere, propter quas in pleriſque aliis, quin immo in maxima eorum parte damnanda merito ſunt, quae fortaſſe alias, ſi opus erit, peculiaris diſſertationis contexendae argumentum mihi non inutiliter exhibebunt. Satis ideo ſit pro inſtituti hujuſce ratione breviter perquirere: an vere *Veſicantia* febri huic rationabiliter convenire poſſent, an vero ſuperflua potius eſſent, & nocua, ideoque jure, meritoque damnanda; quia tutius, & jucundius aliis utens mitioribus praeſidiis Medicus, ea omnia tollere poſſet mala, *ſymptomataque* evincere, quibus nunquam melius, quam *Veſicantium* adminiculo obviam ire ſe poſſe, nonnulli putabant, atque publice profiteri non verebantur.

CCCLII. Et ut rem hanc intime magis perſpectam breviter reddam, credulis hiſce *Veſicantium* nimium ſolicitis Patronis, ex ſupradictis objicio, febrem hanc, non vere ab humorum lentore, craſſitieve originem ſortitam fuiſſe, neque a ſolidorum laxitate: ſed e contrario a nimia ſanguinis volatilitate, mobilitate, atque diſſolutione, ob ſpeciale actuoſae admodum, atque ſcindentis bilis dominium (aut quodlibet aliud non abſimile ſpirituoſum maxime principium ſupponere in quocunque ſyſtemate alio modo velimus, quod idem, mutatis mutandis, prorſus ſonat) unde & febriles validi ſuſcitabantur fervores, ipſaque ſolida, ob indeſinentes, atque violentas fluidorum tumultuarie aeſtuantium percuſſiones, ad enormes contractiones ſolicitata, eo magis valide contenta fluida verberando, ipſa ultro diſſolvebant, atque eorundem motum celerem magis, magiſque reddebant: qua de re, mutua hac tam efficaci ſuſcitata *cauſalitate*, furibundi illi, variiq; tunc fiebant humorum tumultus, innumeris

meris *symptomatibus* progignendis aptissimi. Hisce sic stantibus (quae in dubium revocari non tam facile ex dictis poterunt) si ex oppositio *Vesicantium* suppositam a pluribus potentiam ponamus; quis non videt, quam rationabiliter non tantum fruſtranea, sed maxime nocua censenda! tunc illa essent? utpote quae & fluidorum majorem dissolutionem promovere maxime poterant, solidorumque contractiones eo magis validas, eo magis incongruas, totique animali oeconomiae infensas reddere.

CCCLIII. Ex oppositio instare pergunt Adversarii, eatenus primariam hujusce febris causam non *dissolutioni* humorum, sed *coagulationi* referendam verisimiliter fuisse; quatenus & *Oedematosos* tumores, & gravamina Capitis, & universales Corporis lassitudines, fibrarum laxitates, *soporosas* affectiones, surditates, internasque varias, & externas *stagnationes*, atque inflammationem ipsam attendere nobis contigerit, aliaque hujusmodi, quae, juxta eorundem sententiã, maximam sanguinis ad stagnandum proclivitatem in propatulo ponunt. Quod *Phaenomena* haec a sanguinis, aut lymphae, aut utriusque variis *stasibus* in diversis partibus factis derivanda merito fuerint, in dubium revocare nunquam ausus fui. Hoc tantum absolute nego, quod ejusmodi *stases* praeviam humorum specialem crassitiem, seu ad stagnandum peculiarem propensionem necessario supposuerint.

CCCLIV. Si verum est, quod sanguis (cujuscunque ille sit conditionis), statim ac a consueta *circuitus* semita deflectens, in alienis residet tubulis, nativo suo fraudatus motu ibidem coagulatur; si verum est etiam, quod eo facilius extra sanguineos tubulos prosilire sanguis potest, quo velocius movetur, quo tenuvior est, magisque actuosus; hinc deduci facile potest, eo frequentius, eo facilius, eo commodius stagnationes hasce suscitari posse, quo magis dissolutus, magisque tenuis supponitur sanguis. Ob hanc specialiter rationem, varias *petechiales stases* in hisce febribus factas fuisse satis supra probavimus: quas a praevia sanguinis glutinosa, crassaque conditione derivare merito nemo unquam potuisset. Mobilis nimis, tenuisque, & dissoluti admodum sanguinis effectus unice erant hujuscemodi *stases* omnes, quas e contrario a nimia ejusdem tenacitate deducendas esse ipsi arbitrabantur. Quamobrem dum mediis *vesicatoriis* sanguinem ultro dissolvere tentabant, idem prorsus erat, ac humores omnes in furibundos magis aestus cogere, tenuioresque illos reddere, atque proinde magis aptos ad concitatiores suscipiendos motus, eorundemque inde momentum magis, magisque augendum, ut & facilius, & violentius minima dirumperent vascula, aut saltem eorundem hiatus ampliores redderent: unde postea citius, & facilius a sanguineorum canalium semita sanguis aberrans, extra ipsam stagnaret, concrescereteq; quod pari modo etiam de lympha verum esse satis patet.

Ex

CCCLV. Ex hiſce autem an rationabilius laudandus, aut potius condemnandus merito fuerit *Veſicantium* uſus, decernendum cuique libenter relinquam. Inſtabit hic tamen aliquis cum eruditiſs. VValdſchmidio (200) *Nunquam me fefellit Veſicatoriorum uſus in morbis malignis*: quod ultro innumeris pene aliis clariſſimorum Virorum ſententiis comprobare poſſet. Si cum hoc Auctore id intendant explicare Adverſarii noſtri: quod ideo *nunquam ipſos fefellerit veſicatoriorum uſus*; quia nulla unquam ab iis incommoda gravia ſuſcitari noverint, neque tam violenta enaſci *ſymptomata*, propter quae in manifeſtum vitae periculum inde AEgroti conjicerentur: Hoc gratis concedendum eſt. Quandoque enim fit, ut adhibitis *Veſicantibus*, nulla ex conſuetis *ſymptomatibus* eveniant: quod ſemper ipſi fauſta ſorte contigiſſe, non abs re erit ſupponere: niſi tamen non immerito dicere velimus, utplurimum *Veſicantium* Amatores a praeconcepta de iiſdem proclivi nimis opinione obcaecatos, nunquam ſatis ea noſcere, aut indicare velle mala, quae ab ipſis neceſſario plerumque emanant. Si autem aliunde aſſerere ipſi non dubitent, quod ideo *ipſos nunquam fefellerit veſicatoriorum uſus*; quia ſemper ipſorum adminiculo & tutius, & citius *malignitatem* cauſam devictam fuiſſe credant, gravioraque inde omnia profligata *ſymptomata*; bona ipſorum venia, certo ipſis obtrudam; quod ex communi ſaniorum Clinicorum omnium ſententia ideo ſpecialiter in Medicina difficile admodum judicium evadit: quia difficile maxime captu eſt, atque explicatu, an ſemper quovis adhibito remedio (ſpecificis tantummodo exceptis, quae perpauca ſunt) vere, & unice ipſius ope convaluerit AEgrotus: quod de *Veſicantium* vi pari ratione verum comperitur, ut alias etiam ſupra demonſtravimus, de morborum Pectoris curatione agentes.

CCCLVI. Si ex innumeris pene habitis obſervationibus, non ob praeconceptam gratis opinionem meam, ſed ob liberum tantum veritatis amorem, oſtenderim, aeque bene, aeque facile, aeque tuto (ne dicam facilius, & jucundius) hujuſcemodi AEgrotos mihi commiſſos, abſque *veſicantibus* convaluiſſe, ac alios alia methodo tractatos, quibus non defuerat tam crudele Medentium munus; nonne hoc ſatis erit ad eorundem neceſſitatem denegandam? Neceſſaria enim, meo judicio, illa dici merentur remedia, ſine quorum auxilio, ſi non in pejus ruit morbus, ſaltem non tam facile, non tam cito, non tam tuto evincitur: quod certe de *veſicatoriis* verum comperiri tunc haudquaquam potuit. Verum dum inde *veſicantium* fruſtraneum uſum ab obſervationibus hiſce deducere fideliter ſatago: non deerunt alii, qui ſtatim objicient, quod ſi recta eſſet ejuſmodi illatio; aeque bene inferre quilibet poſſet, quod, cum Ruſtici quamplurimi, abſque ullis remediis (nunquam tamen abſolute abſque Medicina naturali, quae illis ſpeciale ſaltem ſuggerit victus

(200) *VValdſchmidt. in Miſcell. Curioſ. Dec. 1. A. 2. obſer.* 214.

victus regimen, ſi non laudabile, & morbo congruum, ſaltem minus erroneum, & a conſueto diverſum) optime convaleſcant: remedia etiam alia omnia ſuperflua penitus cenſeri inde merito debeant. Quicunque ſic loquitur, dum probare nimis ſic videtur, nihil penitus probat. Qui præjudiciis male obcaecatus judicat, peſſime judicat, atque argumentatur. Si enim hujuſcemodi morborum progreſſus, atque exitus adamuſſim conferantur, & diſtincte attendantur in illis, qui nullis remediis uſi fuerunt, ac in illis, qui methodicas ſubierunt curationes, dum caeteroquin utrinque fauſta morbi ſolutio ſubſecuta fuit: maxima aderit diſcrepantia, tum quo ad morbi durationem, tam quo ad *ſymptomatum* ſaevitiem, cui ſatis opitulari Medicum poſſe, mediis *Narcoticis*, ſaepe novimus; dum e contrario tali deficiente adminiculo, & ea crudelius ſaeviiſſe, & diutius protracta eſſe, & frequentius inſurrexiſſe, experientia ipſa teſtatum pluries reliquit. Sicuti igitur nefas eſſet arbitrari, inutiles curationes eſſe, etſi ſana methodo peractas, quia ſine Medicis, & remediis quamplures ſanantur: ita abſurdum manifeſte proponere videntur ii, qui ex ratiocinio meo ejuſmodi peſſimam, & univerſalem deduci poſſe illationem autumant, dum inutilitatem *veſicantium* in hiſce morbis probare curo.

CCCLVII. Inſtabunt ultro, quod etiamſi iſtarum febrium cauſa a diſſolutione petenda vere fuiſſet, indeque *veſicantia* jure, meritoque damnanda: ad effectus tamen facilius tollendos non tantum inutilia, non tantum noxia, ſed & neceſſaria, quammaxime tunc ipſa cenſenda erant. Quandoquidem dum *ſymptoma*, utpote gravius, totam ad ſe curationem trahere videtur: illa cito, atque rationabiliter praeſcribere remedia expedit, quae e directo *ſymptomaticum* effectum optime vincere valeant, etiamſi primariam univerſalem cauſam eadem ratione foveant, augeant, atq; magis aeſtuoſam reddant; quemadmodum me tunc egiſſe dicent, dum volatilia, & diſſolventia tum externa, tum interna omnis generis me in uſum revocaſſe ſupra demonſtravi, ut *petechiales* maxime *ſtaſes* facilius ſolverem, aliaque evincerem *ſymptomata*: dum eodem tempore talia remedia cauſam ipſam actuoſam magis reddere manifeſte poterant.

CCCLVIII. Nemo certe inficias iverit, quod non raro, dum attendendum ad id ſpecialiter eſt, quod magis urget, ipſi cauſae proſpiciendum minus eſt, ut occurrentibus *ſymptomatibus*, ejuſdemque magis funeſtis effectibus conſulere ſatis poſſimus: propter quod ad ea ſtatim confugimus remedia, quae primariam quandoque potius cauſam ſuſcitant, quam deſtruunt. Attamen tunc ideo maxime curare debet Medicus, ut ad ea tunc remedia confugiat, quae minus cauſae affinia ſint, minuſque ideo metuenda. Hinc ad *frictiones* potius univerſales cum ſpiritu Vini camphorato, atque oleo amygdalarum dulcium factas, tutius, atque utilius, omiſſis *veſicantibus*,

*tibus*, confugere conſuevi, quae intento optime ſatisfacere poterant. Namque (201) *Frictio poros cutis patulos, & apertos reddit* (ut cum celeberrimo Friderico Hoffmanno loquar) *auctoque calore, majorem ſanguinis influxum allicit, & ſanguinem attenuando ejus curſum accelerat, qua ratione juvandae perſpirationi commodiſſime inſervit*. Si *frictionum* ejuſmodi vis in caſu noſtro cum *Veſicantium* potentia conferatur ( licet facile probare poſſem illarum potius, quam iſtorum magis efficacem actionem eſſe ) hoc certe diſcriminis manifeſte habebitur, quod *frictiones* motum ſanguinis accelerare in extimis canalibus, & ſucceſſive in internis valeant, atque proinde, ob adauctam velocitatem, ipſius etiam optatam diſſolutionem promovere, & *ſtaſes* paulatim ſolvere; quin ſimul vitioſam in ſanguinem introducant qualitatem, ſolidaque ad violentiores fere *ſpaſmodicas contractiones* cogant. *Veſicantia* autem haec fortaſſe praeſtant, dum per poros cutis ſcindentes, volatileſque quaſdam intropellunt particulas, quae ſimul pejora quandoque *ſymptomata* exſuſcitant non parum metuenda; dum ſpecialiter, & in ſolidorum univerſum genus agere comperiuntur. Quod ſi inde efficacem magis *Veſicantium* actionem, ſecus ac *frictionum*, dicant, ad optatas *diſſolutiones* obtinendas, mediis *cantharidum* minimis, & penetrantibus moleculis in ſanguinem affatim inſinuatis; ſciant me hoc aeque tuto, & commodius, & efficacius tunc praeſtitiſſe, adhibitis ſimul interius volatilibus, & ſpirituoſis remediis, quorum etiam ope *frictionum* actionem praedictam ultro augere, atque magis activam reddere non omittebam. Addam inſuper, quod ideo hujuſcemodi volatilium ſalium, aut ſpirituum moderatus uſus magis intento ſatisfacere queat; quia pro libito facile repetuntur, atque identidem, juxta indigentiam, commode uſurpantur: quod certe de *Veſicantibus* verum neutiquam comperitur; quia ipſa eo tantummodo tempore diſſolventes moleculas haſce, & quidem in minore copia, ſanguini ſuppeditant, quo ipſa cuti affixa manent; nempe duodecim, aut viginti quatuor ſaltem horarum ſpatio. Non enim tam facile reiterari ſolent, cum ſatis quiſque noſcat, non parvi momenti mala timenda inde merito eſſe.

CCCLIX. Quamplures enumerare hic poſſem Auctores, ſolidaſq; ab ipſis non tam facile evertendas rationes deſumere, atque hic proponere, quibus partim inutilis, partim noxius admodum probatur *Veſicantium* uſus; prout in aureo libello ſuo de uſu *Veſicantium* in maligna febri praeſtitit praelaudatus Homobonus Piſo Concivis noſter. Ad effugiendam tamen prolixitatem haec omnia omittam, utpote cuique ſatis nota. Satis ſuperque pro omnibus eſſe poſſunt ſolidiſſimae duodecim rationes, quae proponuntur in obſervationibus medicis (202) praeclariſſimi, atque immortalis Valliſnerii



(201) *Frid. Hoffman. Med. R. Syſt. Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9.
(202) *Valliſn. Tom.* 3. *S.* 29.

nerii in celeberrima Patavina Univerſitate quondam primarii Medicinae Profeſſoris, cujus acerrimo ingenio, indefeſſis laboribus, atque omnigenae doctrinae, maximam tutioris hodierni ratiocinii medici partem deberi, nemo eſt qui non noverit, nemo eſt qui non plaudat, atque magnificentiſſimis laudibus commendet.

1. Primo autem, ideo *Veſicantium* uſum condemnandum eſſe ibidem conſtat, quia *Cantharides* igneis conſtant particulis ſanguinem accendentibus, atque febrim ipſam augentibus, propter quod ſic febris febri additur: id oſtendit ſitis, calor, frequentia pulſus &c. Tam prava autem eſt, tam infenſa *cantharidum* venenata vis omnibus ſatis cognita, ut de iiſdem agens praeſtantiſſimus Tournefortius, Botanicae famigeratiſſimus Profeſſor in Gallia abſolute ſtatuerit, hujuſcemodi remedio, pari cum praemeditatione utendum eſſe, ac ſi quis ad venenum vere confugeret: quod hiſce verbis aperte indicat. (203) *Il faut apporter preſque autant de precaution quand on ſe ſert des cantharrides, que quand on employe l'arſenic*. Meum non eſt hic diſtinctam *cantharidum* veridicam analyſim proponere, cum quiſque noſcat, quam volatiles, quam actuoſae, quam ſcindentes venenatae particulae in hiſce animalculis lateant, ita valentes, ut totius animalis Oeconomiae ſymmetriam ſuſdeque vertant, tum extrinſecus Corpori applicata, multoque magis intrinſecus aſſumpta. Neque unquam pro libito hujuſce veneni actionem moderari, atque ad ſpeciales partes dirigere poteſt Medicus, ſi jam in ſanguinem intruſum ſit, variis modis effraenatos magis ſuſcitaturum tumultus, juxta diverſam affectorum corporum diſpoſitionem.

2. Quia in malignis febribus praecipua eſſe debet Medentium cura in conſervandis AEgrotorum viribus; quas vi doloris, atque aliter etiam *veſicantia* enervant.

3. Quia in laceratis ſic partibus *gangraenae ulceroſae* enaſci pluries obſervantur; unde *Veſicantia* non morbi remedia, ſed pejoris morbi cauſae dicenda ſunt; dum eorundem vi morbum augemus, atque protrahimus. Id ſpecialiter nos quoque ſaepiſſime adnotavimus, atque ultro etiam pluries novimus, quamplures ob *ulceroſas gangraenas* haſce miſerrime mortuos fuiſſe, aut diutius admodum aegrotaſſe, poſteaquam a maligna ipſa febri omnimode convaluerant, peculiaribus ejuſdem *ſymptomatibus* omnibus ex toto profligatis. Neque *Gangraenae* iſtae *malignantis*, ut ajunt, humoris ſoboles merito cenſeri poterant; cum non potior adeſſet ratio, propter quam iis plerumque occurrerent tantum, quibus applicata fuiſſent *veſicantia*, atque in laceratis tantum illis partibus, & non alibi. Non equidem exiſtimo, naturam tam facile Medicorum juſſibus obtemperare, ut ad eas partes potius *criticas ſecretiones* ſuas dirigat, quae ipſi a Medico indicatae ſunt: cum hoc non naturam adjuvare, ſed temere cogere prorſus eſſet.

(203) *Tournefort Traitè de la matiere medicale T.* 1.

eſset. *Metaſtaſes* enim a ſpeciali quorumcunque AEgrotantium Corporum diſpoſitione dependent, habito reſpectu ad partem in quocunque morbo magis affectam: contra quod quarta hic ſubſequens ratio ulterius militat.

4. Potiſſima ratio, propter quam *veſicantia* adhibentur, illa eſt, ut ab ipſis congrua naturae aperiatur via, per quam infenſos *malignantes* humores educat. Id autem falſiſſimum eſt. Talis enim, qui inde exit, humor lympha tantum, & ſuccus nutritius eſt, qui, dum illuc tendit, juxta conſuetas *circulationis* leges, per corroſos canaliculos exit, qui illico concreſcit, tanquam albumen ovi; quod de lympha diſtincte verum eſt, non autem de ſomniatis *malignis* humoribus, ab acrium ſalium, ut ipſi putant, congeſtione pendentibus. Humorem autem illum a laceratis illis partibus educi, eodem prorſus modo arbitror, quo, ſiquis alicujus Arboris corticem quomodolibet incideret, ejuſdem tubulorum continuationem tollendo. Inde enim *nutritius* proſilit ſuccus, qui, niſi identidem inde removeatur, glutinoſa vi ſua ſtatim concreſcit, prioreſque ſciſſuras occludit taliter, ut nihil amplius educi queat. Hoc certe, pari ratione, evenire ſolet in partibus, quibus *veſicantia* applicantur, quae, niſi ſolicita Chirurgi manu confricentur, atque affluens *nutritius* humor facile ibidem concreſcens abſtergatur, ſtatim exſiccantur; id quod creduli nonnulli Medici tanquam peſſimum omen plerumque attendunt, cum hoc *maligni* humoris *reconcentrationi* (prout ipſi falſo putant) adſcribi nullo modo unquam poſſit.

5. Qui ſanguinis *circulationem*, noſtrique corporis mechanicam ſtructuram optime calleat, ſatis etiam intelliget, a laceratis ſic hujuſcemodi partibus illam tantum humorum portionem educi poſſe, quae *circulando*, juxta vaſorum diſpoſitionem, illuc tendit, atque ex pravis ſimul, boniſque ſuccis conflatur. Humor autem ille, qui malae indolis exit, habito reſpectu ad magnam humorum *malignantium* copiam, juxta eorundem ſententiam in hiſce febribus ſpecialiter dominantem, tam modicus eſt, ut prius oporteret AEgrotum mori, anteaquam tota *malignitas* eliminata ſic penitus fuiſſet. Inſuper *malignitas* eſt in toto ſanguine: ſanguis non exit a laceratis partibus; ergo *malignitas* inde non exit. Ego autem ſic alio modo arguam in propoſito noſtro. Primariam hujuſce febris cauſam a bile derivandam abſolute fuiſſe, ex dictis ſatis novimus: ſed bilis ab eroſa cute neutiquam prodibat; ergo inde morbi cauſa deſtrui nequaquam poterat. Quamobrem concludendum eſt iterum cum doctiſſimo hoc praecitato Auctore, totum id, quod adhibitis *veſicantibus* ab eroſa cute effluit, ſuccum eſſe dulcem, *nutritium*, & naturae prorſus amicum; non autem hoſtilem, ut Adverſarii certe putant.

6. Praecipua in evincendis malignis febribus Medico indicatur ſolertia, ut peccantium humorum *coctionem* obtineat, ſeu ut naturae motus laudabiliores promoveat, aut

ſequatur, ad hoſtiles particulas e ſanguineo penu ſejungendas. Hoc autem *veſicantia* potius impediunt, dum ad cutim violenter humores pellunt, maſſam totam turbant, atq; tumultuarios inordinatos prorſus motus ſuſcitant, *cauſticis Cantharidum* venenatis ſalibus ſic intruſis.

7. Si natura *criticos* motus in hiſce febribus ad cutim molitur, nonne idem eſt, ac contra ipſam pugnare, ipſiuſque actionem deſtruere, dum *veſicatoriis* utimur? Id autem in caſu noſtro verum eſſe potiore jure ſemper novimus, cum ſemper viderimus, non aliter, quam per Alvum, bilioſi peccantis humoris *excretionem* naturam utiliter promoviſſe.

8. Quod ſi in aliis etiam caſibus naturae motus *criticos* ad cutim nondum ſatis perſpectos habeamus; quare illuc peccantes humores propellere contendimus? cum naturae fidelis ſectator Medicus eo tantum tendere debeat, quo natura ipſa vergit, ut ex Hippocratis documentis habemus.

9. Ob arſenicalis *cantharidum* corroſivi ſalis intruſionem, ſanguinem quandoque AEgroti mingunt; quandoque urina ſupprimitur (quod non ſemel nos etiam hic contingere obſervavimus, & quidem aliquando tam infauſto exitu, ut ſoluta ex toto maligna febri, ſuccedente hinc Veſicae *inflammatione*, mors inde miſerrime, ut alias diximus, ſucceſſerit) ob *ſphincteris* Veſicae nimis fortem *contractionem*. Quandoque immoderatum, atque involuntarium urinae exitum evenire novimus: vigilias ſuſcitari, enervari vires, ſpaſmoſque fortes ſuboriri. Nec quidquam mirum eſt, quod *Cantharidum* actuoſae moleculae tam diverſa, quin immo ex toto oppoſita, fere dixerim, ratione agere poſſint; cum earundem varia actio diverſas ſemper ſequatur Corporum diſpoſitiones, & Veſicae maxime, ubi validius vim ſuam exerere ſpecialiter ſolent. Hoc appoſite ſatis, atque perbelle paucis explicat clariſſimus Joannes Baptiſta Mazzinus in Patavina doctiſſima Univerſitate Medicinae Practicae Profeſſor celeberrimus in eruditiſſima ſua Medicamentorum Mechanica. Ipſe enim obſervans nonnulla vegetabilia, ut Hellenium Mures enecare, Nucem vomicam Canes occidere, reliquis Animalibus illaeſis, inde deducit, quod (204) *Similiter Cantharides ſine noxa mixtionem inire poſſunt cum ſanguine humano; cum vero iſtae, aut in Renibus, aut in veſica unionem fecerint, cum tali determinato numero ſalis armoniacalis urinam componentis, tunc tales moles componi poſſunt, quae pondere, ſuperficie, ac figura, ſtygiam veluti indolem acquirant, aptam renales glandulas, aut veſicam potentiſſime lacerare, urinarum mucos diſſolvere, & urinas validiſſime promovere &c.*

10. Si ex communi Recentiorum conſenſu malignae febres ab humoribus acribus, & diſſolventibus fiunt (quod in enarrata praeſertim conſtitutione eveniſſe ex ſupradictis ſatis conſtat) ad quid igneas, volatileſque addere particulas neceſſarium eſſe quiſpiam putabat? quod idem prorſus

(204) *Mazzinus Mech. Medicament.*

sus erat, ac morbi causam fovere, atque magis, magisque valentem reddere.

11. Concedamus, quod aliquando specialis occurrere possit constitutio, propter quam *Vesicantia* convenire possint: non hinc tamen omni, & cuicunque individuo competunt. Haec ferre possunt Corpora pinguia, humida, &, ut ajunt, pituitosa. Non ita bilioſi Homines, debiles, Senes, extenuati, calidi, quorum sanguis salinis, sulphureisque scatet particulis: qui plerumque dictis febribus detinebantur.

12. Hinc tandem concluditur, quod si quandoque *Vesicantibus*, ob politicam tantum, uti velimus, ut plura facere in hisce casibus videamur: id faciamus, sed absque AEgrotantium damno. Secus enim politica haec, Tyrannis esset. Ultimo *Vesicantia* tanquam quid diabolicum ipsi videri, hisce verbis hic Auctor ostendit (205) *Io sospetto, che sia invenzione diabolica per fare bestemmiare gl' Infermi, per ridurgli a disperazione in quelle ultime agonie, per fargli maledire la Medicina, che per sé è buona, ed il Medico, che per loro è cattivo.* Hinc satis, & ultro patere cuique posse credo, me non immerito, non irrationabiliter in enarratae supra febris curatione manum a *Vesicantium* usu temperasse: quod aliis ultro rationibus a quamplurimis etiam Auctoribus depromptis confirmare adhuc me posse nemo ignorabit. Quare cum praelaudato celeberrimo Homobono Pisone, quemlibet ex nimis credulis *Vesicantium* aestimatoribus, atque amatoribus, sic mihi pro assumpti coronide placet alloqui.

(206) *Parce pias scelerare manus quicunque medelam*
*Lethiferi aggrederis morbi; si pestifer humor*
*Sanguiferos subeat, febri comitante, meatus,*
*Spectraque turbatam vexent bacchantia mentem,*
*Sive instent Cordi corrupti copia succi,*
*Cur subito exuris lenaeis ignibus artus*
*Efferus in proprium genus? Hosne subire dolores*
*Debuerit medica poscens solamen ab arte?*
*Solaque tot poenas indicent jussa Medentum?*
*Quid prosunt sano stillantia membra cruore,*
*Et sine labe cutis diro lacerata veneno,*
*Mitia cum possint compescere pharmaca morbos?*

CCCLX. Solis itaque universalibus *frictionibus* identidem, ut supra diximus, usurpatis, tum & volatilibus congruis remediis utens omnem in summo morbi conflictu operam juxta indigentiam adimplebam, cavens semper sedulo, ne salutares unquam naturae motus, aut retardarem, aut compescerem, aut contra ipsius febris genium temere dirigerem. Non omittendas simul esse demulcentes acidulas simplices potiones



(205) *Vallisner. loco supra citat.*
(206) *Homobonus Piso de usu Vesicant. in febr. malig.*

nes plenis hauſtibus uſurpatas, ſemper monebam, ut dixi; emollientes ſimul *Clyſteres*, prout opus eſſet, frequenter praeſcribens, ut bilioſas Alvi *excretiones* promoverem, quibus plerumque tutiorem Morbi ſolutionem omni jure fuiſſe tribuendam ſemper animadverteram.

CCCLXI. Hiſce omnibus rite, prout peculiaris Morbi, atque AEgrotorum ratio poſtularet, in uſum revocatis, quotieſcunque natura vel ex ſe, vel provide adjuta, *criticis* idoneis *excretionibus* omnimodam, tutamque Morbi ſolutionem moliri videbatur; ad alia ultro tranſire inconſonum penitus arbitrabar, juxta tritum divini Senis monitum: (207) *Quae judicantur, & judicata ſunt perfecte, neque movere oportet, neque innovare, ſive purgantibus, ſive aliis irritamentis, ſed ſinere.* *Critici* autem ejuſmodi naturae motus, pro totali febris ſolutione, quamvis utplurimum poſt ſeptimam inchoati, circa decimam quartam fere ſemper perficiebantur. In aliquibus tamen ad vigeſimam primam uſque morbi diem protendi viſi ſunt; pro variis affectorum Corporum praeviis diſpoſitionibus, atque peccantis ipſius humoris citioribus, tardioribuſque motibus, nec non ſpecialibus ejuſdem *ſtaſibus*, atque maxime juxta occurrentes quotidie aeris viciſſitudines: propter quae merito in pleriſque varia, atque plus, minuſve gravia exſurgebant *ſymptomata*; pro ut paulo infra ex peculiaribus ejuſmodi febrium hiſtoriis notum fiet. Tunc autem de totali, atque tuta morbi ſolutione minus dubitabam; quum paulo poſtea priſtinus AEgrotis reddebatur appetitus, placidus magis fiebat ſomnus, concocta per Alvum ejiciebant, nulla aderat oris amarities, nulla in Abdomine tenſio, neque ulla alia penitus apparebant ſigna, quae latitantem adhuc fortaſſe bilioſum fomitem indicare poſſent. Aſt cum oppoſita his eveniebant, atque gravis, praeſertim prope Ventriculum, moleſta tenſio perſiſteret, cum maxima nauſea, lingua flava, plerumque cum inanibus ad dejiciendum conatibus, atque nocturnis jactationibus: Hiſce, inquam, ſic ſtantibus, non omnimode evictam hoſtilem cauſam adhuc fuiſſe noſcens, ad congruum purgans remedium confugere ſatius exiſtimabam. Merito enim & ipſe divinus Senex aperte monet, quod (208) *quae in morbis poſt criſim relinquuntur, recidivas facere ſolent*; aut ſaltem inde morbus ipſe diutius protrahitur, quod plurimis eveniſſe ſaepe obſervavimus. Hoc autem frequentius illis contigit, qui alia methodo curati, nullis unquam, ne mitioribus quidem, purgantibus uſi fuerant. Non deſunt enim quandoque quidam Medici, Artem noſtram tam ſcrupuloſe profitentes, ut, nullo habito purgantium diſcrimine, praeconcepta tantum opinione ſua temere ducti, a quibuſcunque purgantibus, tanquam peſte, cavendum ſemper eſſe arbitrentur. Nec tantum a validioribus hujuſcemodi remediis ipſi abhorrent, verum etiam ab illis, quae vix vix

*Inte-*

(207) *Hippoc. Aphor.* 20. *Sect.* 1. (208) *Hippoc. Aphor.* 12. *Sect.* 2.

*Inteſtina*, abſque ullo ſtimulo, a conſuetis ſordibus detergere valent, vegetum magis tantummodo eorundem *vermicularem* motum reddendo. Profecto ſi verum eſt, quod omne nimium eſt naturae inimicum, ſicuti illi merito condemnandi ſunt, qui vehementiora ſemper purgantia inconſulto, atque repetitis etiam vicibus praeſcribentes, naturam per indicatas vias non ducere tantum, ſed violenter cogere ſolent: ita nullam penitus mereri poſſe laudem tot alii mihi videntur, qui tantum abeſt, quod ad mitiora purgantia unquam confugiant; ut infauſtos morborum quoſcunque eventus (morbi genio potius, quam medicamentis ejuſmodi adſcribendos) eorundem laudabiliori caeteroquin uſui tribuendos ſemper jure eſſe putent: Quod idem prorſus eſt, ac Medicinam, ejuſdemque inſtrumenta praecipua prorſus reſpuere. Satis autem ipſis ſemper ſuper hiſce ſit clariſſimos Viros Homobonum Piſonem, Hecquet (209) atque ſaniores alios Auctores conſulere, ut melius diſcant, & immoderatum purgantium intempeſtivum uſum evitare, atque ab iiſdem neque ſemper, neque ex toto abhorrere.

CCCLXII. *Méthodus* (210) *hactenus enarrata* (liceat mihi hic expertiſſimi Sydenhamii verbis uti) *ſiquis illam prudenter, & cum deſtinato animi conſilio obſervaverit, AEgros, ſi non ab omnibus, ſaltem a pleriſque moleſtis illis ſymptomatibus immunes praeſtabit, quae hanc febrem vel comitari, vel eidem ſupervenire ſolent, quaeque Medicum animi ancipitem, atque ſaepe incurationis decurſu conſilii pene expertem reddunt, immo & illius curae commiſſos e medio auferunt.* Pro totali autem ſpecialis hujuſce febris indolis, ejuſdemque cauſae dilucidatione, poſtquam de ipſa ſatis generali quodam modo egimus, non incongruum hic erit peculiares obſervationes, atque Morborum hiſtorias ſubdere, quae diverſos iſtius febris progreſſus juxta occurrentes varias aeris conſtitutiones, atque AEgrotorum praevias diſpoſitiones, diſtincte oſtendant.



(209) *Homob. Piſo de Regim. magn. auxil.*
*Hecquet de purgand. Med. a curar. ſord.*
(210) *Sydenham. Cap. 3. Conſtit. Epid. annor. 1661. &c.*

# SECTIO TERTIA

## CAPUT TERTIUM.

### *Peculiares hujus Febris obſervationes &c.*

CCCLXIII. UM eadem fere, ac tranſactis antea Aprili, Majo, Junio, & Julio menſibus univerſalis adhuc ſiccitas, addito aeſtivo forti calore, dominaretur, uſque ad Octobrem dicti anni 1734. protracta: eundem prorſus ejuſmodi febrium progreſſum obſervavimus. Promiſcue tamen cum illis conſueti quoque aeſtivi morbi graſſabantur: *diarrhoeae* nempe, *dyſenteriae*, omniſque generis tertianae febres, aliique hujuſce indolis morbi. Verum tunc quum aeſtivi iſti morbi, & frequentius, & gravius ſaeviebant; tanquam inſeparabile *ſymptoma*, *malignantes* haſce febres, praeter alia, plus quam antea comitabantur *cardialgicae paſſiones*, *cholerici* fluxus, ſingultus, Ventris tumores, atque univerſales praeſertim totius Corporis refrigerationes; prout in *Lypiriis* a concitatiore actuoſae magis bilis aeſtu ſubortis evenire ſolet. Iſti autem plerumque, qui in hac conſtitutione hujuſcemodi *ſymptomatibus* gravius torquebantur, magna ex parte mortui ſunt. Eadem pene fuit *malignantium* iſtarum febrium natura, & progrediendi modus ſequentibus etiam Auguſto, & Septembri menſibus; obſervatuque tunc dignum maxime fuit, quod quo facilius, & frequentius *malignantes* hae febres tota aeſtate graſſarentur, eo rarius tertianae quaevis occurrerent; ac ſi illae iſtarum vices, & dominium ſupplerent, eadem adamuſſim, ut diximus, cum ipſis *ſymptomata* proferentes.

CCCLIV. Idem prorſus initio ſequentis Octobris obſervavimus; licet poſtea ſaepius, quam antea tertianae ipſae febres inſurgerent, quae tamen perquam facile (quamvis *Chinae Chinae* congruo uſu rite curatae) iterum, atque iterum recrudeſcebant, diu admodum inde protractae. Declinante hoc menſe optata jamdiu pluvia gaudere tandem aliquoties potuimus. Quare nubilo utplurimum exiſtente Coelo, frigidus, humiduſque maxime derepente aer evaſit. Ob ſubitam hanc aeris mutationem *lymphatici* quamplurimi morbi graſſari illico coeperunt, ipſaeque *malignantes* febres diverſum fere ex toto characterem induere viſae ſunt; cum pleriſque in fine *Parotidum* tumores fierent, aliique glandulares tumores. Idcirco non copioſis, ſicuti antea, biliofis

ſis Alvi *excretionibus*, ſed affluentibus potius ſudoribus, atque urinis, febris ſolutio tutior merito erat adſcribenda. Ob eandem cauſam tunc ſanguis ab hiſce febricitantibus eductus conſuetum *pleuriticum*, licet non tam craſſum, *corticem* referebat. Quamobrem aperte hinc ſtatuendum erat, febres haſce, quae *biliоſum* tantum antea principium obtulerant, *lymphaticam* poſtea ſimul indolem, ob occurrentes aeris novas haſce viciſſitudines, induiſſe: quod ultro magis, magiſque indicabant lymphaticae variae in Pectore *ſtaſes*, occaſione iſtarum febrium factae, propter quas tum gravia, eademque ratione diverſa ſuſcitabantur *ſymptomata*; tum morbus ipſe, quo ad reliqua, lethalem magis praeſeferebat faciem: quod antea perquam raro contigiſſe ſedulo animadverteram. Hinc dum *Petechialis* haec febris tam funeſtis, gravioribuſque ſtipata *ſymptomatibus* graſſabatur novam proferens indolem, atque diverſos penitus ſervans mores; utiles maxime erant iteratae magis, magiſque copioſae ſanguinis emiſſiones; quod rationi ipſi conſonum, tunc maxime erat. Vigente enim nova hac aeris rigidiore conſtitutione, perſpirationis menſura ſummopere decreverat, eademq; ratione totius ſanguineæ maſſae moles adaucta fuerat; quae ideo magis ſolicitam, magiſq; liberalem Phlebotomi opem merito poſtulabat.

CCCLXV. Menſe Novembri ejuſdem anni 1734. non tam pluvioſum evaſit Coelum; licet humidus maxime plerumque aer eſſet, nec parum frigidus. Quamplures tunc *Aſthmate* ſicco laboraverunt, cum inaequalitate pulſus, accedentibus ſaepe copioſis, glutinoſiſque ſudoribus, qui genitam inde paſſim *lipothymiam* comitabantur. Porro, cum haec liberi ſanguinis *circulatorii* motus impedimentum aperte indicarent; organicam in Pectore latentem cauſam manifeſte proferebant; *polypoſas* nempe utplurimum concretiones in confiniis Cordis, aut majorum vaſorum progenitas. Hujuſcemodi tamen concretiones aliquando de novo fiebant, ob ſpecialem dictam tunc occurrentem aeris conſtitutionem, indeque ortam mucoſae lymphae congeſtionem: quandoque etiam antea exiſtentes, ſed mole admodum parvae, eadem ratione poſtea (aliis etiam extrinſecus adjunctis cauſis, nova ſcilicet iiſdem tunc facta lymphae appoſitione) in majores adhuc ſucceſſive moles excreſcebant, praedictis, aliiſque etiam pejoribus ſuſcitandis *ſymptomatibus* idoneas. Sicco gravi hoc *Aſthmate* correptus tunc fuit Nobilis Dominus Canonicus Betollius. Iſte tamen jam plurimis antea annis magna pulſus inaequalitate laboraverat, quae adhuc perſiſtit etiam in ſanitatis ſtatu, ob *polypoſam* concretionem, liberum ſanguinis motum plus, minuſve praepedientem, prout varia ratione in majorem excreſcit molem. Utile tunc ipſi maxime praeſidium fuit itetata ſanguinis copioſa emiſſio, una cum decoctione Radicis Arundinis montanae, & Chinae, & Herbarum diſſolventium, atque, ut ajunt, pectoralium, qua diu-

diuturno admodum tempore usus fuit. Secus tunc evenit Nobili Dominae Mariae Maffezzolae, quae *Asthmate* eodem sicco, non absimilem ob causam, detenta fuit, iisdemque vexata *symptomatibus*, quae caeteroquin ab hysterica causa tantum progenita putans Gallus quidam Medicus, *polyposam* satis patentem concretionem prope majora vasa latitantem, incongruo quodam ratiocinio absolute negabat. Nihil penitus huic profuere sanguinis iteratae emissiones, Pectorales laxantes potiones plenis haustibus ingurgitatae, tum & lenientia omnis generis, atque dissolventia congrua, unde ad Hydropem paulo postea perducta e vivis miserrime discessit. Aperto post mortem Cadavere, polyposam jam antea indicatam concretionem in sinistro Cordis sinu observavimus, aliasque imi Ventris, & Ventriculi praecipue laesiones, quae quidem progrediente forsitan morbo successive evenerant, non autem pro praecipua ejusdem causa haberi unquam rationabiliter poterant.

CCCLXVI. *Malignantes* dictae febres, quae adhuc magna in copia dominabantur, lymphaticam plerumque, ut supra diximus, naturam referebant. Hinc licet a bilioso praesertim fomite, sicuti antea, pendentes, praecipuam in imo ventre causam agnoscerent; utplurimum tamen, & Pectoris varias simul laesiones tunc comites habebant, una cum tussi contumaci, inaequalitate maxima, depressione, atque frequentia, pulsus primis usque morbi diebus satis sensibili. Neque Alvi *excretiones*, ut antea, tunc aeque faustum proferre omen videbantur; cum non raro post ipsas, invalescente adhuc gravius morbo, AEgroti paulo postea interirent: ut Reverendissimo Patri Abbati Bonjoanno Canonico Regulari Lateranensi circa undecimam morbi diem tunc contigit, maximo Abdominis praevio tumore, difficili admodum reddita respiratione, cum inani tussi, atque intenso faciei rubore.

CCCLXVII. Aliquibus tamen, qui *malignantibus* hisce febribus hoc eodem mense laborarunt, cardialgicae quoque vehementes Ventriculi *passiones* non defuere, cum inanibus ad vomitum conatibus, bilioisque dejectionibus, pulsu frequenti maxime, parvo, & depresso, accedente inde *lipothymia*, cum universalibus Corporis refrigerationibus, atque profusis sudoribus. Isti ideo fere omnes mortui sunt, praeviis manifestis *inflammationis* signaculis, aut in Hepate, aut in Ventriculo, Liene, aliisve imi Ventris visceribus, sive junctim, sive separatim laborantibus. Non absimilem *petechialium* febrium constitutionem, atque parem in ipsis procedendi morem, inter praeclarissimos hujusce aevi in Medicina coryphaeos merito connumeratus, expertissimus Fridericus Hoffmannus olim observavit (211) dum, *de febribus epidemicis* agens, pleraque indicat *symptomata* ea, quibus inter caeteros tunc distincte eruditissimus Medicus Masinus Nosocomio Pedemonta-

(211) *Frid. Hoffm. Med. R. Syst. T. 4. Sect. 1. Cap. X.*

montanorum militum in Caenobio Divi Petri firmato assistens, vexatus acriter fuit. Iste cum in summo morbi conflictu, consuetis aliis *symptomatibus* jam summopere fatigatus, alimenta quaeque per vomitum illico rejiceret, *stomaticis* nil proficientibus, atque *narcoticis* magis congruis remediis, misere extenuatus, atque refrigeratus occubuit, universali profecto maerore; cum ob peculiares animi, quibus praeditus erat, dotes, solidiusque medicae Artis studium, atque probatam satis in saniore praxi peritiam, qualisnam temporis progressu singularis futurus foret Medicus, cuique indicabat.

CCCLXVIII. Hoc eodem tempore plurimi *Ictheritia* laborarunt: quibus *aperientes*, ut ajunt, *diureticae* potiones, ac praecipue serum Lactis floribus chamaemeli, & radicibus Fragariae alteratum, una cum congrua Rhabarbari infusione, tum, & in fine Balsamum de Copaiba, & alia ejusmodi praesidia perquam utilia evaserunt. Mense Decembri ejusdem anni 1734. saevire magis frigus coepit, variamque humidam, atque nebulosam plerumque aeris constitutionem habuimus. Tunc eadem, ac transacto mense *malignantium*, plus quam antea grassantium febrium conditio, & progrediendi modus fuit; cum adhuc una cum biliosa lymphaticam praecipue naturam saperent. Tunc quoque *Ictheritiae* frequentes fuere, Apoplexiae non paucae, *Catarrhales* saepe febres, aliique *lymphatici* morbi; fere nunquam Pleuritides, quae utplurimum illos corripere specialiter consueverunt, qui iisdem morbis alias laboraverant.

CCCLXIX. Quamplures *Ictherici*, qui elapsis antea mensibus, sive naturae tantum, sive Artis etiam beneficio quomodocunque convaluerant, ineunte Januario mense subsequentis anni 1735., eodem iterum morbo laborarunt. Tunc autem in illis id specialiter adnotavi pluries, quod educta per *exscreatum* saliva croceum adferret colorem, in iis maxime, qui molesto, magisque contumaci pruritu universali detinebantur. Hoc aperte indicabat, bilem ab Hepatis *secretoriis* ductibus quomodolibet obstructis refluam, lympham universaliter in *Ictheritia* inficere, propter quod, & urina lixiviosam fere naturam induere videtur, atque separatum ab educto sanguine serum croceo magis praeter consuetum colore tingitur. Hinc fit quod cum magna ex parte cutaneos ductus lympha pervadat, biliosam hanc sapiens naturam: cutaneas ibidem minimas nervorum papillas pungendo leviter, atque vellicando, pruritus sensum efficiat, citrinumque cuti largiatur simul colorem.

CCCLXX. *Malignantes* dictae febres, quae Januario hoc mense majore in copia grassatae sunt, diutius quam antea protrahebantur, cum perquam raro decima quarta die remittere viderentur, ad vigesimam primam plerumque productae, aliquando cum consuetis alvi biliosis *excretionibus*. Attamen magna ex parte, & de *lymphatica* natura participes factae, cum pulsu parvo, duro,

duro, atq; inaequali admodum, etiam primis diebus, plures corripiebant, ſuccedente pleriſque magis diuturno delirio, Pectoris anxietate &c. Inter hos ii, qui ſomniculoſi fiebant, amplo inde magis reddito pulſu, minuſque inaequali, facilius evadebant. Illi autem, in quibus per urinam potius, quam per Alvum natura *Criſes* moliebatur, in fine morbi ſtupidi magis fiebant, & vigiles admodum; atque inter hoſce, ii quibus arida magis reddebatur cutis, cum contumaci delirio, atque diu protractis vigiliis, utplurimum occubuerunt. In hiſce tamen raro tunc ſanguis eductus *pleuriticum* referebat corticem, atque vix aliquando in illis, qui *Pleuritide* laborarunt, quos perpaucos tunc videre contigit. *Catarrhales* vero variae indolis morbi non defuerunt, ſicuti & Eryſipelae plurimae. In Noſocomiis militaribus Pedemontanorum, occaſione *malignantium* iſtarum febrium, id ſpecialiter adnotare tunc quampluries potuimus, quod in apice Naſi, tum & in extremitatibus pedum gangraenae (non ſecus, ac illis quandoque evenit, qui rigidioris frigoris incoñoda diutius patiuntur) occurrerent: ex quibus nulli fere evaſerunt, cum duobus, tribuſve diebus poſt gangraenae apparitionem vix ſuperſtites eſſent. Gangraenae autem iſtae illis facilius, & gravius eveniebant, qui aut diuturna, & copioſa diarrhoea antea laboraverant, aut exuberantes narium haemorrhagias paſſi fuerant, poſt quas immediate utplurimum, atque derepente fiebant. Hinc autem facile erat deducere, gangraenas haſce a ſpeciali ſanguinis inopinata majore *ſtaſi* ſuboriri, in iis praecipue vaſis, in quibus (aut ob majorem a Corde diſtantiam, aut ob minorem eorundem diametrum, aut quia magis compreſſa, complicataque ſint) minor ſemper, caeteris paribus, evadit ſanguinis velocitas, quae ob ſupradictas paulo antea praegreſſas cauſas eo magis, magiſque imminuta fuerat. Hujuſce ratiocinii fundamentum facile eſt depromere ab *oedematoſis* tumoribus in extremitatibus maxime factis, atque a *cachecticis* habitibus, aliiſque non abſimilibus morbis, quos contumaciori diarrhoeae, atque liberalibus nimis ſanguinis emiſsionibus, aut haemorrhagiis facile ſupervenire ſupra ſatis explicavimus.

CCCLXXI. Hac eadem occaſione non abs re eſſe, arbitror, peculiarem a me hoc eodem menſe habitam obſervationem hic retexere, quae licet cum propoſita *malignantium* iſtarum febrium conſtitutione nullam habeat affinitatem; non incongrua tamen mihi videtur, quin immo cognitu admodum utilis ad quamplurima in praxi medica paſſim occurrentia *phaenomena* melius percipienda, atque explicanda. Dominus Mollus Pharmacopola Cremonenſis, ob inopinatam, atque violentam cauſam (cum caeteroquin antea optime ſe haberet) toto animo tam vehementer commotus fuit, atque in iram adeo extemplo concitatus, ut inſanus

ſanus fere ex toto illico factus, huc illuc per urbem vagaretur, quo pergeret prorſus ignorans. Succeſsive animo paulo poſtea deficiens, humi cecidit, maxima ſimul reſpirationis difficultate correptus, anxiuſque factus, cum tumore faciei, atque rubore, pulſus inaequalitate, atque tarditate, prominentibus praeter modum oculis, atque inſolito nitore perfuſis. Hujuſcemodi *ſymptomatibus* graviter preſſus nil penitus loqui poterat; omnia tamen audiebat, atque intuebatur, appoſitaq; identidem regioni Pectoris, & Stomachi manu, morbi ſedem indicare quaerebat, nil penitus Capite dolens, ſaepiſsime ſuſpirioſo forti anhelitu vexatus, propter quem animam continue agere videbatur. Morbum hunc a violenta cardiacorum nervorum contractione deducens (unde fortaſſe ſanguinis liber motus praepeditus maxime fuerat, arctata inde Ventriculorum Cordis capacitate; unde ipſe ibidem plus aequo, & inordinate ſubſiſtens, tardum, & inaequalem pulſum effecerat) ſanguinem illico ex brachio, atq; poſtea ex pede copioſe detrahi juſsi: indeque *cucurbitulas*, *revulſionis*, ut ajunt, validioris gratia, ipſi per humeros violenter deducendas, abſque ulteriore ſanguinis emiſsione imperavi. *Clyſter* inde fortis praeſcriptus fuit, ad bilioſas facilius per inferiora materies educendas, quarum plus ſolito copioſam *ſecretionem* in furibundis magis irae aeſtibus fieri, nemo ignorat. Hinc diſſolvente, & *narcotica* ſimul mixtura cum ſufficiente doſi *Laudani liquidi Sydenham* uſus fuit. Horum remediorum adminiculo melius ſe habuit ſequenti die, aequali reddito pulſu, nil tamen loquens. Liberius tamen ſpirabat, vix paululum de ſtomachi, ut ipſe ajebat, dolore conquerens. Hinc in conſilium tunc accerſito clariſsimo Medico Joanne Sonſis, unanimi conſenſu purgantem potionem, ab omni tamen validiore ſtimulo alienam ipſi propinare ſatius exiſtimavimus, ea praeſertim ducti ratione, quod ſi in *Inteſtinis*, aut ſaltem prope conſueta bilis *colatoria*, ejuſdem adhuc furibundi bilioſi humoris reliquiae ſupereſſent, averruncari citius, & commodius poſſent: ſi non, ad inferiores ſaltem partes, nervorum *ſpaſmodicas contractiones*, ceu per *revulſionem* reduceremus. Res autem pro votis ceſsit, atque ſatis per Alvum expurgatus, melius ultro ſe habuit, ſed nihil loquens, omnia tamen optime videns, audiens, atque intelligens, ſimulque triſtitiae ſuae notas manifeſte proferens. Sequenti die Decoctio florum Chamaemeli pro potu ordinario calide ſumenda praeſcripta fuit, quam cum nimis ferventem hauſiſſet, linguam non parum circumuſsit. Mirum hinc maxime fuit, quod lingua, quae ob *ſpaſmodicam* nervorum *contractionem* Oris plano per baſim fere defixa erat (ut ipſe poſtea explicavit) paulatim ab hoc vinculo ſic ſoluta fuerit, ut ipſe loqui libere illico poſſet: unde ex toto ſucceſsive convaluit. Ex hac autem obſervatione innoteſcere ſatis putavi, vehementes quaslibet animi perturbationes gravioribus quibuslibet

ſuſci-

ſuſcitandis morbis idoneas maxime eſſe, dum ſolidorum oſcillationes ſubito, vel accelerant nimis, vel cohibent, parique ſucceſsive ratione conſuetos proinde humorum motus immutant: quod & vice verſa de ſolidorum, fluidorumque repentinis commotionibus ad varias animi affectiones producendas idoneis verum comperitur. Mutuum enim inter Animam, & Corpus commercium adeſt, quod licet intelligere ſatis, atque explicare nemo queat, ex quotidianis tamen obſervationibus quilibet noſcere, atque concedere coactus eſt.

CCCLXXII. Mutata aeris conſtitutione ex Auſtrali in Borealem menſe Februario ejuſdem anni 1735. mirum fuit attendere, quod illico ſanguis ab AEgrotantibus eductus *pleuriticum* utplurimum corticem, & quidem croceo perfuſum colore oſtenderit. Tunc etiam in *malignantibus* adhuc dominantibus febribus, nunc tanquam *primarius*, nunc tanquam *ſecundarius* morbus, comes adfuit *Pleuritis*, plerumque externa, raro cruentis apparentibus ſputis, una cum reſpirationis non levi gravamine. Haſce tamen febres magis, quam tranſacto proxime menſe, & frequentius *cardialgicae paſſiones* comitari conſueverunt, una cum vomitu bilioſi humoris, in vigore, & fine morbi, tunc cum & Alvi *excretiones* magis copioſae fiebant: raro tamen ſubſequentibus *Parotidum* tumoribus. Poſt decimam octavam hujuſce menſis diem, immutata, iterum viceverſa aeris conſtitutione a Boreali in Auſtralem, febres hae *lymphaticam* iterum eo magis naturam obtulerunt. Quare cognitu facile erat, quod Epidemici quilibet morbi a conſueto ſemper curſu vario modo deflectunt, juxta occurrentes aeris mutationes. Tunc quoque Febricitantibus hiſce Narium copioſa Haemorrhagia utplurimum ſucceſsit.

CCCLXXIII. Martius menſis dicti anni 1735. qui pluvias nobis ſaepe attulit, aere plerumque nubibus obtenebrato, humidoque facto, *Petechiales* haſce frequentius febres excitavit, diverſae tamen indolis participes. Hiſce enim utplurimum illi gravius laborabant, qui paulo antea *lymphaticis* febribus detenti fuerant, a quibus affluentis ſudoris ope, perfecte convaluiſse videbantur. Fere ſemper tamen conſuetam bilioſam referebant indolem, accedente vomitu, & ſingultu, aliiſque hujuſce generis *ſymptomatibus*, quae plerumque copioſis alvi *excretionibus* omnimode ſolvebantur. Sic & in *petechiis* varii aderant colores, atque varia ratione apparebant; ſemper tamen quo copioſae magis illae erant, eo magis lethales evadebant, ut ſupra adnotavimus. Circa finem hujuſce menſis ſaepius, graviuſque, quam antea, *cardialgicae* Ventriculi *paſſiones* febres haſce comitari conſueverunt, eademque penitus *ſymptomata* alia, quae pernicioſas magis tertianas, atque eas maxime, quae ad *lypiriam* proxime accedunt, utplurimum ſequi ſolent; Vocis nempe maxima demiſsio, ſeu *Aphonia*, cum *ſuſpirioſa* frequenti anxietate, moleſto ſingultu, univerſalibus

ſalibus refrigerationibus, Ventris *tenſionibus*, & praecipue in regione Ventriculi: quae omnia inopinato evaneſcere ex toto videbantur, habita proportione ad Alvi bilioſas *excretiones*, quas ideo, dum opus eſſet, provido, tutoque *Clyſterum* adminiculo quotidie promovere non omittebam, ſive etiam oleo amygdalarum dulcium, prout ratio morbi poſtularet. Hinc nil mirum penitus fuit, quod ii omnes, quibus, licet ſanioribus hiſce adhibitis praeſidiis, nullae penitus, aut nimis parce *excretiones* iſtae bilioſae fiebant, *timpanica* fere Abdominis accedente *tenſione*, una cum aliis gravioribus ſupra enarratis *ſymptomatibus* inevitabilem Mortis ictum ante decimam quartam morbi diem miſerrime ſubierint. Id ſpecialiter evenit Nobili Domino Alphonſo Manna. Ipſe hujuſcemodi febri correptus fuit cum inaequalitate magna, & duritie pulſus primis uſque morbi diebus, inanibus ad vomitum accedentibus conatibus. Congruo ideo ſtatim adhibito mitiore purgante, foetidas admodum, & bilioſas ejecit materies: facta ſucceſsive, atque iterata ſanguinis copioſa emiſsione plethorico ipſius temperamento idonea. Attamen morbus ſucceſsive maxime augeri viſus eſt, cum enarratis paulo antea gravioribus *ſymptomatibus*. Neque hiſce quicquam profuere repetiti *Clyſteres*, atque iteratus olei amygdalarum dulcium uſus, aut emollientium fotuum, ad Alvi neceſſarias promovendas *excretiones*, quae parce admodum, atque fere nullae, habito reſpectu ad bilioſum morbi fomitem, fiebant. Qua de re Abdomen maxime inde obtumuit, oculorum, atque genarum ſublividus rubor acceſsit, una cum ſaturatis citrinis urinis, ſed paucis, delirio, vigiliis, atque ſudore frontem praeſertim, & Pectus infeſtante; unde pulſu magis, magiſq; inaequali reddito, cum ſingultu indentidem inſurgente, miſerrime occubuit. Hoc eodem menſe variae ſimul dominabantur *lippitudines*, cutis *efflorescentiae*, *ephemerae* nonnullae febres, & *Synochae catarrhales*, affluentibus ſudoribus ſolutae, nec non intermittentes tertianae aliquae, ventris dolores, diarrhoeae, aliaque ejuſdem indolis morboſa *phaenomena* a ſpeciali aeſtuantis bilis dominio originem ducentia.

CCCLXXIV. Cum eadem penitus menſe Aprili dicti anni 1735. aeris conſtitutio perſiſteret, ac tranſacto proxime menſe Martio: eadem penitus etiam tunc fuit perdurantium adhuc *malignantium* iſtarum febrium conditio, ne dicam pejor, utpote magis doloſa. Pleraeq; enim ex illis initio tertianam mitiſsimam febrim, eamque intermittentem aemulari viſae ſunt, & quidem tam pravae indolis, ut primo intuitu *Chinae Chinae* uſum neceſſario, laudabiliterque illico expetere viderentur, nullamque penitus mali moris febrim ſubolere. Haec tamen utplurimum prope ſeptimam, parvo reddito, frequentique pulſu, tenſo, vibratoque, una cum reſpirandi anxietate, vigiliis &c. lethalem aperte protulerunt *malignantem* naturam,

exſur-

exſurgentibus ſucceſſive magna in copia *petechiis*, una cum linguae ſiccitate, delirio, nec raro Abdominis conſueto univerſali tumore, praeſertim in ſuperiore regione prope Ventriculum. Hinc undecima plerumque morbi dies, adauctis denuo *ſymptomatibus* omnibus, aliiſque de novo accedentibus, Mortem tandem miſerrime accerſebat: maxime cum tempeſtivam, ſufficientemque Alvi *excretionem* ad bilioſum evincendum fomitem natura non moliretur, laudabilioribus etiam praeſidiis adjuta. Id ſpecialiter Nobili Domino Roncadello Equiti Melitenſi contigiſſe obſervavi. Adnotatu tamen maxime dignum tunc fuit, quod in pleriſque, qui hac *petechiali* febri detinebantur, tum Vini meracioris praevius uſus, tum lautae nimis menſae, praeter univerſale aeris principium, in cauſa pluries fuerunt. Quamobrem febres iſtae, ut ſupra etiam adnotavimus, & voraces, & vino praecipue deditos, & Juniores, magiſque robuſtos, atque bene nutritos validius, faciliuſque invaſere, quos ideo citius, & violentius de medio tulerunt.

CCCLXXV. Hiſce potiſſimum de cauſis nullas pene ex religioſis coetibus Virgines, quae plerumq; laudabilius ſervant victus regimen, hiſce febribus detentas vidimus, atq; paucos admodum ex religioſis Viris, ſi illos excipiamus, qui Noſocomia frequentius ad inviſendos AEgrotos adibant: quod tum in militaribus, tum in noſtro eveniſſe ſaepiſſime obſervavimus. Hoc quoque lethale vectigal Medici omnes, & Chirurgi, Galli maxime, & Pedemontani perſolverunt; nec pauci mortui ideo ſunt. Hinc clare patebat, Febrem hanc *contagioſam malignantem* naturam ſuboluiſſe, quam nonnulli Medici ab innumerabilibus per aerem circumductis vermiculis deducebant, qui partim per os in actu inſpirationis aeris, ad interiora Corporis demiſſi, partim per minutiſſima cutis foramina inſinuati, in illis maxime Corporibus nidularentur, creſcerent, atque foecundi magis evaderent, ad admirabilem eorundem immenſam pene, atque citiſsimam propagationem, in quibus peculiarem diſpoſitionem invenirent ipſorum naturae magis analogam.

CCCLXXVI. Quod ſententia haec de vermiculis ejuſmodi exiliſſimis, Peſti praeſertim genuinum largientibus principium, non improbabilis ex toto ſit, quin immo vero forſan magis proxima, utpote optimis ratiociniis, iteratiſque experimentis innixa, inficias nunquam abſolute iverim. Satis enim ſit quamplurimos ex Recentioribus clariſſimos, doctiſſimoſque viros ipſius Patronos, ſtrenuiſsimoſque propugnatores in medium adducere, quorum celeberrima ſcripta, cedro vere digna, omnem Poſteritatis laudem promereri ſemper poterunt. Inter hos autem praecipuam ſibi aſciſcunt aeſtimationem eruditiſsima immortalis Valliſnerii opera, ſicuti & praeclariſsimi Bartholomaei Curtii, qui tum omnigena litteratura, tum ſaniore doctrina Medica, atque admirabili profecto peritia, inter clariores hujuſce aevi Clinicos Medicos principatum

cipatum nunc obtinet, utpote praecipuum, firmiſſimumque rationalis tutioris Medicinae fulcrum jure, meritoque habendus. Clariſsimus iſte Vir rem hanc profecto tam dilucide expoſuit, tamque ſolidis rationibus, ab experientia ipſa quoque petitis, tueri aggreſſus eſt: ut ipſius Adverſarii nil amplius ipſi reponere auſi unquam fuerint. Verum ſi ipſius diſſertationes eruditiſſimas haſce quiſpiam ſedulo perpenderit, noſcet illico ratiocinia haec, quae ad verā Peſtis cauſam inquirendam ſpecialiter conducere poſſunt, *petechiali* huic malignae febri haudquaquam convenire, prout ipſe Adverſariis ſuis obtrudere ſic viſus eſt. (*) *Ma ſe voleſte poi addimandarmi, s' io creda, che il ſimile ſucceda in quei maligni mali, ne quali appariſcono le macchie livide, o tali altre eſpulſioni alla cute, io per ora non voglio dichiararmi con Chriſtiano Langio per l' affirmativa, a me baſtando d' accennarvi la gran differenza che corre tra que mali creduti volgarmente contagioſi, e la vera peſte.* Quamobrem paulo poſtea ſubdit. *In fatti non s' oſſerverà mai, che certe febri maligne, le quali infeſtino un Villaggio, o qualche altro Quartiere, per peſtilenziali che ſieno, paſſino in un' altro diſtante per via di merci, o di perſone partite dal luogo infetto, molto meno da una caſa all' altra per mezzo d' Animali domeſtici eſſer portate; così ancora il Vajuolo, ſe pure ſi vuol contagioſo, venendo ordinariamente queſte malattìe piuttoſto maturate dalla qualità dell' Aria, ed in que' Corpi diſpoſti a ricevere quella tale impreſſione &c.* Praeclariſsimi ideo hujuſce Auctoris animadverſionibus inhaerens, non abs re arbitrarer Doctiſsimi Hecqueti explicationem illam in propoſitum noſtrum hic adducere, quam in appendice *de Peſte* protulit. Ibi enim contagii cauſam ab urente quodam ſpiritu aerem inficiente deducit, qui in Corpus quomodocunque inſinuatus lympham praeſertim ſiccat, ſolidaque nervoſa maxime omnia, juxta contagii diverſam naturam vario modo afficit. Quare idem in Corporibus noſtris, mutatis mutandis, inde evenire arbitratur, quod in Arborum gemmis, & cerealium culminibus, ſpiciſve, quando uredine ſiccantur. (212) *Sic aura peſtilens ore ducta, nervorum medullas, & ipſa ſtamina torret.* Verum dictarum febrium *contagioſum* Semen non abſolute, & generaliter ab aere tantum (fuiſſet enim magis generalis hujuſmodi conſtitutio) ſed a ſpeciali affectorum diſtincte Corporum atmoſphaera petendum erat. Illi enim tantum facilius, graviuſque tali labe inficiebantur, qui frequentius Noſocomia adibant, aut cum domeſticis AEgrotis ſuis nimis familiariter, abſque ulla cautione, agebant: propterea non ſemel tunc obſervavimus, quod dum quiſpiam in aliqua familia tali febri aegrotaret, ſucceſsive & omnes alii paulo poſtea eidem ſubjicerentur morbo; hoc tantum habito ſpecialiter diſcrimine, quod ii, qui ab AEgrotorum commercio principium



(*) *Corte Lettera apolog. n. 56., 57.* (212) *Hecquet Appen. de Peſte.*

morbi nanciſcebantur, caeteroquin antea perfecte ſani, & gravius aegrotabant, atque multo magis in vitae diſcrimen ducebantur, ſecus quam alii, qui ex ſe tale infenſiſsimum principium alio modo obtinuerant. Hinc non immerito conjici poſſe opinabar, ideo ab infectis hujuſcemodi corporibus ad ſana quamfacile *morbificam* cauſam deduci, quia a peculiari atmoſphaera corpora illa circumambiente (a quibus indeſinenter inimici prodeuntes halitus *malignantem*, ſeu *venenatam*, quaſi dixerim, conſtituebant nubem) in actu inſpirationis, a ſanis corporibus hauriri poſſent ſpeciales infenſae actuoſiſsimae particulae, quae tractu temporis per contactum aliarum multiplicatae, aut quomodocunque in ſufficiente copia coacervatae, ſanguinem diſſolvere, attenuare, atque taliter immutare poſſent, ut ex ipſarum diffuſo principio, furens illa *malignantis* indolis bilis ſecerneretur, atque inde magis, magiſque accumularetur, a qua ejuſmodi febris *phaenomena* quaelibet derivanda unice eſſe ſupra ſtatuimus.

CCCLXXVII. Quod ſi *verminoſum* principium ex eo ultro deducere quiſpiam vellet, quod quamplures ex hiſce AEgrotantibus Vermes ſaepiſsime per Alvum ejicerent; eo magis hallucinari mihi videretur, quo magis conſtare cuique poterat, prodeuntium hoc modo hujuſcemodi Vermium naturam eandem penitus eſſe, ac illorum, qui e ſanis etiam Corporibus extra febris occaſionem, excernuntur. Vermes hoſce non tanquam morbi cauſam, ſed veluti effectum intuebar, certo putans, quod eorundem ova, (quae in quibuſcunque corporibus plus, minuſve indiſcriminatim exiſtunt) tunc in illis facilius foecundari, ibidemque progeniti vermes melius nutriri poſſent, atque commodius augeri; quia a peculiaribus tunc in *Inteſtinorum* cavitate latitantibus humoribus, magis analogum ſibi nutrimentum mutuarentur, eademque ratione ab iiſdem corporibus magis idoneus exſurgeret calor eorum foecundationi faciliori conveniens. Antequam autem ad alia tranſeamus, nonnullas hic mihi placet cogitationes meas, & aliorum etiam proferre, quae, praeter multiplices rationes alias facile aliunde derivandas, non incongruae mihi videntur ad vulgarem nimis amplam hanc, de exiſtentibus *contagioſis* innumeris vermiculis, ſententiam omni jure moderandam. Fruſtra enim ejuſdem Patroni (ut non tantum genuinae Peſtis cauſam, verum etiam *Petechialium* dictarum febrium, & aliarum per contactum facile communicabilium, originem inde ſe rationabiliter deducere viderentur) certe teſtantur, innumerabilem pene vermiculorum copiam in infectorum corporum ſanguine exiſtere, quin immo ſe oculis ipſis, exquiſitorum *Microſcopiorum* adminiculo, vitales eorũmotus vidiſſe. Eadem enim contra ipſos militare poteſt ratio, & obſervatio, quam in Phyſiologia mea, de generatione agens, adverſus ſuppoſitam ſeminalium vermiculorum nimis amplam, atque pene immenſam cohortem propoſui. Abſolute enim arbitror, oculos noſtros

exqui-

exquiſitiſſimis hiſce inſtrumentis munitos, dum nimis vident, quandoque nihil videre, ipſiuſque videntis mentem maxime obcaecari poſſe, ut nimium praeter rationem credat. Id ipſum contra hanc ſententiam objicit celeberrimus Dionis. (213) Hinc ſiquis in caſu etiam noſtro diceret, minima illa ſuppoſita *contagioſa* animalcula, non vere talia ſemper fuiſſe, ſed plerumque meras *apparentias* exiliſſimarum particularum ſanguinei liquoris, aut alterius, in quo jacere putantur, utpote analogam vermiculis configurationem referentium: non tam facile a veritate alienus ab Adverſariis comprobari rationabiliter poſſet. Fruſtra enim objicerent illi ſuppoſitorum vermiculorum vitalem vere motum, qui rationabilius forſan pro inteſtino, aut alio quolibet dictarum particularum, quam pro viventis genuino motu haberi utplurimum poteſt. Etenim nemo inficias iverit, componentes cujuſcunque liquoris minimas moleculas (dum ipſe ab antehabito motu ceſſat) difficillime abſolutam nanciſci illico quietem; ita ut una ipſarum magis gravis, quam alia ſibi contigua, hanc e priſtino loco, per aliquod ſaltem tempus, non dejiciat: idem intelligendo de diverſa configuratione, propter quam una in uno, altera in altero loco commodius immota jacebit: praeter alias circumſtantias tum variae fluiditatis, & copiae ejuſdem liquoris, tum impetus, quo primo motus fuit, tum inclinationis plani, in quo diſpergitur, aliaſque ejuſmodi rationes, unde componentes omnes dictae particulae omnimodam univerſaliter quietem adipiſcuntur. Hanc enim ſolummodo obtinent, quando juſtum in dicto plano quarumlibet ipſarum aequilibrium habetur, ſeu congrua mutua loci ratio, aequo modo reſpiciens varias ſupradictas conditiones, aliaſque forſitan, quae ſimul ſumptae variam expetunt quarumcunque molecularum aptum, convenientemque ſitum. Haec autem explicatio omnibus quorumcunque liquorum proprietatibus, congruo hinc deſumpto ratiocinio, pro eorundem diverſitate, aptari facile poteſt: ſive nempe liquor ille, in quo Vermiculi innumerabiles iſti jacere putantur, ſanguis ſit, ſive ſerum, ſive lympha &c.

CCCLXXVIII. Hiſce ſuppoſitis, quis unquam ex Adverſariis non noſcet, quod plerumque motus ille, qui in ſuppoſitis Vermiculis, pro vitali habetur, motus ſit neceſſarius minimarum molecularum fluidum illud conſtituentium, quae propriis nondum ſibi ipſis congruentibus locis aptatae ſint, aut ab illis quacunque de cauſa ſemotae. Nam ſi ope exquiſitiſſimi *Microſcopii* illarum particularum moles veriſimiliter ad ſummum augeri putatur, eadem pariter ratione adauctus in immenſum pene videbitur nativus earundem motus praedictus, a ſpecifica ipſarum gravitate diſtincte

(213) *Dionis Diſſertat. de Generat.*

ſtincte dependens; & quidem taliter, ſuppoſita apparente imagine *Microſcopii* auxilio conſpecta, ut viventis Animalculi quemlibet vivaciſſimum motum aemulari non immerito queat, quin tamen vere animalcula ſint. Hinc jure omnem mereri poſſe fidem arbitror, obſervationem a clariſſimo Carolo Mazzucchello in Ticinenſi Univerſitate Anatomiae Profeſſore habitam (214) dum abſolute aſſerit, ſe in guttula ſanguinis a Bove *contagioſo* morbo laborante educti, nunquam enarratos Vermiculos intueri potuiſſe, etiamſi perfectiſſimis uteretur *Microſcopiis*, quorum ope minimas attendendo ejuſdem particulas, etſi primo intuitu exiliſſima, atque innumerabilia ſe admirari animalcula ſe moventia ſibi videretur; ſedulo tamen poſtea adhibito examine, aperte novit, motum hunc non vere vitalem eſſe, ſed unice pendere a naturali conſueto motu fibrillarum minimarum ſanguinis, quae juxta inclinationem plani, in quo jacebant, ad unam potius, quam ad alteram partem neceſſario tendebant; etſi, juxta *Microſcopiorum* vulgarem effectum, in oppoſitam migrare partem viderentur; unde tumultuarius, atque indeterminatus emergebat motus paulo poſtea ex toto evaneſcens: quod & in guttula ſanguinis ſani Bovis ſe adamuſſim obſervaſſe teſtatur. Haec autem omnia dicta ſunt, non quia ſaniorum quamplurium Virorum fidem denegare unquam audeam (illorum nempe, qui minus in hac ſententia ſupponendo, veridica magis experimenta proferunt, quorum rationibus ductus, aliquando & hoſce minimos in ſanguine vermiculos, ſed non tam admirabili propagatione in immenſum citiſſime multiplicatos exiſtere, ego quoque nunquam inficiari contendam; maxime ſi de cauſa verae Peſtis corpora quaeque indiſcriminatim afficientis agatur) ſed ut illorum tantum jactantiam cohibeam, qui cum aliunde morbos explicare, eorundemque cauſas detegere ſatis nequeant, ut ignorantiae propriae aliquo modo conſulant, faciliorem nacti viam, per quam ratiocinia ſua, quaecunque ea ſint, dextere dirigant; Corpus noſtrum undecunque vermibus ſcatere autumant, quorum genium, mores, vitam, generationem, benignas, aut malignas qualitates, huic potius, quam illi Animali infenſas, nec non innumerabilia alia hujuſmodi temere ſupponunt, atque nimis credulis demonſtrare criſpata fronte ſatagunt, novitatis hujuſce lumine ſibi laudem affectantes.

CCCLXXIX. Caeterum, ut ad propoſitum noſtrum redeam, *malignantes* iſtae febres hoc pariter Aprili menſe iiſdem penitus, ut antea, *ſymptomatibus* ſtipatae erant. Ipſis tamen ſaepius, quam elapſis menſibus, haemorrhagiae narium contigerunt, tum & Parotidum tumores, qui actuali cauſtico aperti, fauſto plerumque exitu ſolvebantur.

(214) *Carlo Mazzucchelli, Notizie pratiche intorno all' Epidemia degli Animali Bovini.*

tur. Nonnulli ex hiſce AEgrotis, ope copioſi ſudoris univerſalis, praeter ordinem inopinato habiti, ante decimam quartam diem convaleſcere tunc viſi ſunt. Haec tamen praematura ſalutis notacula utplurimum infauſta experiebamur. Iſti enim fere omnes iterum poſtea aegrotabant, indeque *chronicis Hypochondriorum* morbis, aut *inflammatoriis* detinebantur, a quibus pauci evadebant.

CCCLXXX. Majo, & Junio ſequentibus menſibus ejuſdem anni 1735. varia utplurimum fuit aeris conſtitutio, nondum adaucto maxime calore, atque raro pluviae ceciderunt. Tunc denuo eaedem, ac antea magis, magiſque graſſabantur *malignantes* febres, cum Haemorrhagia Narium, quae quo magis copioſa fiebat, eo magis fauſtum pollicebatur omen, licet *excretio* haec *criſim* vere non compleret, quae Alvi dejectionibus referenda adhuc rationabiliter, magna ſaltem ex parte, erat. In hiſce pariter *cardialgicae* Ventriculi *paſſiones* dictae variae, & quidem graviores, plus quam antea ſaeviebant; *Aphoniae* etiam, ſingultus, copioſi inordinati ſudores &c. Hujuſmodi *ſymptomata* plerumque poſt decimam quartam diem occurrere tunc conſueverant, una cum inanibus ad vomitum concitationibus. Talia diſtincte admirari hoc menſe potui in Domino Franciſco Mutio, qui poſt decimam quartam (cum jam de totali morbi victoria ageretur) tam graviter *ſymptomatibus* hiſce divexatus fuit, ut toto Corpore maxime refrigeratus, cum *hippocratica*, ut vulgo dicitur, facie, atque *ſingultuoſis* continuis ſuſpiriis, ventriculique *paſſionibus* variis, jam animam agere videretur. Ab hiſce autem omnibus prope vigeſimam primam diem liber ex toto evaſit, praeviis foetidis bilioſis, atque glutinoſis maxime dejectionibus, quae tamen etiam ante graviorum ejuſmodi *ſymptomatum* acceſſionem copioſae admodum viſae fuerant, emollientibus *Clyſteribus* fere quotidie promotae. AEgrotus iſte, quamplurimis ante febris principium diebus, noctu per lectum ſeſe admodum jactabat, atque *concuſſivis* corporis ſubſultibus dormiens perſaepe detinebatur, cum gravamine Capitis, viriumque proſtratione maxima ſimul, & nauſea. Ad ſupradicta ſedanda *ſymptomata* optimum fuit praeſidium *mixtura* noſtra *ſtomatica* in perniciosis tertianis ſupra expoſita, qua identidē ad cochlearia utebatur. Profuit etiam ipſi maxime malvaticum Vinum, tunc praeſertim, cum major refrigeratio aderat, in modica tamen conveniente doſi uſurpatum. Praeter haec *Clyſteribus* maxime anodynis ſimul, atque emollientibus bis etiam in die repetitis, victoriam tunc fuiſſe omni jure referendam, certo exiſtimavi: cum ipſorum ope ad criticas neceſſarias Alvi *excretiones* provide natura promoveretur, ad quas ſe ſola ſatis fortaſſe non fuiſſet. Huic tuſſis inanis, & frequens in fine morbi ſupervenit decreſcente febri, illamque ab eadem prorſus deducendam eſſe cauſa certe arbitrabar, a qua univerſalis Corporis pruritus evaneſcentibus *petechiis* factus fue-

rat; quod utplurimum contingit.

CCCLXXXI. Occaſione iſtarum febrium in Noſocomiis maxime quampluries obſervavi, quod illis praeſertim, qui, ſoluto circa decimam quartam diem morbo, paulo poſtea acuta non abſimili febri iterum corripiebantur, cum iiſdem *ſymptomatibus*, diarrhoea nempe, vomitu, Capitis gravamine, *cardialgiciſque paſſionibus*: illis, inquam, fere omnibus Lienis, aut Hepatis, aut utriuſque viſceris tumores fiebant, propter quos, aut *inflammatoriis* violentis cito accedentibus morbis, aut in chronicos paulatim migrantes, miſere occumbere viſi ſunt. Id adamuſſim evenit expertiſſimo Chirurgo Rinaldo, Viro profecto in Arte ſua ſingulari, Pedemontanis militibus aſſiſtenti. Iſte acuta ejuſmodi detentus fuit febri, quae quandoque tertianarum periodum, ſed inordinatum, *Chinae Chinae* uſum penitus fruſtrantem, doloſe ſimulabat, iiſdem prorſus accedentibus *ſymptomatibus*, quae tertianas veras comitari conſueſcunt. In hoc autem non bilioſus tantum conſuetus apparatus, ſed Viſcerum omnium imi Ventris praeſertim infarctus, atque Lienis maxime tumor in cauſa fortaſſe fuit, qui ſucceſſive in dies adauctus eo magis tactui ſe prodidit. Verum dum immoderato nimis, & frequenti purgantium uſu (a quo ipſum ex toto avertere ſanioribus ratiociniis quotidie non omittebam, licet fruſtra) *humoralem*, ab ipſo falſo creditam, morbi cauſam deſtruere tentabat, frequentius, validiuſque ſolida omnia irritando, eademque in vehementes *contractiones* cogendo, organicam cauſam magis, magiſque adauxit. Cohibito enim ſic libero magis humorum motu, ob ſolidorum violentas oſcillationes, major in dies congeſtio in Liene progenita fuit, quae tandem, gravi adjuncta ejuſdem partis inflãmatione, praematuram ipſi attulit mortem, protracto tamen plus quam per menſem miſerrime morbo. Hinc cum eadem penitus in hoc AEgroto *ſymptomata* adnotaſſem, quae in *petechialibus* dictis febribus ſemper evenerant; eo tutius conjiciendum eſſe exiſtimavi, haſce etiam in infimo Ventre *organicam* perſaepe, non abſimilem cauſam habuiſſe, quae quidem in quamplurimis, prodeuntibus in progreſſu morbi Lienis, aut Hepatis, aut utriuſque viſceris tumoribus, aut *cachexia*, aut *Hydrope* ſuccedente, palam magis fiebat.

CCCLXXXII. Ejuſdem pene indolis, ſed fauſti exitus, fuit acuta *petechialis* febris, qua Junio dicto menſe Illuſtriſs. Eques Rat, Dux in Pedemontana acie, vulgo dicta de *Fucilieri*, correptus graviter fuit. Temperamento hic erat ſanguineo admodum, & bilioſo praeditus, ad iracundiam maxime proclivis. Febre autem primo detentus fuit, quae in principio acceſſionum alternatim quandam referens *horripilationem*, tertianarum ſimplicium periodum ſimulare videbatur. Succeſſive tamen continua vere *continens* facta non abſimilem cum enarratis *petechialibus* naturam protulit. Progrediente morbo, pro more febris, gravia acceſſere conſueta *ſymptomata*:

Capitis

Capitis videlicet dolor, una cum gravaminis fere continuo ſenſu, cui addita eſt Oris amarities, linguae ſiccitas, & moleſti ad vomitum frequentes conatus, maxime dum cibum aſſumeret. Hiſce omnibus circa decimam morbi diem comes adfuit ſingultus moleſtiſſimus, atque fere continuus una cum univerſali ventris tumore fere timpanico. Praeter conſueta remedia, juxta enarratam ſupra methodum uſurpata, cum nil penitus per Alvum tunc dejiceret, ſedulo curavi, ut ſanioribus remediis, ad *criticas excretiones* illas naturam excitarem, quarum ope eadem perſaepe *ſymptomata* alias omnimode evanuiſſe attenderam. Idcirco oleum amygdalarum dulcium iteratis tunc vicibus ipſi praeſcripſi, tum & oleum ſeminum Lini, aliaque hujuſcemodi; quae fruſtranea penitus evaſere. Quamobrem, *ſymptomata* illa a *ſpaſmodica* etiam partium valida contractione immediate ſuborta fuiſſe certe putans, ad lenientia alia, & narcotica confugi, atque praeſertim ad *mixturam* noſtram *ſtomaticam* ſupradictam: cujus ope, laxatis *Inteſtinorum* fibris, atque ad priſtinum paulatim tonum redactis, copioſae per Alvum biliosae *excretiones* inde *ſucceſſerunt*, emollientibus ad id maxime conferentibus *Clyſteribus*. Quamobrem additis etiam diluentibus copioſis potionibus, furentis praeſertim bilis aeſtus compeſcentibus, perfecte convaluit.

CCCLXXXIII. Mirum tamen tunc maxime fuit, quod *malignantes* hae febres, quae ab eodem prorſus principio manifeſte pendere videbantur, juxta AEgrotantium Corporum diverſas diſpoſitiones, tam variis modis motum ſuum explerent, quamplurimis ſimul, varia ratione procedentibus, *ſymptomatibus* ſtipatae; prout ex ſequenti obſervatione magis, magiſque innoteſcet. Circa medium Junii menſis Nobilis Dominus Gaſpar Torchius Sacerdos, Avunculus meus, *hipochondriacus* maxime, habituque Corporis admodum gracilis, febre acuta correptus fuit, quae etſi continuitatem ſervaret, tertianae tamen febris acceſſiones, alternis diebus ſibi reſpondentes, manifeſte praeferebat, praevio levi rigoris ſenſu. Primis hinc diebus bis ipſi detractus fuit ſanguis, congruaque levis *purgatio* praeſcripta, additis acidulis attemperantibus copioſis potionibus. Aſt ſeptima morbi die febris iterum cum rigore magis forti ipſum invaſit. Peſſime ideo tunc ſe habuit, glutinoſis fere frigidis ſudoribus, circa frontem maxime, in ſummo febris rigore apparentibus, cum univerſali virium maxima proſtratione, atque liveſcente faciei colore. Ideo ad *Chinam Chinam* illico tunc confugere ſatius duxi, *Lypiriam* a longe pertimeſcens. Hujus ope febris ſtatim evaneſcere viſa fuit, conferentibus etiam ad id biliosis dejectionibus, foetidis admodum, quas toto etiam morbi tempore promovere antea, *Clyſterum* laxantium adminiculo, non neglexeram. Sequentibus hinc quinque diebus, quamvis omnimode febri immunis eſſet, nihil penitus cibum appete-

bat, depreſſae admodum vires erant, pulſus debilis, & parvus, aliquantulum frequens, noctesque vigil utplurimum tranſigebat. Hinc dum ex hiſce omnibus infidam prorſus morbi ſolutionem mecum ipſe arbitrabar, ſexta die febris denuo acceſſit, nullo praevio frigoris ſenſu, cum calore mordaci, ſubitaque vocis demiſſione, ſudoribus copioſis, & frigidis, vigiliis, intenſa ſiti, jactationibus, atque *cardialgicis paſſionibus*. Cum autem e lecto tunc ſurgere coactus fuiſſet, addita hiſce derepente fuit *lipothymia* fortis cum—, magna virium univerſali proſtratione, ut in extremitatibus refrigeratus quammaxime, cum *hippocratica*, ut ajunt, facie jam ad agonem miſerrime perductus videretur. In hoc teterrimo ſtatu *ſtomaticam* ſtatim *mixturam* noſtram ad cochlearia ſaepe ſumendam, ſicuti, & malvatici meracioris Vini uſum ipſi praeſcripſi. Poſtmodum maxime id mihi curae fuit, ut tum oleo amygdalarum—dulcium, tum repetitis laxantibus *Clyſteribus* ex lacte praeſertim paratis, bilioſas *excretiones* denuo per Alvum promoverem; quod pro votis ſucceſſit. Foetidis enim frequentibus citrinis dejectionibus, accedente etiam copioſa urinarum *excretione* ab affluentibus acidulis potionibus excitata, priſtinam inde paulatim ſalutem adeptus fuit.

SECTIO

# SECTIO QUARTA.

## Conſtitutio partis anni 1735. ab AEſtate incipiens, integrum quoque annum 1736 reſpiciens.

### OBSERVATIONES VARIAE.

*Agitur iterum de Tertianarum Febrium cauſa, tum & de modo, quo China China eaſdem Febres evincit.*

CCCLXXXIV. MEnſe Julio dicti anni 1735. varius plerumque, magiſque calidus vigebat aer, fere nunquam pluvioſus. Tunc teterrima haec *malignantium* dictarum febrium conſtitutio immutari coepit, cum rarius ipſae occurrerent, minuſque lethalem praeſeferrent faciem. Hinc ſubſecutae ſunt *Ephemerae*, & *Synochae* plurimae, aliaeque hujuſce mitioris indolis febres, quae brevi plerumque temporis intervallo curſum ſuum explebant, copioſa *diaphoreſi* utplurimum ex ſe ſolutae, aut ſaltem ſola ſanguinis congrua emiſſione, abſque aliis Medicinae praeſidiis. Attamen mirum maxime erat, quod *Synochae* ejuſmodi febres non parum de antehabita *malignante* conſtitutione participes ſimul eſſent; cum iiſdem perſaepe *ſymptomatibus* ſtipatae viderentur. Hiſce enim non raro comites adeſſe conſueverunt, tum *cardialgicae* ventriculi *paſſiones*, tum vomitus, & *cholerici* fluxus &c. Hinc licet circa ſeptimam diem, quandoque & ante ipſam, copioſi ſudoris beneficio, ſolverentur; poſt aliquot tamen dies plerumque iterum prodibant; atq; tunc, praeter enarrata *ſymptomata*, univerſales etiam afferebant refrigerationes, quae ſuccedente poſtea *Diarrhoea* evaneſcebant; obſervatumque fuit in illis, qui Lienis, aut Hepatis, aut utriuſque viſceris tumoribus laborabant, ter etiam, quaterque hujuſcemodi *recidivas* eveniſſe. Eodem tempore, & Tertianae variae febres dominabantur, quae perſaepe illos corripiebant, qui paulo antea e *petechialibus* dictis febribus evaſerant. In omnibus tamen foetidae ſemper, tenaces, & maxime croceae dejectiones, majore, minoreve in copia habitae ſunt, pro morbi ſpeciali conditione, affectorumque Corporum ratione varia. Succeſſive & *Diarrhoeas*,

*rhoeas*, & *Dyſenterias*, vomitus, alioſque hujuſmodi benignae indolis morbos ſuſcitari vidimus.

CCCLXXXV. Immutata ſic quãmaxime aeris conſtitutione, quo propitium magis Hominum ſaluti Coelum evadere paululum videbatur, eo funeſtius cerealibus bellum edicere coepit. Dum enim circumundique tumente jam, atque maturitati proximo grano turgeſcebant ariſtae: paulo poſtea, venefico quaſi afflatu derepente tactae, jejunae fere ex toto evaſere. Verum hoc venenatae, quaſi dixerim, rubigini adſcriptum fuit, quae tumentium granorum medullam ita conſumpſit, ut extimo corrugato cortice, pene aduſta evaſerint. Unde cum Seneca univerſali luctu dolendum ſic merito erat.

(215) *Gravis, & ater incubat terris vapor,*
*Obtexit arces Coelitum, ac ſummas domos*
*Inferna facies, denegat fructum Ceres*
*Adulta, & altis flava cum ſpicis cremat.*
*Arente culmo ſterilis emoritur ſeges.*

Non abſimile infortunium refert celeberrimus Ramazzinus ſuis temporibus eveniſſe, tunc praeſertim cum majore numero, magiſque lethales dominabantur *malignantes* febres, eandem fere redolentes naturam, iiſdemq; quaſi ſtipatae *ſymptomatibus*, quae ſupra in conſtitutione noſtra obſervata fuiſſe monuimus. Hinc non abs re ſuſpicari quiſpiam poſſet, quod remota *malignantis* hujuſce conſtitutionis, Hominibus tam infenſae cauſa ab eodem fere fonte derivanda eſſet, a quo pariter noxiae rubiginis principium forſitan emanaverat. De hoc tamen veriſimilem aſſequi rationem, atque explicationem proponere, perquam arduum puto: licet ad id conferre non parum poſſint ingenioſae ejuſdem Ramazzini cogitationes de Rubiginis cauſa, quas ipſe (216) in enarrata conſtitutione proponit. Tam late autem, tam graviter tyrannidem ſuam proſecuta tunc fuit Cerealis haec peſtis, ut ubicunque de Annonae imminenti caritate luctuoſi exſurgerent clamores. Inter tot teterrima ſpectra Hominum ſaluti undecunque adverſantia: inter bellicos tumultus animum multifariam ſubvertentes, atque bona omnia devaſtantes: addita inde bovina paulo poſtea fere univerſali peſte: timore, & horrore vehementer perculſi, Mortis quaſi victimae jam jam futurae, aut ſaltem multiplicibus hiſce malis ſummopere oppreſſi, antiquam noſtrarum Regionum felicitatem anxie expetebamus, quam inter Italiae laudes elegantiſs. Poeta quondam breviter ſic propoſuerat.

(217) *Haec loca non tauri ſpirantes naribus ignem*
*Invertere ſatis immunes dentibus Hydri,*
*Nec galeis, denſiſque Virum ſeges horruit haſtis,*
*Sed gravidae fruges, & Bacchi maſſicus humor*

*Imple-*

(215) *L. Ann. Senec. in OEdipo.* (216) *Ramazzin. in conſtit. ann.* 1692. 93. 94.
(217) *Virgil.* 2. *Georg.*

*Implevere, tenent Oleaeque, Armentaque laeta.*

CCCLXXXVI. Verum licet magna ex parte *malignantium* dictarum febrium conſtitutio evaneſcere viſa tunc fuiſſet: non deerant tamen moleſtiſſimi, ſimulque graves quamplurimi morbi, qui tum ratione multiplicium *ſymptomatum*, tum & ſpecialis contumaciae, quo variis modis luctuoſius progrediebantur, eo majus Medicis faceſſebant negotium, a bilioſo tamen eodem principio non abſimili ratione derivati. Quot autem, & quam diverſa ſuſcitari poſſint *ſymptomata* a bilioſo hoc humore plus, minuſve furente, juxta varias affectorum Corporum diſpoſitiones, animadvertere maxime tunc potui in gravi, complicatoque morbo, quo Nobiliſſima Domina Marchioniſſa Aralda hoc eodem Julio menſe detenta fuit; cujus accuratam hiſtoriam hic placet proponere. Nob. haec Matrona bilioſa admodum ſanguinis conſtitutione ditata (quin immo ſpontaneis bilioſis vomitibus identidem diuturno abhinc tempore aſſueta, quorum ope optime ſtatim ſe habebat, atque ab *hipochondriacis*, quibus perſaepe detinebatur, affectionibus diſtincte levabatur) die decima octava hujuſce menſis inſolitam ſtomachi *tenſionem*, cum dolore Capitis maximo perſenſit, cui febris illico addita fuit. Sequenti die vomitus inanis acceſſit, una cum doloribus Ventris, praeſertim circa Hepar: adhibitoque *Clyſtere*, bilioſas magna in copia eduxit materies, quare melius ſe habere viſa fuit. In veſperis tamen invaluit maxime febris cum delirio; unde ſanguis ex pede detractus fuit. Initio uſque morbi, cum ex inanibus hiſce ad vomitum incitamentis in hac Nob. Matrona aliunde, ut dixi, bilioſis vomitibus perſaepe detenta, atque jamdiu omnimode ſuppreſſis, bilis retentae dominium aperte noſcerem: libenter emeticum, & quidem utiliter forſan propinaſſem. Aſt, cum ejuſmodi remedia plus aequo ipſa pertimeſceret, eaque penitus reſpueret, mitioribus tunc uti coactus fui: *Clyſteribus* nempe emollientibus, atque oleo amygdalarum dulcium: ne forte, ob ea, quae non vi remedii, ſed morbi, evenire ſucceſsive poterant, Remedium, atque Artem ipſam, ex praeconcepta AEgrotantis, atque Adſtantium opinione, temere infamari poſtea viderem. Die vigeſima ejuſdem menſis fotus emollientes, & inunctiones adhibitae ſunt; tum & *mixtura anodyna*, cum Laudano: indeque immunis febre ex toto fere circa veſperas evaſit. Die vigeſima prima febris iterum invaluit, cum vomitu inani partim cum bilioſa amaricante, atque acida materie, accedentibus Ventris gravioribus torminibus totum fere Abdomen, uſque ad Pubem infeſtantibus, cum *timpanica* quaſi *tenſione*. Tunc fotus emollientes, & *Clyſteres* ejuſdem indolis in uſum revocavi, mediis quibus magnam bilis copiam per Alvum eduxit, quam & per vomitum liberaliter ejecit, acida ſubſequente viridi, ac fere *poracea* lympha. Completis hiſce excretionibus, Salem Abſynthii cum Laudano aſſumpſit;

ſumpſit; propterea *Abdominis tenſio* imminuta fuit, & ſucceſſive in veſperis eo melius ſe habere omnimode ſenſit. Sequenti tamen nocte ex toto vigil fuit, animoque, & Corpore ſummopere divexata. Die vigeſima ſecunda mane dolores iterum invaluere, adhibitoque *Clyſtere*, virentes per Alvum affluenter materies expulit, abſque ullo levamine. Adfuit hinc continua fere, atque inanis ad vomitum concitatio: pulſus imminutus maxime fuit, ſimulque durus, & frequens redditus. Quamobrem libram unam, & ſemis Decoctionis Hordei cum *Sirupo aceto-ſo ſimplici* uno hauſtu ſumendam calidam ipſi exhibui, cujus ope magna admodum copia virentis tenacis bilis per vomitum effluxit, & levata eſt, multoque inde melius ſe habuit, dum paulo poſtea, iteratis Alvi *excretionibus*, per aliam viam denuo bilem ejuſdem indolis copioſe detrudere potuit. Hinc noctem tranquillam magis tranſegit, atque ſequenti die vigeſima tertia vomitu, & doloribus omnimode caruit, cum modica tamen febri, & ſiti, craſſis admodum, & paucis profluentibus urinis. Poſt prandium eadem die iterum febris adaucta fuit, comite inani vomitu: Venter eo magis, magiſque intumuit, & doluit, injectoque *Clyſtere*, bilioſas denuo per Alvum eductas materies vidimus. Animadvertendum hic autem eſt, quod morbus iſte ipſam invaſit, conſuetis lunaribus ineuntibus *excretionibus*, quae paulatim, & abſque ordine procedendo, hac die penitus evanuere. Magna ventris dicta *tenſio timpanica*, una cum aliis *ſymptomatibus*, modo plus, modo minus invaleſcentibus uſque ad vigeſimam octavam hujuſce menſis diem obſtinate perduravit; atque quotidie, nunc per vomitum, nunc per Alvum bilioſas ejuſdem indolis materies expulit, modo ſponte, modo *Clyſterum*, aut olei amygdalarum dulcium beneficio. Juſculum alteratum foliis Malvae, floribus Chamaemeli, ſeminibus Citri, & Lini, familiaris tunc ipſi potio fuit, quod perquam utile omni jure evaſit. Hinc decreſcente Ventris *tenſione*, cum liberius *Abdominis* viſcera pertractare poſſem, Hepar tumidum, multoque magis Lienem inveni. Febris tamen abſque ordine omnino progrediebatur, modo citius, modo tardius, modo majore, modo minore cum rigore invaleſcens. Die vigeſima nona, & trigeſima morbus imminui viſus eſt, non deficientibus bilioſis conſuetis *excretionibus*. Verum paucae admodum, & craſſae urinae erant, quae ſucceſſive copioſae magis reddebantur: atque dolores, qui antea per totum *Abdomen* divagati fuerant, in regione Lienis conſtiterunt. Accerſitus tunc in conſilium fuit clariſſimus, expertiſſimuſque Medicus de Bregolis non ſenio tantum, ſed diuturna ſaniore praxi Medica, atque ſelectioribus obſervationibus confectus: tum etiam laudatus alias clariſſimus Raina, qui, re ſimul ſaniore ratiocinio intime magis perſpecta, primariam tunc morbi ſedem in Liene firmatam fuiſſe mecum ſtatuerunt, utpote a praegreſſis *phaenomenis* magna

gna ex parte ſubortam. Laxantia ideo tum interna, tum externa omnis generis unanimi conſenſu commendavimus, atq; praecipue copioſas potiones ex emolliente ſupra recenſito juſculo. Hinc ad praecavendam inflammationem, atque ad *revulſionem* quoquo modo perficiendam, ſanguinem ab *Haemorrhoidalibus*, mediis *hirudinibus* detrahendum eſſe ſapienter ſtatuit doctiſſimus Raina; quod illico perfici juſſi. Sequentibus diebus eo hinc melius ſemper ſe habuit, atque affluentibus praeter expectationem maxime urinis, Lienis tumor eadem ratione imminuebatur. Non defuerunt quoque bilioſae *excretiones*, quas, juxta indigentiam, promovere identidem non omittebam. Hinc & urinae copia adaucta taliter fuit, ut plus quam decem libras quotidie per plures dies educeret, quarum *excretionum* per quindecim circiter, & ultra dies habitarum beneficio, Venter mollis paulatim factus eſt, tumor Lienis, & dolor evanuit, atque priſtinam inde ſalutem Nobiliſs. AEgrotans adepta fuit. Quo uſque tamen, vigente adhuc morbo, copioſa haec urinarum *excretio* perduravit, ipſae tenues admodum erant, atque poſtea, vergente ad ſalutem morbo, citrinae evaſerunt. Ex hiſce ideo facile erat conjicere, Lienis tumorem dictum non a fibroſae ſanguinis partis congeſtione, ſed a ſolo lymphae copioſo affluxu unice ſubortum fuiſſe; qua de re ad *ſuppurationem* nil penitus vergere viſus fuit. Non hinc tamen inficiari unquam potuimus, bilioſas etiam materies pravae conditionis, nempe *flavo-virentes*, tenaces, & corrodentes fere, tum *biliariis* ductibus, tum & *Inteſtinis* undique adhaerentes, ad primaria hujuſce morbi firmanda ſtamina, & graviora quaeque ſuſcitanda *ſymptomata* non parum contuliſſe: quod & bilioſae ipſae dejectiones variae indolis, initio uſque morbi magna in copia obſervatae, totoque morbi decurſu cum manifeſto levamine identidem apparentes indicare ſatis poterant. Hoc unum tamen non tam facile quis judicaret: utrum ſeroſa illa copioſa congeſtio in Liene facta, tamquam primaria morbi cauſa, an melius ejuſdem tantum effectus credenda merito foret. Ego tamen poſteriori potius, quam priori adhaererem ſententiae; cum tumor ille non in principio, ſed in decurſu morbi tantum poſtea apparuerit. Praeterquamquod ex praegreſſis initio hujuſce morbi *ſymptomatibus*, facile eſt genuinam progenitae inde in Liene ſeroſae *ſtaſis* cauſam deducere. Verum namque eſt *Lymphaticas ſtagnationes*, in quibuſvis noſtri corporis partibus nunquam facilius haberi poſſe, quam dum ſanguinea tota maſſa tardius, quam par eſt, *circulatorium* motum ſuum adimplet, aut aliqua in parte reſidet (ſive ob incongruas ſolidorum oſcillationes, ſive ob fluentis ejuſdem liquidi craſſitiem, ſive ob utramque cauſam id quomodolibet fiat) quod ſatis indicant *OEdematoſi* tumores, atque *Hydropes*, morbos Pectoris *organicos*, atq; *Aſthma* praecipue ſubſequentes. Lympha etiam plerumque extra nativos ductus ſuos

proſi-

profilit, ob fortes continentium partium *compreſſiones*, aut *corrugationes*: quod videre eſt in *ambuſtionibus*, *contuſionibus*, *compreſſionibus*, atque praecipue in illis partibus, quibus apponuntur *Veſicantia*. Hinc clare patet, quomodo, ob primos morbi inſultus, *ſpaſmodicaſque* imi Ventris partium *contractiones* fortes, ab irritante bile factas, occaſione dolorum, imminutis tunc quammaxime canalium diametris, ſanguinis motus praepeditus maxime fuerit, contractiſque ſimul per conſenſum Lienis fibrillis, *lymphatici* quoque tubuli compreſſi evaſerint, indeq; diſruptis exiliſſimis eorundem tunicis, lympha extra conſuetos cancellos ibidem fluxerit: quod ſatis ſuperque erat ad antedictum ſuſcitandum tumorem, qui, imminuta exinde per urinarias vias lymphae exuberantis, & ſtagnantis copia, omnimode evanuit.

CCCLXXXVII. Menſe Auguſto ejuſdem anni 1735. invaleſcente calore, atque perquam raro accedentibus pluviis, aeſtiva ſucceſſive conſtitutio magis, magiſque ſe prodidit, minus tamen Hominum vitae infenſa. Profligatis enim fere ex toto *petechialibus* febribus mali moris, raro admodum Libitinae teterrimi ſtrepitus Urbem noſtram, circumpoſitaque loca funeſtarunt. Hinc tertianae exquiſitae, non multae tamen, graſſari viſae ſunt, quae ex ſe perquam facile ſolvebantur, aut ſolo leviorum *purgantium* uſu, atque *alterantium*; maxime tamen convenientis dictae adminiculo. Hinc a ſanguinis emiſſione utplurimum temperavi in hiſce febribus, eam ſolummodo tunc praeſcribens, juxta peculiares affectorum Corporum conſtitutiones, aut occurrentia graviora *ſymptomata*. Hoc tamen initio iſtarum febrium ſedulo ſemper curavi, quod quotieſcunque amaricantis materiei vomitus, aut frequentes tantum ad vomitum concitationes, cum ſtomachi gravamine, atque oris amaritie praeceſſiſſent; ſemper congruo ſtatim *Emetico* uterer, utplurimum *Ypecacuanha*: quod eo magis fauſtum ſemper contigiſſe novi, quo magis de ſtabulante prope Ventriculum *morbifica* cauſa, tutior aderat ſuſpicio, quod & ſupra adnotavimus. Secus vero, cum nulla adeſſent praevia hujuſmodi ſigna, non ad *Emeticum*, ſed ad idoneum *purgans* confugiebam, quod tranſactis diebus aliquot, ſi opus eſſet, iterum propinabam; aut ſaltem iteratis laxantibus, atque *anodynis* ex Lacte *Clyſteribus* utebar: niſi tamen, accedente (quod paſſim evenit) *diarrhoea*, bilioſa cauſa eliminata ſatis antea fuiſſet. Raro admodum ad evincendas tertianas haſce febres *China China* uſus fui, ad quam tunc ſolummodo confugere conſuevi, cum graviorum *ſymptomatum* ſaevitia, aut imminentis *lypiriae* ſuſpicio, id neceſſario expoſcere videretur: quod tamen perquam raro evenit. Etenim ejuſmodi febrium acceſsiones conſuetus ſemper, atque ſatis extenſus praeibat rigor; univerſalis, atque aequalis ſubſequebatur calor, cui inde ſocius aderat paulo poſt octavam, aut decimam ſaltem horam ſudor profuſus univerſalis, totalem febris ſolutionem indicans, & firmans:

mans: unde ſic procedendo, poſtpoſita ſemper invaſionis hora, plerumque in quinta acceſſione omnimode ſolvebantur.

CCCLXXXVIII. Attamen non omnes tertianae hae febres, quae graſſatae tunc raro fuere, aeque benignam protulerunt indolem. Aliquae enim, licet initio de tertio in in tertium veridicas ſimularent acceſſiones, diutius tamen, quam par erat, protractae, atque quotidie inſurgendo, in continuas paulatim migrarunt, nullius tamen pravae indolis participes. Verum conſuetis tertianarum *ſymptomatibus* ſtipatae erant. Oris enim aderat amarities, frequens bilioſus vomitus, aut inanes ſaltem ad vomitum concitationes, Ventriculi paſſiones, atque *tenſiones*, cum dolore capitis, ſimulque recurrente copioſo ſudore. *Symptomata* haec omnia perquam facile bilioſis ad id conferentibus *excretionibus ſpontaneis*, vulgo dictis, aut congruo ſaltem adminiculo promotis, evaneſcebant, quarum ope, & febris ipſa circa decimam quartam diem ſolvebatur: prout in Domino Paulo Piſano diſtincte obſervare potui, cujus febris, etſi in progreſſu vere continuitatem ſervaret, praegreſſa tamen alterna periodo, indeque *malignantem* ſimulare indolem videretur; tuto tamen mediis Alvi copioſis dejectionibus evanuit.

CCCLXXXIX. Aliae ex hiſce febribus, licet initio tertianarum vere periodum protuliſſent, nil penitus *Chinae Chinae* uſui auſcultantes, quamplurima & gravia poſtea *ſymptomata* habuerunt ſocia; Capitis nempe *gravativos* dolores, *tenſiones* in *Abdomine*, modo circa *Hepar*, modo circa *Lienem*, nocturnos profuſos ſudores, quandoque frigidos, circa faciem, & Pectus maxime inordinate occurrentes, abſque ulla febris remiſsione, quin immo, una cum maxima univerſali Corporis refrigeratione, accedente gravaminis ſenſu circa Ventriculum, inani frequenti vomitu, nec non *ſuſpirioſa* reſpirationis anxietate. Haec omnia ſpecialiter tunc adnotavi in Nobiliſsimo Domino Alphonſo Paveſio, quem cum hiſce omnibus *ſymptomatibus* vehementer vexatum reperiſſem, ad ipſum accerſitus, ſtatim cum *Ypecacuanha* purgandum eſſe arbitratus ſui, annuente doctiſsimo Sonſis: quod quidem pro votis optime ceſsit. Commotis enim ſic bilioſis materiebus, in *Inteſtinis*, aut ſaltem non procul ab ipſis latitantibus, croceos tenaces admodum humores per Alvum iteratis vicibus ejecit: unde maxime levatus eſt, ceſſantibus inde inopinato ſudoribus. Non hinc tamen morbus ex toto evanuit; ſed ultra quadrageſimum diem protractus eſt: quo tempore modo diluentibus copioſis potionibus, modo & *Ypecacuanha* iterum, modo *Clyſteribus* laxantibus ex lacte, modo *ſtomaticis anodynis* identidem adhibitis remediis, magis vehemens morbi impetus, graviora-que *ſymptomata* omnia commode ſedari potuerunt. Hinc bilioſis neceſſariis *excretionibus* liberior fuit aditus: quare ſuperveniente poſtea *diarrhoea* non parum protracta, a peccantibus omnimode humoribus

libera-

liberatus fuit; Succeſsive in fine morbi Balſamo *de Copaiba* uſus eſt, tum ad affectarum partium laxitatem tollendam, tum ad promovendas urinas, quae tunc parce admodum excernebantur. Hujus adminiculo perfecte ſanus evaſit, evaneſcente ſimul contumaciſsimo dolore, quo in regione *Lienis* toto morbi decurſu vexatus maxime fuerat, ubi fortaſſe primarius morbi fomes reſidebat, ipſum jam jam ad *cachexiam* miſere perducturus, prout multiplici ratione patebat.

CCCXC. Ex allato autem hoc caſu, ſicuti & ex ſimilibus aliis eo magis evidens ſemper erat, praecipuam graſſantium tunc morborum cauſam tum a bilioſis maxime, tum a *lymphaticis* craſsioribus humoribus hinc inde latitantibus plerumque fuiſſe petendam. Caeterum Julio, & Auguſto menſibus perquam pauci mortui ſunt, nullis fere dominantibus *petechialibus* febribus. Succeſsive febres tertianas *ſpurias* habuimus majore numero, ex illis praecipue, quae ſtatim gravibus ſtipatae *ſymptomatibus* erant, ut *cholerico fluxu*, *cardialgicis paſſionibus*, profuſis ſudoribus &c. earumque acceſsiones tamdiu protrahebantur, ut nullum penitus *infebricitationis* tempus plerumque relinquerent, etſi, accedentibus ſudoribus, ad remiſsionem fidam vergere viderentur. Tantum autem abfuit, quod ſudores iſti quicquam tunc levaminis afferrent, ut potius AEgrotos eo magis defatigarent. Initio harum febrium levis utplurimum rigor acceſsiones quaslibet praeibat, qui diu admodum protractus erat, copioſis accedentibus vomitibus materiei praeſertim viridis iteratis vicibus prodeuntis. Febres iſtae gravius, & facilius *plethorica* invadebant corpora, uberiori cibo, magiſque liberali meracioris Vini uſui aſſueta. In hiſce caſibus, praevia ſanguinis congrua, atque iterata emiſsione, ſimulque conveniente *purgatione*, ſtatim ad *Chinam Chinam* confugiebam, ad evitandam *Lypiriam*. Hac methodo evaneſcebat illico febris, quae paulo poſtea, iiſdem comitantibus *ſymptomatibus*, redibat, iterumque *China China* vincebatur: quod ter, quaterque in hujuſcemodi AEgrotis eveniſſe pluries tunc obſervavi, maxime cum febres iſtae prope autumnale aequinoctium primo inſurgerent, unde iteratis vicibus denuo invadendo, uſque ad Vergiliarum occaſum utplurimum protrahebantur. Eadem autem, in adminiſtranda *China China*, methodo, iiſdemque cautionibus uſus fui, quas ſupra in curatione tertianarum febrium propoſui. Talis vero conſtitutio toto etiam Septembri menſe perduravit, quo tempore aeſtivos fere paſsi fuimus calores.

CCCXCI. Octobri, atque Novembri menſibus ejuſdem anni 1735. cum perſaepe pluvioſum eſſet Coelum, auſtralem plerumque aeris conſtitutionem, accedente frigore, habuimus. Hinc nil mirum fuit *lymphaticos* ſaepius attendere morbos. Ob eandem cauſam die decima tertia Octobris ego quoque Anginâ ſpuria correptus fui dexteram praeſertim *Tonſillam* invadente, cum uni-

univerſa capitis, & colli *Rheumatica* affectione, atque valida febri. Hinc ſequenti die decima quarta ejuſdem menſis, exſiccatis ex toto Naribus, crevit maxime dolor, multoque magis decima quinta die circa veſperas, quando adhibito *Clyſtere* emolliente lectum omnino petere coactus fui. Noctem ſequentem inſomnē ſemper tranſegi, adaucta magis febri, cum rigore abſque ordine reccurrente. Dolor ſucceſſive magis, magiſque adauctus fuit, uſque ad aurem inde protenſus, tumore tum interius, tum exterius taliter excreſcente, ut demiſſa vix voce loqui paululum poſſem, nil niſi juſcula, & quidem laborioſe aſſumens. Sanguinem tunc mihi detrahi juſſi, abſque ullo levamine tamen: ſicuti & prodeſſe parum videbatur copioſa craſſae lymphae *excretio*, per *ptyaliſmum* fere continuum. Hinc quatuor ſuccedentibus diebus morbus in eodem fere ſtatu ſemper conſtitit, Alvo nil penitus fluente, quamvis *Clyſteribus* fere quotidie adjuta. Tandem die vigeſima ejuſdem menſis, praevio copioſiore lymphae *exſcreatu*, pus ſincerum una cum ſanguineis fibrillis effluxit, propter quod inopinato morbus fere ex toto evanuit, copioſa tamen adhuc durante *ſalivatione*. Quamobrem, ut hujuſmodi *lymphaticum* affluxum alio diverterem, ejuſdem lymphae magna in copia dominantis ſecretionem per *Inteſtinales* glandulas promoturus, ſequenti die leve purgans aſſumpſi, medio quo Alvus ſoluta eſt, & laxa evaſit per plures dies, ex quo morbus perfecte, tutiuſque evanuit. Mirum tamen tunc maxime fuit attendere, quod, aſſumpto purgante dicto, quo magis laxa reddebatur Alvus, eo magis pari ratione *ſalivalis* excretio diminueretur. Id etiam in *Rheumaticis* aliis morbis pluries obſervavi, in quibus non tam inutilis, multoque minus non tam nocuus eſt mitiorum purgantium uſus, prout plures praejudiciis potius, quam rationibus ducti cenſent.

CCCXCII. Attamen, congruo habito tunc generatim reſpectu, duobus hiſce menſibus perquam pauci aegrotarunt, exceptis iis, qui vix vix ab aeſtivis morbis evaſerant; a tertianis nempe febribus contumacioribus, aut quartanis autumnalibus, quae plerumque, juxta Hippocratis monitum, diuturniores eſſe conſueſcunt. Quamplures enim ex hiſce terque, quaterque iterum iiſdem morbis correpti fuerunt, iiſdemque comitantibus *ſymptomatibus*, atque praeſertim vomitu copioſo virentium materierum, atque *cholericis* ejuſdem indolis dejectionibus, quarum beneficio convaleſcere videbantur: donec pari denuo ejuſdem bilis apparatu paulatim progenito, iterum febris inſurgeret, iterumque iiſdem *excretionibus* ſolveretur. Inter contumaciores tertianas, aut quartanas haſce, *erraticae* quaedam aliae febres graſſatae ſunt, quae continuitatem perſaepe ſervantes, poſt aliquot dies modo citius, modo tardius, iiſdem praeeuntibus bilioſis *excretionibus* evaneſcebant, iterumque poſtea citius, tardiuſve invadebant, cum vomitu, *cardialgicis paſſionibus*, aliiſque ejuſ-

dem indolis *ſymptomatibus*, quae omnia tertianarum ſemper conſuetum principium, etſi magis contumax, magiſque inordinatum, ſatis indicabant. Hinc denuo a febri liberi evadebant, non autem ex toto ſani, ſed debiles admodum, pallidi, atque *cachectico* fere perfuſi colore. Recrudeſcentium contumaciſſimarum ejuſmodi febrium morem, atque ſpecialem procedendi modum, ſicuti & ſervatam in ipſis curandi methodum in propinanda maxime *China China* non vacat hic diſtincte proponere, cum haec omnia ex antedictis ſatis ſuperque innoteſcere poſſint. Hoc unum addam, quod hoc etiam tempore omnes plerumque, qui hiſce febribus abſque ordine progredientibus detinebantur, accedentibus inde, aut etiam praeexiſtentibus *Lienis*, aut *Hepatis*, aliorumve imi Ventris viſcerum tumoribus, in *Chronicos* migrabant morbos, aut *Cachectici*, aut *Hydropici* poſtea facti. Ab hiſce ideo morbis, aut diuturno admodum tempore detinebantur, nihil proficientibus conſuetis remediis; aut inſurgente acuta admodum febri, cum ſiccitate linguae maxima, oris amaritie, genarum continuo rubore, ob dictorum viſcerum ſubſequentem inflammationem, extremum paulo poſtea diem complebant. Hiſce etiam menſibus nonnulli, ſed pauci admodum, *malignantibus* dictis febribus laborarunt, quae tamen feliciter enarrata ſupra methodo evincebantur, apparentibus ſaepiſſime *Parotidum* tumoribus, copioſis Narium *Haemorrhagiis*, atque etiam *Diarrhoea*.

CCCXCIII. Prope finem menſis Novembris, Aquilonaribus dominantibus ventis, rigidior evaſit aeris conſtitutio; unde detractus ab AEgrotis ſanguis conſuetum *pleuriticorum corticem*, modo flavum, modo *flavo-virentem* obtulit, maxime in iis, qui *lymphaticis* corripiebantur *Pleuritidibus*, qui tamen perpauci fuerunt; inter quos Ruſtici praeſertim, atque urbani Plebei, aeris inclementias minus caute paſſi. Hinc ineunte Decembri menſe ejuſdem anni 1735., auſtrali ſubeunte aeris dominio, minuſque rigido frigore, Pectoris dicti morbi penitus evanuere, nullamque amplius detractus ſanguis *pleuriticam* obtulit *cruſtam*. Inter paucos, qui tunc aegrotarunt, nil niſi autumnales recrudeſcentes morbos novimus; febres nempe tertianas inordinatas, quae ſucceſſive conſuetis bilioſis *excretionibus* ſolvebantur, atque paulo poſtea invadendo, mox *quartanas*, mox *quintanas*, *ſextanas*, *octanas*, aliaſque ejuſmodi *erraticas* febres, varia ratione procedendi ſimulabant. Febres autem iſtae illis praeſertim contigerunt, qui dictis imi Ventris tumoribus laborantes, contumaciores tertianas, progrediente Autumno, ſaepe, ut ſupra diximus, paſſi fuerant.

CCCXCIV. Seneſcentem annum 1735. Aquilonaris admodum rigida conſtitutio complevit, quae inde ſubſequente Januario menſe anni 1736. magis, magiſque ſaeviit. Hinc *Pleuriticos* quamplures vidimus, in quibus ſanguineae praeſertim Pulmonum *ſtaſes* occurrebant, atque proinde

proinde magis funeſtae, quam *lymphaticae* (de quibus omnibus ſupra ſatis egimus) conſuetaque praeferebant *ſymptomata*. Speciales hic duas addam obſervationes, quae occurrentis tunc conſtitutionis indolem ſatis patefaciant, habitaque ſupra de morbis Pectoris, ac praeſertim de *Pleuritidibus* ratiocinia magis, magiſque illuſtrent. Reverenda D. Bartholomaea Religioſa vere tum ſacris, tum politicis dotibus illuſtris in Collegio Virginum, ut ajunt, Jeſuitarum Cremonae, *Pleuritide* derepente correpta fuit, levi praeeunte rigore abſque ordine recurrente, una cum reſpirationis anxietate maxima. Dolor ad jugulum protrahebatur, ad ſpurias uſque coſtas in ſiniſtra parte ſimul extenſus, plerumque cum gravaminis ſenſu. Secta bis vena tunc fuit: atque demulcentibus calidis conſuetis potionibus, nec non externis fotibus nil penitus levata eſt. Dolor non *punctorius*, ut vulgo dicitur, ſed *gravativus* potius perdurabat: pulſus frequens admodum, & concitatus, & durus: Tuſſis non admodum moleſta erat, nec frequens, cum ſalivali tantum *excretione*, cui aliquando ſanguinea filamenta immixta erant. Quarta morbi die anheloſa magis reſpiratione facta, jam catarrhi ſtrepitus inſignis audiri in Pectore coepit, qui ſucceſſive adauctus eſt, donec tandem ſeptima die circiter extremum miſerrime complevit diem. Toto morbi tempore nunquam ſudavit, levi excepto glutinoſo ſudore, quo per *expreſſionem* potius violenter promoto, ultimis morbi diebus perfuſa eſt, tunc praeſertim cum reſpiratio anxia magis evaſit, pulſuſque inaequalis maxime redditus fuit. Mente tamen compos ſemper fuit, foetidaſque per Alvum dejecit materies bilioſas, abſque ullo levamine. Urinae naturalem fere conſtitutionem, & colorem ſervarunt. Curationi praeerat laudatus alias praecliriſſimus Pedrattus, cum quo ego conſilium inivi; unde hiſce omnibus ſedulo perſpectis unanimi conſenſu ſtatuimus, quod *Pleuritis* iſta non a lymphae praeſertim, ſed a ſanguinis genuina *ſtaſi* in intima ſiniſtri Pulmonis ſuperiore parte ſuborta eſſet; cui optime ideo conveniebant infauſta omnia divini Senis praeſagia ſatis ſupra, diſtincteque propoſita. Eodem tempore Reverendus Pater Luranus Minimorum Corrector, *Pleuritide* vere *Phlegmonode* correptus fuit, cum reſpirandi difficultate maxima, faciei rubore intenſo, pulſu admodum frequenti, & concitato. Nihil penitus toto morbi decurſu expuit, modica excepta lymphae copia ſanguine leviter aliquando intincta. Fruſtranea fuere penitus remedia quaeque laudabiliore methodo uſurpata, ſicuti & iterata ſanguinis miſſio. Dolor tamen *punctorius* nunquam fuit, ſed gravativus, qui ſucceſſive, invaleſcente morbo, eo mitior reddebatur. Facta inde *ſuppuratione* conſuetis ſignis indicata, nec pure unquam per *expectoratum* educto, ad *articulationes* inferiores pedum, & genua, gravibus accedentibus doloribus, cum manifeſto tumore, conſuetas natura *metaſtaſes* moliri aperte viſa eſt, ma-

xime cum inde eadem ratione difficultas reſpirandi minor ſemper evaderet. Attamen fauſtas *criſes* haſce nullibi unquam natura ſatis complevit; cum modo hic, modo illic perficere opus aggrederetur. Quare, *Diarrhoea* poſtea accedente, circa undecimam morbi diem aeternum quievit.

CCCXCV. Sequentibus quatuor menſibus anni 1736. Februario videlicet, Martio, Aprili, & Majo Auſtralem plerumque, & pluvioſam pertinacem conſtitutionem habuimus, Aquilonaribus raro ingruentibus ventis: atque talis fuit utplurimum aeris conditio, uſque ad Vergiliarum ortum, quando moderatum ferre calorem coepimus. Mirum maxime tunc mihi fuit attendere, quod toto hoc tempore perquam pauci aegrotaverint, ac fere dixerim nulli, ſi Senes male aliter conſtitutos exceperis, alioſque etiam, qui caeteroquin, ob interna aliqua Viſcerum vitia, male ſemper plus, minuſve ſe habere ſoliti erant. Contra enim merito militare videbatur Hippocratis vulgare effatum (218) *Ex anni vero conſtitutionibus in univerſum quidem ſiccitates pluvioſis ſunt ſalubriores, & minus lethales*. Licet ejuſmodi ſententia omnem ex praxi fidem mereri ſoleat, in caſu tamen noſtro loquendo (ſi pluvioſa conſtitutio haec conferatur cum enarrata ſupra contumaci ſiccitate, unde primam *malignantes* dictae febres originem nactae ſunt, atque ob eandem cauſam diutius protractas illas fuiſſe novimus) oppoſitum certe eveniſſe nemo negabit. Quamobrem eo magis firmo ſtare poſſe pede arbitramur propoſitam ibidem de iiſdem febribus *Theoricam* explicationem, tum & *ſymptomatum* peculiarium omnium, quae ipſas fere ſemper comitari conſueverunt. Non inficiabor tamen tunc etiam *malignantes* ejuſdem fere indolis febres aliquando ſubortas fuiſſe ineunte maxime Vere, quae cum paucae admodum eſſent, tranſactam nil prorſus conſtitutionem teterrimam illam exhibere poterant, qua vigente & Noſocomia quaeque tum Urbis, tum Militum, atque Civium quoque domus fere omnes nil niſi *petechiales* febres referre magna in copia videbantur. Quotannis enim prope Ver, & Autumnum ejuſmodi exſurgere febres ſolent, quae niſi univerſaliter, diuturnoque tempore graſſentur, nunquam Epidemicam ſapere conſtitutionem poſſunt, quam poſt univerſalem ſiccitatem caput extuliſſe, eademque vigente, adauctam fuiſſe, ex allatis ſupra obſervationibus aperte conſtat. Nonnulli etiam ſpuriis tertianis febribus hoc tempore laborarunt, atque illi praeſertim, qui tranſacto anno eoſdem paſſi fuerant morbos, *Chinae Chinae* uſu profligatos. Non defuerunt tunc etiam, & *Catarrhales* febres variae, & *Eryſipelae*, & *Diarrhoeae*, *Dyſenteriae*, aliaeque minoris momenti non abſimiles AEgritudines, quae tamen, cum raro admodum, leviterque, & paucos invaderent, nullum mereri Medentis ſcrutamen videbantur. Copioſiores *malignantes* dictae febres inſurgere

(218) *Hippoc. Aphor.* 15. *Sect.* 3.

re viſae ſunt paulo ante Vergiliarum ortum, multoque magis initio menſis Junii ſub aeſtivo ſolſtitio: maxime cum ſiccior tunc diu vigeret aeris conditio. Cum *petechiales* hae febres eandem ſervarent indolem, eodemque modo progrederentur, ac aliae in ſuprapoſita *epidemica* conſtitutione deſcriptae: eandem etiam utiliter curandi methodum expoſcebant, cum aeque facile, & perfecte bilioſis praeſertim excretionibus ſolverentur, copioſis non raro urinis ad id conferentibus.

CCCXCVI. Toto Junio menſe varia plerumque fuit aeris conſtitutio, atque ingruentibus perſaepe pluviis, & ventis vix vix paululum aeſtivum perſenſimus calorem. Tunc perquam raro *petechiales* dictae febres occurrere, atque tertianis variae indolis obnoxii ſaepius fuimus. Initio menſis Julii tam moderatus vigebat calor, ut vernalem pene aemularetur. Paulo poſtea tamen maxime excrevit, cum ſerenum utplurimum micaret Coelum; Ideo tertianae praecipue febres generatim graſſari magis coeperunt. Verum mitiorem tunc ſortiebantur indolem, *exquiſitarum ſimplicium* characteres tantum referentes. Quamobrem vel ſponte ſua illico ſolvebantur, conſuetis accedentibus bilioſis criſibus, & ſudoribus; vel ſolo *Chinae Chinae* uſui, quoties ad ipſam expediret confugere, facile, tutoque auſcultabant, non omiſſis copioſis attemperantibus potionibus; de quibus ſatis ſuo loco egimus. Una cum Tertianis hiſce *ſimplicibus* febribus *Synochae* pariter dominabantur, quae aliquando ad plures dies plus, minuſve praeter ordinem protrahebantur, ſolo ſemper affluentis ſudoris beneficio ſolutae. Declinante tamen hoc Julio menſe tertianae dictae febres pejorem admodum praeſeferre faciem viſae ſunt; cum & diutius acceſſiones producerent, & gravibus conſuetis *ſymptomatibus* ſtipatae perſaepe eſſent, *perniciosae* plerumque indolis participes, ad *Lypiriam* quamproxime tendentes. Tunc ideo frequens, & neceſſarius magis fuit *Chinae Chinae* uſus, cujus adminiculo devicta febris pluries recrudeſcere poſtmodum, etiam abſque cauſa manifeſta, videbatur.

CCCXCVII. Ineunte Auguſto menſe aeſtivos gravius calores ſuſtinuimus, praeſertim cum raro nebuloſum evaderet Coelum, ac fere nunquam pluvioſum. Toto hoc menſe quoque eadem pene fuit aeris conſtitutio: quare immoderatis diutius protractis aeſtibus omnia fervebant. Hinc praeter modum aeſtuante, & rarefacto ſanguine, *Synochas* ſaepius febres habuimus, ſola ſanguinis congrua emiſſione facile curatas, cum ad copioſos *criticos* ſudores ſuapte natura tenderent, quorum adminiculo penitus, tutoque remittebant. Communiter tamen Tertianae tunc praeſertim dominabantur febres *ſpuriae*, ſaepe *perniciosae*, curatuque magis difficiles. *Lypiriae* ideo ſaepius occurrebant, quas ſi tempeſtive *febrifugo* adoriri non omittebat Medicus, generalibus aliis non neglectis praeſidiis, votis nunquam fruſtratus evadebat. Non vacat hic

*Lypiriae* hujuſce febris, teterrimis ſemper ſtipatae *ſymptomatibus*, mores, indolem, cauſas, atque exitus ſingillatim proponere: cum haec ſatis ſuperque ex dictis pateant. Id tantum innuam, quod plerumque hac etiam occaſione obſervaverim, quod Ruſticana maxime Plebs hiſce febribus facilius obnoxia ſit, iiſdemque gravius laboret. Ruſtici enim, qui vix a continuis *acutis* febribus paululum primis diebus expaveſcunt, Tertianas penitus potiore jure negligunt, maxime ſi alternis tantummodo diebus aegrotent. Neceſſariis ideo deficientibus medicis praeſidiis, invaleſcit in dies morbus, quotidie accedit febris, diutius perſiſtit, indeque *Lypiria* ſuccreſcit. Quotquot autem hac febre detentos in Noſocomio noſtro Ruſticos habui, etiamſi gravia quaeque conſueta vigerent *ſymptomata* (dummodo confirmatae inflammationis tuta ſignacula non adeſſent) omnes prorſus ſanatos vidi, ſolo *Chinae Chinae* uſu, tum & malvatico meraciore Vino interdiu ſaepiſſime uſurpato, una cum *anodynis*, juxta *ſymptomatum* ſaevitiam, adhibitis, iiſdem, ſimulque *mixturae ſtomaticae* noſtrae ſupra deſcriptae victoriam jure, meritoque referens. Hinc rarius Cives, licet magis *pernicioſis* tertianis laborantes, tempeſtive curati, *Lypiria* hac febre corripiebantur; ſi eos excipias, qui *bilioſi* magis, & *ſanguinei*, ut vulgo dicitur, ſimul eſſent, incongruo magis victus regimini aſſueti, Vinoque meraciori, omniſque generis immaturis fructibus, & Oleribus temere indulgentes.

CCCXCVIII. September menſis ſaepius nobis pluvias attulit, atque nubibus plerumque obtectum Coelum fuit; unde inopinato fere aeſtivus calor evanuit. Quamobrem majore in copia dominabantur Tertianae febres *ſpuriae*, quae & contumaciores quam antea erant, graviuſque AEgrotos fatigabant, utpote moleſtiſſimis conſuetis ſtipatae *ſymptomatibus*, *pernicioſam* ſemper referentes indolem, atque perquam facile, ſaepiuſque recrudeſcentes. Hujuſcemodi contumaces febres eo frequentius, eo vehementius ſaevire coeperunt, quo propius Autumnale aequinoctium imminebat. Haec omnia conformia utique ſunt iis, quae in *Sectione prima de Tertianis febribus* diſſerentes fuſius ſupra propoſuimus. Praeterea hoc anno, dum earundem variam indolem, & progrediendi modum ſedulo attenderem, obſervatu mihi dignum ſpecialiter evenit, quod aeſtivis primis menſibus tertianae omnes tunc occurrentes, *exquiſitam* vere ſervando ſemper indolem, minus moleſtae evaderent, plerumque *ſimplices* eſſent, breviores afferrent acceſſiones, citiuſque, & tutius abſque magno remediorum apparatu ſolverentur, Natura ſponte ſua conſuetas *excretiones* perficiente. Hinc recedente aeſtivo ſolſtitio, adaucto in dies magis, magiſque calore, parique ratione activo magis reddito febrili fomite, magiſque contumaci, utpote majore in copia vigente: quae tunc eveniebant tertianae, eo majus in dies Medicis negotium faceſſere conſueverunt. Rarius enim *exquiſi-*

*tas*

*tis ſimplices* tertianas occurrere animadvertimus. Quin immo earum loco duplices frequentius, ne dicam ſemper, accedebant, atque ſucceſſive eo magis diuturnas afferebant acceſſiones, gravioribus pari ratione comitantibus *ſymptomatibus*. Hinc accedente Autumnali aequinoctio, cum magis, magiſque aequo paſſu diuturnae acceſſiones fierent, merito poſtea continuae evadebant. Id etiam in continuis hiſce tertianis animadverſione dignum ſemper novi, quod illae, quae non procul ab Autumnali aequinoctio inſurgere ſolebant, praevio conſueto rigore manifeſtum magis exhiberent acceſſionum quarumlibet principium, etſi continuitatem vere ſervarent. Tranſacto hoc tempore, maxime poſt Autumnale aequinoctium, aboleri in dies magis videbatur praevium hoc acceſſionum ſignaculum, ita ut, coeuntibus mutuo acceſſionibus, *continuae* fere *continentes* fierent, quarum principium, & remiſſionem vix vix aliunde paululum dignoſcere datum erat. Hujuſcemodi Tertianarum febrium *tranſmigrationes*, ut ita dicam, peculiari hoc ordine factas, juxta occurrentis tempeſtatis curſum, in illis clarius dignoſcere potui, qui, dum primo tertiana exquiſita non procul ab aeſtivo ſolſtitio laboraverant, aut ſaltem Tertiana duplici citius remittente, pluries poſtmodum recidivas paſſi fuerant. Siquidem quoties denuo eodem morbo aegrotabant, licet eadem vigeret priſtina cauſa, ſtatis temporibus invaleſcens, varia tamen ratione torquebantur: mox nempe eadem adhuc Tertiana duplici, ſed diutius acceſſiones ſingulas producente, cum intermiſſione ſenſibili; mox continua, ſed alternam periodum aperte indicante, ſicuti & alternam remiſſionem; mox continua *eſſentiali*, ut ajunt, *tertianariam* normam obſcure admodum referente. Eadem ratione quicunque iteratas haſce multoties recidivas procul magis ab Autumnali aequinoctio patiebantur, cum pari paſſu febrile biliоſum principium enervari neceſſario conſueſceret, minorique in copia vigeret, tertianis iterum *duplicibus* aperte magis videbantur laborare, indeque ſimplicibus. Quapropter imminuta ſucceſſive febrili maſſa *quartanam* poſtea ferebant, mox *quintanam*, mox *ſeſtanam* &c. quod & ſupra etiam ſatis attigimus. Multiplices haſce tertianarum febrium varietates, anni temporum motibus tam rigoroſe conformes, non aliter, meo judicio, melius quiſpiam explicabit, quam ſi biliоſum principium ex dictis ſupponat. Porro ſupra ſatis novimus, quod biliоſi humoris tenuitas breviores acceſſiones parit, atque alternis tantum diebus occurrentes. Si autem & tenuis, & copioſa bilis vigeat in ſanguine, quae breviori temporis intervallo coacervari poſſit in conſuetis *emunctoriis*, atque ab iis cito ſecedere: Tertiana duplex progignitur, non diu admodum acceſſiones protrahens. Hinc cum accedente Autumno & copioſa, & craſſior, quin immo glutinoſa magis bilis evadat; cum primo in *emunctoriis* propriis accumulata eſt, ibidem diutius ſiſtitur, indeque tar-

dius removetur: quare diuturniores acceſsiones ſunt, quarum principium tantum dignoſcere paululum, aut quotidie, aut alternis diebus datum eſt; quia aut quotidie, aut alternatim ſolum, juxta copiam ejuſdem bilioſi laticis in ſanguine dominantis, ad conſueta loca fluit, ibidemque cum praeexiſtente febrili fomite conjungitur, parteſque, quas permeat, irritando, datis temporibus conſuetum rigoris ſignaculum exhibet. Attamen ſucceſsive tractu temporis, congruis factis bilis *excretionibus* ſive ſponte, ſive Medici praeſidio promotis, imminuitur bilis copia, quae ſemper majorem in dies tenacitatem acquirit. Majus ideo requiritur tempus, ut a ſanguine ſecedens ſufficientem in *emunctoriis* conſuetis maſſam efficiat, ſuſcitandae febri idoneam, eademque ratione, cum tardius removeri inde queat, diutius acceſsiones quaelibet perdurant, quae eodem habito reſpectu, aut alternis tantum diebus, aut de quarto in quartum, aut aliter occurrunt. Haec autem (quae ex dictis deſumpta in compendium hic redigere placuit, ad variam inveſtigandam cauſam, quae recrudeſcentibus tertianis diverſam largitur indolem, juxta temporum occurrentes viciſsitudines) veriſimilem quoque rationem aperte indicant, propter quam illi etiam, qui primo tertianis detinentur ſive prope AEſtivum ſolſtitium, ſive prope Autumnale aequinoctium, ſive intermedio quovis tempore, ſive prope Vergiliarum occaſum &c. diverſo prorſus modo iiſdem laborent. Verum cum febrilis fomes iſte non tantum generalem reſpiciat cauſam aeſtivo tempore in aere dominantem, verum etiam peculiares AEgrotantium quorumcunque Corporum diſpoſitiones: Ideo ea, quae hic de tertianarum febrium cauſae ratione generaliter dicta ſunt, ſpeciales expetunt animadverſiones, propter quas varia in variis, eodem etiam poſito principio evenire poſſe, nobis innoteſcat.

CCCIC. Ex hiſce omnibus, quae tum alias ſupra, tum hic de tertianarum febrium cauſa propoſuimus, aperte patet, quanam ratione, dum bilioſus craſſior, magiſque tenax latex magna in copia in confiniis Hepatis coacervatur, ibidemque conſiſtens bilioſos, ut ita dicam, *abſceſſus* conſtituit, contumaces illae continuae ſuboriantur febres, nec *febrifugo*, nec aliis conſuetis remediis plerumque auſcultantes. Attamen in hiſce praeſertim caſibus, juxta leges ſecretionum, quae indefinenter fiunt a tota ſanguinea maſſa, (quae quidem varia ratione tum quo ad copiam, tum quo ad tempus peraguntur, congruo habito reſpectu ad peculiares conditiones ſecernendi humoris adhuc cum tota maſſa intime mixti) nova identidem bilioſa materies conſuetis colatoriis Hepatis ſuppeditatur, priorem jam ſtagnantem in majores aeſtus cogens. Hinc fit, quod illi, qui contumacioribus hiſce febribus continue laborant, identidem gravius vexentur conſuetis adauctis *ſymptomatibus*, datiſque temporibus inhorreſcant, & frigore detineantur, ac ſi novae ipſis inſurgerent febriles acceſsiones, quando-

que

que alternam periodum ſimulantes, aut quamcunque aliam inordinatam, ut diximus. Hujuſcemodi contumaces febres diu admodum abſque ordine vigentes *Hepaticas* jure, ac merito dicendas eſſe ſemper exiſtimavi, utpote illae, quae tractu temporis, ex dictis, aut ad *cachexiam* poſtea perducunt, aut ad deſperatum *Hydropem*, aut ad omnimodam ejuſdem viſceris inflammationem ſubito jugulantem. Hujus propemodum indolis Febris illa fuit, qua ineunte Autumno hujuſce anni 1736. graviter detentus fuit Dominus Curtius Torchiana, eademque plus quam per duos menſes variis modis laboravit. Hic autem ſaginatus praeter modum erat, licet juvenili adhuc aetate gaudens, atque obeſo fere Corporis habitu praeditus, liberali victu, atque meracioribus praeſertim vinis copioſe indulgens. Porro initio tertiana duplici ſpuria laborare viſus eſt, quum quotidie rigores inſurgerent, alterno quodam *Rhytmo* ſibi mutuo reſpondentes; nunquam tamen ex toto intermittebat febris: quare de acuta febri non immerito aderat ſuſpicio, quae *petechialium* ſupradictarum naturam ſaperet. Capitis enim maximum gravamen aderat, cum aurium ſibilo, ſiti intenſa, vomitu, una cum univerſa Corporis laſſitudine, vigiliis, amaritie oris, atque quandoque cum *cardialgicis paſſionibus*, urinis croceis admodum, & pulſu concitato. Sanguis ter ſatis eductus fuit, factaque congrua *purgatione*, bilem tenacem magna in copia ejecit, cujus excretionem, quoties opus erat, iteratis laxantibus *Clyſteribus* promovere non omiſi, copioſos ſimul aquae hauſtus una cum Mali medici ſucco laudans, ad bilis dominantis aeſtus rite compeſcendos. Fruſtra autem *Petechiales ſtaſes* expectavimus. Siquidem in decurſu morbi aliam penitus indolem protulit Febris, ad *Chronicam* aperte tendens. Tunc Abdomen obtumuit maxime, praeſertim in regione *Hepatis*, inanibus ad vomitum conatibus ſaepe accedentibus, cum vigiliis, atque reſpirationis anhelitu ſummo. Eodem tempore bilioſae excretiones imminutae ſunt, tum & urina parcior evaſit. Verum lingua bilioſo glutine obducta ſemper erat, cum amaritie oris, & nauſea. Satius ideo duxi ad ſerum Lactis alteratum cum aperientibus herbis, facta ſimul congrua infuſione Rhabarbari, confugere, quo per plures dies uſus fuit. Hujus adminiculo magis copioſae evaſerunt bilioſae excretiones, ſicuti & urinae affluentius prodiere. Quapropter febris, quae plus quam per menſem obſtinate permanſerat, ſolvi penitus viſa eſt. Hinc paulo poſtea gravius iterum acceſſit abſque ordine adhuc progrediens, & continuitatem ſervans. Eadem ideo iterum prodiere *ſymptomata*, cum difficultate reſpirandi, quae quandoque ita augebatur, ut illico e lecto ſurgere coactus eſſet, cum ſupinus jacens ſpiritum ſibi fere ex toto praecludi conquereretur, pulſu frequenti, & concitato admodum reddito, atque inordinatum penitus *rhytmum* ſervante. Laborioſo hoc anhelitu identidem vexabatur, qui plerumque

que ſoluta inde alvo, congruaque bilis facta excretione ſolvebatur. Aderant tunc quoque inanes vomitus, vigiliae, ſitis maxima, oris amarities, & tenſio prope Hepar maxime cum dolore, ibidemque facta compreſſione, difficilis reddebatur illico reſpiratio, ac ſi praedictis inſultibus corriperetur. Hinc, attentis etiam reliquis omnibus praegreſſis, certo certius arbitratus ſum, contumacem bilioſam in Hepate vigere cauſam, quam iterato *Ypecacuanhae* identidem uſurpatae uſu, tum & *Clyſteribus* laxantibus, paulatim deſtruere, atque leniter educere non neglexi. Non omittebam pariter uſum *mixturae ſtomaticae* ad graviora ſedanda *ſymptomata*, quibus opitulari etiam maxime videbantur copioſae potiones aquae ſupradictae. Sic res pro votis ceſſit, omnia mitiora evaſere, & febris quoque ſummopere imminuta eſt. Verum jam univerſus Corporis habitus *cachecticus* evadebat, ad *hydropem* pronus, parique ratione tumebant pedes, & manus, imminuta quammaxime urinarum excretione. Propterea ad *Gummi ammoniacum* confugi, indeque ad Balſamum *de Copaiba*, ad aquas Villenſes pro potu ordinario: quorum omnium ope, copioſae admodum evaſere urinae, eademque ratione oedematoſus univerſalis evanuit tumor, conferente etiam ad id plurimum Oleo Amygdalarum dulcium, & *Clyſteribus*, bilioſas excretiones pro indigentia promoventibus. Quapropter ex toto convaluit, Balſamo praeſertim *de Copaiba* primariam referens laudem; cum ipſius ſpecialiter vi, & urinarum ſecretio libera evaſiſſet, atque glutinoſa bilis in confiniis Hepatis defixa ita fuiſſet diſſoluta, ut poſtea tractu temporis omnimode excerneretur, cujus quidem immenſam pene copiam plus quam duorum menſium intervallo, quo morbus hic contumax fuit, iteratis vicibus eduxit. Non abſimilem morbum tunc paſſa fuit Nobiliſſima Domina Zaccharia e religioſo Coetu Divae Martae hujuſce Urbis, iiſdemque bilioſis excretionibus priſtinae valetudini optime reſtituta fuit. Diutius tamen admodum aegrotavit; cum haec ab *Ypecacuanhae* uſu iterato abhorrens, mitiora tantum amaret remedia. Quare nobilius, & dulcius curata, diutius morbum ferre coacta fuit: quod Nobilibus quibuſcunque AEgrotis evenire plerumque ſolet; quoties lenem potius, & ſuavem, quam rudiorem, & utilem Medicorum operam, aut quaerunt, aut ſuſtinent. Hujuſce morbi, quo praedicta Religioſa detenta fuit, Hiſtoriam diſtincte hic proponere ſuperſedeo, cum ab alia hic fuſius exarata parum differat.

CCCC. Verum dum praeter alia, quae de Tertianarum febrium cauſa ſupra fuſius propoſuimus, iterum eas a varia bilis aeſtuantis indole, varioque motu, copia, atque diverſis *ſtaſibus*, originem plerumque ſortiri aperte innuo: non deerunt plurimi, qui diverſas hac ſuper re clariorum Authorum opiniones, aliaque ratiocinia mihi obtrudent, utpote quae, & veritati magis conformia putentur, atque experientia

ipſa

ipſa ſatis ſuperque confirmata. Meum utique non eſt ſingulas haſce ſententias hic adamuſſim perpendere, tum quia inſtituti hujuſce ratio id prorſus reſpuit, tum quia aliorum opiniones refellere in animo neutiquam habeo, dum ſententiae meae fidem adſtruere, ratione, & experientia teſte quaero. Scio enim in rebus medicis utpote coniecturalibus, atque in hiſce praeſertim, tum mihi, tum aliis forſan fallaciae notas aeque adſcribi poſſe. Omiſſis tamen reliquis omnibus ſententiis meae oppoſitis, non abs re hic erit praeclariſſimi Deſault ratiocinia ſuper hiſce hic obiter proferre. Putat hic Auctor, quod febres intermittentes hae ab imminuta perſpiratione dependeant, non ſecus ac *Catarrhales* aegritudines, quae ab eodem, ut nos etiam ſupra toties ſtatuimus, fonte derivantur. (219) *Les fievres intermittentes ſont causées par la ſuppreſſion de la perſpiration*. Id plurimis in locis confirmat, congruis ab experientia ipſa deſumptis ratiociniis: Dicit enim, quod plerique, quos aeſtatis tempore tertiana intermittente febri correptos vidit, tranſactis utplurimum paulo antea diebus inopinato poſt aeſtivos vehementiores calores ſerotinis ventis ſeſſe expoſuerant, aut derepente ſe frigidis aquis immerſerant, aliave qualibet ratione affluentem perſpirationem quammaxime cohibuerant. Quod aeſtivis caloribus ſuperveniens extemplo frigus, perſpirationi obſtare ſpecialiter poſſit, & ipſe novit Sanctorius (220) dum docet, quod *aeſtivo calori ſuperveniente frigore, eadem die libra circiter excrementorum perſpirabilium magna ex parte difflari prohibetur*. Hinc non immerito praelaudatus Deſault, Baglivio teſte monet (221) quod, *fallitur ignarum vulgus, ſi credat aeſtate morbos vehementius laedere, ob nimiam in eſu fructuum intemperantiam; aegrotant potius Homines, quia inſenſibilem tranſpirationem aeſtate copioſiorem, aura frigida diu, & noctu incaute ſumpta, derepente deprimunt, atque coercent*.

CCCCI. Haec autem, meo judicio, aperte quidem oſtendunt, quod aeſtivo tempore perſpiratio derepente imminuta intermittentibus hiſce febribus occaſionem jure, meritoque praebere poſſit: quod autem unica, & praecipua earundem ſit cauſa haudquaquam ſatis evincunt. Hanc enim ob cauſam perſaepe, tum hoc maxime anno, tum aliis etiam non intermittentes hujuſmodi, ſed *lymphaticas* veras febres, aeſtivo magis ſaeviente calore, ſuſcitari obſervavimus, & quidem iiſdem ſtipatas *ſymptomatibus*, quae rigidiore dominante Bruma evenire ſolent. Nihilo tamen ſecius haud equidem inficias iverim, ob cohibitam inopinato ſic aeſtivo tempore perſpirationem, tertianis etiam febribus ſtatim ſuſcitandis anſam maxime praeberi quandoque poſſe. Notum enim ſatis cuique eſt, in ea propemodum ratione tunc univerſae humorum maſſae molem excreſcere, in qua decreſcit perſpirationis negotium:

(219) *Deſault diſſertat. ſur la Goutte*. (220) *Sanctor. Aphor. 29. Sec. 2.* (221) *Bagliv. Can. 7.*

gotium: ut nos etiam ſupra toties innuimus. Propterea eadem penitus ratione bilis quoque copia augebitur. Siquidem, licet perſpirabilis materies magna ex parte a lympha praeſertim ſuppeditetur, bilioſae etiam particulae ipſi plus, minuſve aſſociantur, habito reſpectu ad copiam bilioſi humoris tunc in illo Corpore dominantis. Id videre eſt ex croceo colore, quo perſpirabilis materies quandoque e Corporibus ſecedens induſia plus, minuſve inficit, habita proportione ad peculiares perſpirantium corporum conditiones. Teſtem hic quendam adducere Hominem poſſem, qui plerumque aeſtatis tempore tam flavo colore induſium tingit, ac ſi in infuſione Croci immerſum fuiſſet.

CCCCII. Hinc liquido conſtat, hujuſce clariſſimi Auctoris ſententiam de tertianarum cauſa, nil penitus ſuprapoſitis ratiociniis noſtris adverſari. Id namque quod per meatus cutis avolare non poteſt, ideo ſuſcitandis tertianis febribus occaſionem praebet, quia retentae ſic particulae perſpirabiles illae, atque intro pulſae, bilioſo praeexiſtenti fomiti adjungũtur, unde ipſe in majorem ſic excreſcens molem febrilibus ſuſcitandis aeſtuationibus aptior evadit. Quapropter verum ſemper eſt, ut diximus, bilem plerumque dictarum febrium praecipuum principium merito eſſe exiſtimandam, utpote illam, quae, ob cohibitam derepente perſpirationem, ceu in peculiari congrua circumſtantia, ad actum reducatur: quod idem eſt, ac paratae materiae ignem adjungere: prout & ipſe Deſault ſic explicat. (222) *Enfin j'avance come un fait sûr averé & inconteſtable, que ſi on recherche la cauſe qui a occaſioné la fiévre, on trouvera que la perſpiration a été ou ſupprimé ou conſiderablement diminuée, que ſa matière a rofoulée vers l'eſtomach & les boyaux, & mis pour ainsi dire le feu a des matières indigeſtes qui s'y-ſont trouvés, & à causé des cours de ventre, des vomiſſemens* &c.

CCCCIII. Cum hic per tranſennam de Tertianarum febrium cauſa cum praelaudato hoc Auctore denuo egerimus, non abs re erit, ſi pauca hic etiam obiter proferam, ut pateat modus, ſeu melius ſaltem perquiratur, quo Peruvianus Cortex eaſdem tam cito evincere poſſit. Poſteaquam Auctor iſte indicaverat intermittentes haſce febres a ſuppreſſa ſubito perſpiratione ortum ducere, inde tanquam certum proponit, *Chinam Chinam* ideo optatum ſortiri effectum, quia perſpirationem iterum excitat, magiſque copioſam reddit. (223) *Le Kina fait ſon coup* (ait ipſe) *lorſqu'il produit une perſpiration graſſe, onctueuſe, halitueuſe. C'eſt pour lors qu'il pouſſe au-dehors par la perſpiration, cette partie que Sanctorius appelle* perſpirabilis pars craſſa, & ponderoſa, *tout autant qu'il eſt emporté par la cours de ventre ou par le vomiſſement, que la peau eſt ſeche & aride, il eſt ſens effet, mais des-lors que vous voyez paroître après quelques jours de ſon uſage, cette moiteur graſſe,*

(222) *Deſault diſſertat. ſur la Goutte.* (223) *Idem ibidem.*

ſe, *tenez pour aſſurée la guériſon de vôtre fiévre*. Ideo certo certius arbitratur *Chinam Chinam* ad id maxime conferre, quia arteriarum fibras roborat, eaſdem contrahendo, ſeu decurtando, ſicque ipſas aptiores reddit, ut validioribus contractionibus lenteſcentem ſanguinis motum vehementius excitare, atque promovere poſſint Propterea aperte docet (224) *que la poudre de Kina, come un tan precieux s'inſinuant dans ces fibres, les racourcit, les fortifie, & les met en état d' exercer de plus vives & fortes contractions pour ſurmonter l' obſtacle que le ſang devenu moins fluide par le mélange de la matiére de la perſpiration, oppoſoit a leur foible reſſort, & retardoit le mouvement circulaire*. Paulo antea enim ipſe ibidem monuerat, quod *le Kina eſt une eſpéce de tan, il y a lieu de croire qu'il produit dans les tuniques des artéres, principalement dans leurs fibres, le même effet que le tan que les corryeurs mettent ſur leurs cuirs, c'eſt a dire, qu'il les racourcit, & en même-temps les renforce*.

CCCCIV. Non equidem inficiabor unquam, copioſos perſaepe ſudores criſis perfectae loco in intermittentibus hiſce febribus utiliter evadere, cum ipſorum beneficio ſolvantur. Attamen non ſolis ſudoribus in hoc laus merito tribuenda eſt. Etenim hoc *lymphaticis* melius, aut *ſynochis*, & *ephemeris*, aliiſve hujuſce indolis febribus convenit, utpote illis, quae in ſanis etiam caeteroquin corporibus ab extrinſeca qualibet tantum cauſa ſtatim excitantur; ut a cohibita maxime derepente perſpiratione. Ideoque in hiſce adaucta perſpiratio unicum, & optimum eſt praeſidium; cum id tantummodo requiratur, ut corpus ad priſtinum ſalutarem ſtatum vergat, nempe ut id, quod retentum antea fuerat cito, & ſatis prodeat. Hinc in intermittentibus febribus dictis bilioſae excretiones per alvum utiliter majore, minoreve in copia occurrunt, quarum ope craſſiores illae, magiſque mucoſae protruduntur materies, quae lente per meatus cutis difficillime prodire potuiſſent. Hinc cum praelaudato hoc Auctore admitto quidem, quod *China China ſtipticis*, ut ita dicam, particulis magna ex parte conſtet, quae in interſtitia partium ſeſſe inſinuando, earundem fibras breviores reddunt, atque proinde magis tenſas, ſeu elaſticas; eodem prorſus modo quo cortices Quercus, ut dixit, poros Corii ſtipare ſolent. Hujuſcemodi tamen Peruviani Corticis actio in illis partibus citius, atque efficacius evenire debet, quas primo, & immediate pervadit, anteaquam *etherogeneis* aliis quibuſvis imbuatur ſuccis, aut quoquo modo alteretur, nativamque vim, aut ſic omnimode deperdat, aut ſaltem magna ex parte. Id circo Ventriculus maxime, atq; *Inteſtina* hujuſce remedii efficaciam ſubito experiri debent, cum eas partes illico ſubeat. Quamobrem earundem partium fibrillae omnes ſtatim contrahuntur, maximamque inde elaſticitatis vim nactae,

(224) *Idem ibidem*.

tae, violentiores exercent oſcillationes, parique ratione in contenta quaeque fluida vehementius contrahuntur, ut ipſa ad motum magis ſolicitent, atque optatas earundem ſecretiones, excretioneſq; citius promoveant. Hinc ob mutuum nerveorum filaminum conſenſum, contiguae praeſertim partes omnes pari fruuntur beneficio: *Cholidocon* nempe ductus, omneſque ipſi adnexi *biliarii* tubuli ab Hepate venientes: *Ductus Pancreaticus*, aliaque quaelibet *lymphatica* vaſcula in *Inteſtinorum* cavitates hiantia: quod & ſanguinea quaeque vaſa illuc tendentia experiuntur. Porro, dum partes iſtae omnes novi hujuſce adminiculi ope rigidae magis evadunt, tenduntur-que, majuſque nanciſcuntur robur, validius ſtatim oſcillare pergunt, *bilioſumque* ibidem latitantem fomitem concutiunt, diſſolvunt, repagula tollunt, ejuſdemque *excretionem* citius, & facilius excitant; quod & de aliis illuc tendentibus liquoribus pari pacto intelligendum venit. Ex hiſce videmus, quomodo *febrifugi* ope intermittentes febres feliciter ſolvantur. Non aeque tamen facile, non aeque cito id in omnibus evenit. Namque prout craſſus magis, minuſve, aut tenax eſt bilioſus fomes, atque plus, minuſve dictis partibus inhaeret, varia ratione reſiſtere ſolet contranitentibus ſolidis, ut optata ejuſdem ſecretio fiat. Id quod ratione duce intelligimus, experientia ipſa ex dictis ſatis evincit. Quis enim non novit, Tertianas ſpurias praeſertim febres, aliaſque ejuſdem proſapiae tardius *febrifugo* auſcultare, utpote illas, quae a glutinoſa magis bile originem ſortiuntur, cujus quidem mucoſam conditionem in *excretis* facile eſt oculis ipſis dignoſcere. Hoc eodem ratiocinio percipimus, cur febres tertianae illae ſpuriae, ſeu incongruo quovis ordine progredientes, quae ab *Hipochondriorum obſtructionibus* enaſcuntur, *Chinae Chinae* vim plerumque multoties eludant; cum difficile admodum ſolidorum fibrae, etſi noviter modo ſupradicto roboratae, hujuſcemodi obices tollere valeant: ad quod ideo, & diuturnum maxime tempus, & plerumque incidentia alia, & amaricantia, magiſque activa remedia neceſſario requiruntur.

CCCCV. Hiſce ſuppoſitis, nil mirum penitus unquam erit, ſi plerumque attendamus, *Corticem Peruvianum* in pulverem redactum, ſicque AEgrotis propinatum, Tertianas febres citius ſiſtere, & tutius quidem, quam ejuſdem tincturam ſive cum vino, ſive cum aqua, ſive alio quolibet liquore extractam; prout & ipſe clariſſimus Deſault adnotavit. Etenim hujuſmodi pulvis firmius inhaeret Ventriculo, atque *Inteſtinis*, ibidemque diutius conſiſtit, ſuamque ideo actionem validius exercere valet: ſecus quam ejuſdem tinctura, quae, utpote fluida, facilius permeat, citiuſque *Inteſtinorum* cavitates pervadit, atque illico per Alvum excernitur, priuſquam optatum ſortiatur ſatis effectum. Quod ſi verum eſſet, quod *China China* primariam actionem ſuam ideo exerceret, quia arteria-

ram

rum omnium robur, & elaſticitatem augendo, aptiores illas redderet *circulatorio* ſolicitando magis motui, atque proinde copioſae magis ciendae perſpirationi: profecto tinctura potius *Chinae Chinae*, quam ipſius cortex magis, & citius proficere deberet: cui quidem experientia quotidiana, ut diximus, refragatur. Siquidem nemo inficiabitur, patulam magis per venas lacteas huic tincturae viam exiſtere, ut inde ad ſanguinea vaſa fluat, quam ipſius corticis pulveri, qui per exiliſſimos dictos porulos traduci haudquaquam poterit. Quapropter ſatis ſuperque ex hiſce deducitur merito, omnem, aut praecipuam ſaltem, *Chinae Chinae* actionem in primis, ut ajunt, viis modo ſupradicto exerceri.

CCCCVI. Quamvis ex dictis certo certius exiſtimem, *Peruvianum Corticem* praecipue operari in hiſce febribus, bilioſas congruo modo *excretiones* promovendo; non ex illis tamen unquam fui, qui *purgantia* eidem adjungenda plerumque eſſe arbitrantur. Satis enim perſpectum mihi eſt, remedium hoc utplurimum irritum evadere, quoties congruo tempore in Ventriculo, atque *Inteſtinis* moram non agat, pro ut opus eſt, ut eorundem fibras ſatis roboret, atque elaſticas efficiat. Idcirco *purgantia* cum ipſo commixta, dum plus aequo ſolicitatam ejuſdem excretionem promovent, aut votis fruſtratum penitus Medicum relinquunt, aut optatam morbi ſolutionem ſummopere retardant: quod patiter praelaudatus Deſault jure, meritoque cum aliis animadvertendum ſedulo eſſe monuit. Nec tantum *purgantium* cum *febrifugo* mixtionem condemnat, verum etiam eorundem uſum pernicioſum prorſus arbitratur, poſteaquam febris ope *Chinae Chinae* profligata fuerit; quando nempe, & ſimplicem *Clyſterum* uſum timendum maxime eſſe oſtendit. Neque hoc a ratione alienum quiſpiam exiſtimabit, ſi attenderit, *purgantia* quaeque etiam mitiora *Inteſtinalium* fibrarum robur non parum enervare, dum earundem contractiones, ſive violentiores, ſive magis frequentes exſuſcitant; quod idem prorſus eſt ac adhibiti paulo antea *febrifugi* beneficium pene deſtruere. Non hinc tamen ullus unquam ſanae mentis inficiabitur, credo, quandoque tertianas quaſdam ſpurias febres occurrere, quae utpote a glutinoſa magis, atque tenaci bile progenitae, contumaces admodum ſunt, unde ſolius *febrifugi* uſui auſcultare perquam raro ſolent. In hiſce ideo *purgantia* congrua omni jure conveniunt, tanquam ea, quae irritante vi ſua, atque ſcindente, tum ſolidorum actiones vehementius excitant, tum febrilem fomitem efficacius diſſolvunt, citius commovent, atque ad neceſſarias *excretiones* magna ex parte perducunt. Ideo pluries ſupra monui, me in hujuſcemodi intermittentibus febribus una cum *febrifugo* idoneis *purgantibus* utiliter, feliciterque ſaepiſſime uſum fuiſſe, quoties maxime ſolus *Chinae Chinae* uſus fruſtraneus evaſiſſet. Verum, quotieſcunque gravia

non

non urgerent *ſymptomata*, ſatius ſemper in hiſce febribus arbitratus ſui, ad *purgantia* congrua potius confugere, ſeu ad *epicraticam*, ut diximus, *purgationem*, anteaquam *Chinam Chinam* AEgroti aſſumerent: ſecus ac faciunt illi, qui inconſulto plerumque illa ſtatim abſque mora ututur; quibus ideo perſaepe contumacia febris, ejuſdemque facilis, iterataque recrudeſcentia tribuenda rationabiliter videtur.

CCCCVII. Quod ſpectat ad *purgationem* in contumacioribus hujuſmodi ſpuriis intermittentibus poſt *Chinae Chinae* uſum uſurpandam, aliqua jam ſupra diximus ſub §. 68. Docuimus ibidem, quod, ſi profligata jam febri ope *febrifugi*, non perfecte convaleſcat AEgrotus, congruaque adſint ſigna latitantem adhuc bilioſum fomitem aperte indicantia, aut inferius, aut ſuperius juxta indigentiam purgare omni jure conveniat. Etenim tunc ſatius eſt AEgrotos purgare, etiam cum manifeſta *recidivae* ſuſpicione, quam contumacioribus aliis, magiſque gravibus inde forſitan eventuris morbis anſam relinquere. Praeſto enim iterum eſſe poteſt *febrifugi* praeſidium poſt *purgationem* utiliter uſurpandi, ad futuras morbi *recrudeſcentias* tutius avertendas. Praeter haec animadvertendum etiam eſt in hiſce caſibus, non purgantia quaeque convenire, ſed illa potius ſeligenda eſſe, quae *Inteſtinalium* fibrarum tonum minus enervant, ſimulque *ſtiptica*, ut ajunt, congrua virtute polleant, ad deperditum ſic earundem robur aliquantiſper reſtituendum. Propterea praeter caetera Rhabarbarum diſtincte ſemper laudavi, eoque feliciter uſus tunc ſemper fui. Si autem ante uſum *febrifugi* Alvus ſponte ſua nimium flueret, aut ſaltem primis vicibus aſſumpta *China China* ſic ſtatim, & quidem intempeſtive excerneretur: ad *opiata* illico, & *adſtringentia* confugiebam, nempe aut ad Laudanum ipſum, aut ad Electuarium Diaſcordeon, aut ad Theriacam. Remedia haec una cum *febrifugo* utiliter in congrua doſi exhibebam, variis modis, juxta indigentiam, ut ſupra explicavimus: quod propoſitis rationibus, atque animadverſionibus praelaudati Deſault optime arridet.

CCCCVIII. Octobri menſe ejuſdem anni 1736. ſerenum raro Coelum fuit, plerumque nebuloſum, atque denſa caligine ſaepiſſime obductum, quare humidam fere quotidie conſtitutionem habuimus. Sequenti Novembri menſe frigus paululum invaluit, atque prope finem magis, ſed ſolito minus excrevit. Caeterum varia ſemper viguit aeris conſtitutio, a praegreſſa tranſacti menſis parum abſimilis. December ſucceſſive menſis brumales conſuetos fere nunquam attulit rigores, licet ſerenum ut plurimum eſſet Coelum, conſuetis raro dominantibus hyemalibus ventis. Attamen tribus hiſce menſibus, inter tam varias aeris viciſſitudines, ſalubri quammaxime aere frui potuimus, licet bovina adhuc vigeret, atque ſaevius graſſaretur peſtis. Pauci ideo adverſa valetudine tenebantur, ac fere dicam nulli, ſi illos excipias, qui aeſtivis,

aeſtivis, aut autumnalibus adhuc rectudeſcentibus contumacioribus morbis identidem corripiebantur. Hinc & Noſocomia noſtra toto hoc tempore quaſi omnimode vacua evaſere.

CCCCIX. Haec ea ſunt, quae adnotatu digna tranſactis tribus hiſce annis mihi occurrere. Reliqua, quae in poſterum evenient, alia vice fideliter proponam. Etenim promiſſis ſtare in animo habeo, idque ſedulo praeſtare ſemper ſatagam, ut, ſi non aliis, utpote in rebus medicis ſatis ſuperque expertis, Diſcipulis ſaltem meis, aut potius mihi ipſi proſim, ſicque minus errare in Medicina quotidie diſcam. (225) *Hoc nempe ab Homine exigitur, ut proſit Hominibus, ſi fieri poteſt, multis; ſi minus paucis; ſi minus proximis; ſi minus ſibi.* Quod ſi quiſpiam attenderit, me in practicis hiſce diſſertationibus diffuſas nimis philoſophicas diſputationes de iis omnibus, quae identidem evenere, prorſus omiſiſſe: non equidem mirabitur, ſi animadverterit, me non theoricos ſpecialiter Medicos, in ſolis ſpeculationibus ad pompam potius, quam ad utilitatem occupatos alloqui voluiſſe, ſed practicos diſtincte ſaniores omnes, utpote illos, quos ſolus diſputandi glorioſus pruritus non tangit, ſed magis intereſt ab iteratis obſervationibus diſcere, quibuſnam ſignis veriſimilius noſcantur morbi, quonam ſpeciali ordine incedant, quibuſve tutioribus remediis evinci poſſint; non omiſſis tamen ſanioribus ratiociniis a veridica magis philoſophia petitis, ad eorundem genuinas eruendas cauſas; quae quidem paululum tetigiſſe ſatis eſt: diffuſe autem nimis exarare ſupervacaneum penitus exiſtimavi. Verum, cum hujuſmodi morborum fere omnium generalem, praecipuamque cauſam ab Aeris variis conditionibus, ſeu qualitatibus, juxta varios anni temporum motus, atque ob diverſas quaslibet alias rationes occurrentibus, plerumque petendam rationabiliter tunc fuiſſe indicaverim: haudquaquam ignoro, quod aſſumpto muneri ſatisfacere melius potuiſſem, ſi, quotidianis ſedulo habitis aeris, ventorumque identidem flantium obſervationibus, accuratum contexere diarium curaſſem, huic operi utiliter adnectendum. Hoc ſaniores aliqui Auctores adamuſſim praeſtiterunt, perfectis Thermometris, Barometriſque utentes, quorum ope tutiores ad id conducentes ſupputationes, aliis non neglectis, ſpecialiter emergunt. Hujuſcemodi enim diſſerendi modus, ſicuti in Phyſicis, ita & in medicis ratiociniis maxime prodeſt. Siquidem nemo unquam ſanae mentis inficiabitur, eaſdem fere in nobis ipſis, tum quo ad ſolida, tum quo ad fluida, pro diverſis aeris conditionibus, mutationes evenire, quas & undecunque in aliis quibuſcunque corporibus occurrere, praedicta praeſertim inſtrumenta teſtantur. Hinc jure, ac merito perſpicaciſſimus Philoſophus Carolus Taglini animadvertit, quod (226) *Quotieſcunque conſtitutio, & temperatio aeris immutatur ventis,*

V

(225) *Seneca de Otio Sap. cap.* 30. (226) *Caroli Taglini de Aere lib.* 2. *cap.* 12.

*tis, ut cum aer ipſe ſit nubilus, ſerenus, calidus, frigidus, humidus, aut ſiccus, nos quoque in nobis, more, modoque thermometrorum, barometrorum, hygrometrorum &c. rationem, & habitudinem noſtri corporis nonnihil immutari deprehendimus &c.* Idcirco, cum ejuſmodi inſtrumentis rite praeparatis carerem, neque ſufficiens ad id mihi ſuppeteret otium: ſubſecivum hoc opus pro votis ſic perficere neutiquam potui. Inſuper & de fucoſis ſcribendi lenociniis nil prorſus ſolicitus fui, cum ſatis noſcerem, a Medico quolibet praxi vere dedito, aut de ipſa quomodocunque differente, veridicas tantum expeti obſervationes, non autem eleganti ſtilo exaratas. Etenim hoc, quo magis formoſas ipſas reddit, non equidem veritati magis conſonas facit: quod praecipue Clinico Medico neceſſarium eſt. Omni namque jure Seneca monet, (227) *Non quaerit AEger Medicum eloquentem, ſed ſanantem, ſed ſi ita competit, ut idem ille, qui ſanare poteſt, compte de his, quae facienda ſunt, diſſerat, boni conſulat: non tamen erit quare gratuletur ſibi, quod inciderit in Medicum etiam diſertum: Hoc enim tale eſt, quale ſi peritus Gubernator etiam formoſus eſt.* Praeterea, pro totali hujuſce operis complemento (228) *Non ignoro plura potuiſſe adjici: verum haec ſpeciminis loco ſufficere poſſe ſum arbitratus: Quod ſi perſpexerim laborem meum non diſplicere, alias forte plura addam. Si non ſemper rem acu tetigerim, homo ſum, nec humani quicquam a me alienum puto. Non ſum adeo opinionum mearum tenax, ut errata corrigere, aut a ſententia rationum momentis avelli, turpe ducam. Errare Humanum eſt, in errore perſeverare diabolicum. Veritatem quaeſivi, & utilitatem. Qui hiſce aliquid habeat rectius, candidus impertiatur, ſi non, hiſce mecum utatur.*

# FINIS.

INDEX

(227) *Seneca Epiſt. ad Lucil.* 75. (228) *Bartholom. de Moor Cogit. lib.* 3.

# INDEX

Numeri romani paginas in Diſſertatione praevia denotant, alii vero numeros initiales ad quoſcunque Paragraphos in toto Opere ſpectantes.

## A


*Abſceſſus varii quomodo fiant, & quare in Pleuritidis remiſſione* 203.
— *In quibus præſertim partibus tunc plerumque eveniant* 204.
— *Cur in una potius, quam in altera parte* 205. & 206.
— *Eorundem ſub Axillis, aut in inferiore extima Thoracis parte erumpentium ratio proponitur* 205.
— *Tum & aliorum, qui procul magis a Pectore erumpunt* 206.
— *Omnes plerumque derepente apparent, atque augentur* 206.
— *Abſceſſuum iſtorum ab aliis differentia patet* ibid.
— *De fauſto, vel infauſto eorundem exitu* 207.
— *Illi qui ad aures conſiſtunt, fauſtum plerumque omen praeſeferunt* 208. & 209.
— *Quibus ad aures fiebant* 209.
— *Qui in infimis partibus, protracto diutius morbo, erumpebant, malum afferebant omen, & quare* 210. 211.
— *Quando ſalutares* ibid.
— *Eorum ſigna praevia* 202. 206.
*Abſceſſuum extrinſecus, ſive intrinſecus ad aures prodeuntium in Petechialium febrium remiſſione ratio proponitur* 292.
*Aeris actio in humano Corpore* 313. 314.
— *Aer Corporis poros ſubit, atque cum ſanguine commiſcetur* 119.
— *Ejuſdem actio a recentioribus Philoſophis melius explicatur* XI. XII.
*AEſtivorum morborum origo plerumque a tenuiore bile* 90. & *alibi*.
*Alberti Michael* 277. 278.

*Anatomia quid ad Theoriam medicam contulerit IX.*

—— *Sine praxi ad medendum parum confert IX. X.*

*Angina Lymphatica Auctoris; ejus progressus, & curatio* 391.

*In Angina magis periculosa, aliis incassum adhibitis remediis, cucurbitulae scarificatae utiliter sub mento apponuntur* 145.

*Animi vehementes passiones gravibus suscitandis morbis idoneae* 371.

—— *Ad id specialis observatio in D. Mollo Pharmacopola nostro* ibid.

*Apoplexiae lymphaticae observatio, atque explicatio in Perillustri Domina Boccola* 104.

—— *Syncopalis, seu cardiacae alia observatio* 105.

*Apostematum sive in internis, sive in externis Corporis partibus factorum ratio* 102.

*Aqua destillata ex glandibus Persicorum maxime prodest, si in ipsa dissolvantur purgantia remedia* 81.

*Aquilonia vigente constitutione meatus cutis maxime occluduntur, Lymphae copia augetur, atque eodem tempore frigorificae particulae aeris corpus permeant* 119. 137. *& alibi.*

*Aquilonia constitutio maxime post australem illico occurrens lymphaticos varios morbos facilius progignit* 108. 109. 115.

*Asthma siccum a polyposis concretionibus in Cordis confiniis* 365.

—— *Ad id observationes in Nob. D. Canonico Bettollio, & in Nob. Domina Maria Maffezzola* ibid.

*Austrina constitutio aqueas particulas corpori suppeditat: quare copia lymphae inde augetur* 119.

*Quomodo intelligendus sit Hippocratis Aphorismus*: ex anni autem constitutionibus in universum quidem siccitates pluviosis sunt salubriores, & minus lethales 315. 393.

*Autumnalium morborum origo praesertim est a crassiore bile; & quomodo ipsi fiant* 95. *& alibi.*

*Azygos vena, juxta clar. Lancisium, maxime inservit ad Pleuriticum humorem per exscreatum educendum; & quare* 176.

—— *Sententia haec plurimis difficultatibus obnoxia ostenditur* 177.

## B

*Baglivius cit. pluries.*

*Ballonius cit.* 223. *& alibi.*

*Balsami de Copaiba vires in Phthysicis praesertim, aliisque Pectoris morbis* 196. 199. 200. 225. *&c.*

*Balsamica cur merito in suppurationibus maxime Pectoris conveniant* 200. 223. 224. 225. 199. *&c.*

*Bilis actio in humano corpore* 299. *&c.*

—— *Sanguinis dissolutioni maxime conducit; quare Petechialis febris tunc Cremonae grassantis ratio ab ipsa distincte sumitur* 308. 309. 304. 299. *&c.*

—— *Aliquando per sudorem educitur* 401.

—— *Majore, minoreve in copia vigens, plus, minusve in biliariis emunctoriis consistens, atque ab ipsis varia ratione secedens, juxta occurrentes aeris constitutiones, varias constituit tertianas febres absque*

que ordine etiam quoquo modo progredientes 398. & alibi.
— Ejuſdem magis copioſa ſecretio quomodo aeſtivo tempore fiat, indeque aeſtivi varii morbi producantur 91. 92. 93. 94. &c.
— Craſſior fit accedente autumno: unde autumnalium morborum principium 95.
— Complicatos exſuſcitat inordinatos morbos, juxta diverſas corporum diſpoſitiones. Ad id ſpeciales obſervationes in Nob. Domina March. Aralda 386.
In Nob. D. Rat Pedemontano Duce 382.
In Nob. D. Gaſpare Torchio 383.
In D. Franciſco Mutio 380.
In Nob. D. Alphonſo Paveſio 389.
Bertini Pater, & Filius Florentini Medici 145.
Boerhaavii opinio de modo excretionis puris per Alvum in Empyematicis 201.
Boyleus Robertus cit. XI.
De Bregolis Medicus Cremonenſis 386.
Buſſaccus Andreas Medicus 199.

## C

CAlloſitates cur in ſpecialibus aeris conſtitutionibus dolores afferant 118.
Cantharidum vis toti animali oeconomiae infenſa 359.
— Quomodo diverſos, atque etiam oppoſitos effectus producat ibid.
Cardanus Chirurgus Cremonenſis 198.
Cardiacum medicamentum quid vere ſit 342.
— Pro primario cardiaco copioſae potiones aquae acidulae habebantur in Petechiali febri a bile diſtincte tunc orta ibid.
— Cardiaca ideo volatilia, & diſſolventia incongrua fuerunt ibid.
— Cardiacorum quorundam inutilitas oſtenditur ibid.
— Cardiacarum ſpecialium potionum in hac febre actio explicatur 349.
— Potio cardiaca ab Auctore tunc adhibita ibid.
— Alia, dum afficiebantur Nervi ibid.
Cardialgicae paſſiones quare ſic dictae 46.
Caſſiae uſus quando improbandus 341.
Celſus Cornelius cit. pluries.
China China ſpecificum intermittentium febrium remedium 35.
— Circa ipſius uſum cautiones neceſſariae ibid.
— Varii modi ipſam exhibendi 36. 37. 38. 39. 55. 56. 57. 58. 59. 76. 83. 84. &c.
— Juxta Deſault intermittentes febres evincit, inſenſibilem perſpirationem magis copioſam promovendo 403.
— Haec ſententia perpenditur 404.
— Agit roborando fibras, & bilioſas excretiones promovendo; quare citius, tardiuſve operatur ibid.
— Ipſam propinandi vera ratio 35. 39.
— Si in pulverem redacta quoquo modo exhibeatur, citius, & efficacius agit, quam ejuſdem ſola tinctura, & quare 405.
— Incongruum plerumque eſt cum ipſa immiſcere remedia purgantia, & quare 406.
— Sic poſt ipſius uſum merito purgantia multoties damnantur ibid.
— Aliquando tamen purgantia ſunt neceſ-

*necessaria, sive ante ipsius usum, sive post* ibid. & 68. & *alibi.*
— *Ideo tunc Rhabarbarum maxime prae caeteris laudatur* 407. 37.
— *Secus aliquando ipsi adjunguntur adstringentia, & opiata* 407. 76. &c.
*Chymia quid contulerit ad Theoriam medicam VII.*
— *Quid ad praxim VI. VII.*
— *Licet tum ad praxim, tum ad Theoricam non parum contulerit, Artem tamen perficere non potuit VIII.*
*Chymica medicamenta utplurimum, aut valide agunt, aut inutilia prorsus sunt VI. VII.*
— *Idque passim ob incongruam eorundem praeparationem* ibid.
*Circulationis sanguinis ratio melius a Recentiorum philosophia petitur XVI.*
*Cirillus Nicol. laud.* 283.
*Clysteres iterati praecipuum fuerunt praesidium in Petechiali descripta febre, ad pleraque evincenda ejusdem symptomata* 344. 345. 348. &c.
*Consensus partium imi ventris cum superioribus, atque cum Larynge maxime, & Pharynge explicatur* 70.
*Constitutio Autumnalis anni* 1733. 80. &c.
— *Octobris ejusdem anni* 96. 97. 98. &c.
— *Novembris, & Decembris* 103. 106. &c.
— *AEstivi temporis ejusdem anni* 1733. 2. 3. 4. 5. 6. &c.
— *Ineuntis anni* 1734. 111. 112. 113. &c.
— *Februarii, & Martii* 251. &c.
— *Veris ejusdem anni* 252. 253. &c.
— *AEstatis ejusdem anni* 256. &c.
— *Autumni ejusdem anni* 364. 365. &c.
— *Januarii* 1735. 365. 370. &c.
— *Februarii* 372. &c.
— *Martii, Aprilis, Maii, & Junii, Julii, Augusti, Septembris, Octobris, & Novembris, ac demum Decembris* 373. 374. 380. 384. 387. 390. 391. 392. 393.
— *Januarii* 1736., *tum & Februarii, Martii, Aprilis, Maii* 395.
— *Junii, & Julii, Augusti, Septembris, Octobris, Novembris, & Decembris* 396. 397. 398. 408.
*Contagiosum principium malignantium febrium unde petendum fuerit* 376.
— *Hoc ab urente quodam spiritu aerem inficiente deduxit Hecquet* ibid.
— *Quomodo dictae febres per contagium propagari potuerint* ibid.
— *Non ob verminosum fomitem* 377. 378.
*De Copaiba Balsamum cur in Empyematicis, & Phthysicis tam utile evadat* 196. 199. 200. &c.
— *Tum & Hydropicis* 199.
— *Tum & in qualibet interna suppuratione sive in Pectore, sive alibi facta, ob praegressum quemlibet morbum* 223. 224. 225. 249.
*Corporum animalium partes quaelibet tum intra, tum extra inter se maxime discrepant XX.*
— *Principia non eadem vere sunt, ac illa quae a Chymicis assignantur VIII.*
*Corpora nostra variis modis specialiter afficiuntur, juxta diversas aeris constitu-*

ſtitutiones 280.
Coſta Medicus Gallus 79.
Criſes in deſcripta Petechiali febre quomodo, & quando fiebant 361.
Cruditas, & coctio tam decantata humorum in corpore quid vere ſit juxta Hecquet 332.
— Ulterius hoc explicatur ab Auctore 333. 334.
Cucurbitulae ſcarificatae quando tunc utiles evadebant 346.
— Earum actio explicatur ibid.
— Quando omittebantur 347.
— Ad externos pleuriticos ſedandos dolores quoque proſunt; ſicuti & in Angina ſub mento appoſitae 145.
Curtius Barthol. Medicus Mediolanenſis 376.
Cutis quorundam morborum, ut Eryſipelarum, Petechiarum &c. Theoria proponitur 101. & alibi.

## D

DEl Papa Joſeph Medicus Florentinus 299.
Ad delirium ſedandum Hirudines Narium pinnis utiliter apponuntur 350.
— Tunc quid de venae Jugularis ſectione ſentiendum ibid.
Deſault Medici Galli opinio de Phthyſis cauſa, ejuſque curatione 200.
— Putat Tertianas febres a cohibita perſpiratione pendere 400.
— Haec opinio perpenditur 401. 402.
— Hinc putat Chinam Chinam haſce febres evincere, perſpirationem inſenſibilem magis copioſam promovendo 403.
— Haec opinio perpenditur 404.
Deſtillationes catarrhales a capite refutantur 116. 117.
Dionis laud. 377.
Divites plerumque pejus curantur, quam Pauperes, & quare 342. 399.
Dorſi dolor fortis in febribus unde fiat 7.
Duretus cit. pluries.

## E

ELaſtica vis in nervis habetur maxime XII.
Emeticum cur in Pleuritide lymphatico-bilioſa conveniat 150.
— Qua cautione uſurpandum 152. 323. 324.
— Ante ipſum cur primo mittendus eſt ſanguis 29. 149. &c.
Empyematis principium 183. 184. 235.
— Quando plerumque fiat, & quomodo cognoſcatur 192.
— De Puris exſcreatu veterum Medicorum ſententia refellitur 193.
— De hoc Auctor ſuam proponit conjecturam ab obſervationibus, & Cadaveribus maxime depromptam ibid. 194. 195.
— Pus quandoque refluit in maſſam ſanguinis, indeque per Renes, aut per inteſtina ſecernitur, atque excernitur: & quomodo 195. 200. 201.
— Id & in Phthyſicis evenit; quare in utroque caſu diuretica conveniunt, quae ſimul balſamica ſint 196. 200. 201. &c.
— In hiſce autem puris excretio per Alvum non aeque prodeſt 197. 201.
Eunuchi quare obeſi ſunt, & debiles 299.

# INDEX.

## F


F Antonus Medicus 185. 192.

Febres tertianae, juxta clariſs. Deſault, a cohibita perſpiratione ortum habent 400.

— Haec ſententia perpenditur 401. & 402.

— Juxta anni temporum viciſſitudines vario modo graſſantur. Obſervavimus enim, quod circa AEſtivum ſolſtitium exquiſitae plerumque ſimplices vigent, indeque duplices ſpuriae; prope autumnale AEquinoctium continuae perniciosae, atq; heae ad Vergiliarum occaſum inordinatae magis evadunt; quae omnia a variis bilioſi humoris conditionibus derivantur 398. &c.

— Continuae aliquando fiunt, quae acutarum mores, & nullam poſtea periodum ſervant, & contumaciſſimae ſunt: ut in D. Curtio Torchiana 399. &c.

Febres tertianae exquiſitae anni 1733. 9. 10. 18. &c.

— In hiſce cur, & quando emittebatur ſanguis 11.

—— Aliquando Petechiae apparent, & quare 13.

— In acceſſionis principio urinae cur quaſi aqueae excernuntur, in remiſſione vero coloratae 14.

— In hiſce quando omittenda ſanguinis emiſſio 15.

— Quando purgans Medicamentum, aut Emeticum propinandum: quando Clyſteribus uti expedit 16. 17. 18.

Febris tertiana duplex 19.

— Ejuſdem curatio 20.

— Utrarumque cauſa a bile 20. 21. &c.

— In hiſce febrilis rigor, & calor explicatur 21. 22. 23.

Febrem convulſioni ſupervenire melius eſt, quam convulſionem febri 23.

Febrilis motus in hiſce maxime ſuſcitatur a bilioſo humore, & quare ibid.

— Hoc probant maxime anthyſterica medicamenta ibid.

— Harum febrium varius eſt progrediendi morbus 25.

Febres tertianae ſpuriae quomodo differant a legitimis 26.

— Iſtae quoque a bile fiunt 27.

— Ipſarum curatio 28. 29. 30. 31. 32. 33. &c.

— In hiſce raro emittebatur ſanguis 28. 33.

— Quando adhibita ſunt ſolventia, aut emetica 29.

— Ante emetica, urgente plethora ſanguis emittebatur, & quare ibid.

— Quando laxantia, & oleoſa cum emeticis adhibita 30.

— Inanibus tunc urgentibus vomendi conatibus, calidas copioſas potiones praeſcripſimus ibid.

— Ratio purgandi in hiſce febribus 31.

— Quando Clyſteribus utendum 32.

— Ad contumaciores haſce evincendas febres efficax remedium fuit Serum lactis cum infuſione Rhabarbari 32.

— Tenax bilis quando prope ventriculum turgeat 33.

— In hiſce febribus inutilis prorſus probatur uſus pulverum digeſtivorum, ſeu alkalicorum 34.

— Mixtura utilis ad conſueta harum

rum febrium ſymptomata ſedanda 38.
— In hiſce dejectiones liquidae admodum, ſeu ſeroſae, parum ſolutioni febris conferunt 39.
— Heae a tenaci magis bile ortum habent ibid.
— In hiſce Chinae Chinae uſus ibid.
— Vomitus, Diarrhoea, & cardialgicae paſſiones quomodo ſedantur 38.
Febris Lypiria 40. 41.
—— Quos invadit 41. 397.
— Ejuſdem prima acceſſio, procedendi modus, & remiſſio 42.
— Secunda acceſſio, ejuſque ſtatus, & remiſſio 43. 44.
— Tertia acceſſio 45.
— Augmentum, & ſtatus 45. 46.
— Summi lypiriae gradus deſcriptio 46.
— Hujus febris variae obſervationes 47.
— Ejuſdem varii exitus 48.
—— Exitus ad mortem 49.
—— Obſervatio ſpecialis 50.
—— Symptomata eadem, ac in Iliaca paſſione 51.
— In utroque morbo Inteſtinorum inflammatio plerumque evenit 52.
— Poſt diuturnam diarrhoeam, aut dyſenteriam ſaepe haec febris oritur, ut obſervavimus in D. Scazola 53.
— Ejuſdem curatio in prima acceſſione 54. 55.
—— In ſecunda 56.
— Quid agendum in remiſſione 57.
— Imminentis lypiriae ſigna in ſecunda acceſſione ibid.
— Tunc China China ſtatim propinanda, & quomodo, tum & ſymptomatibus proſpiciendum 58. 59.
— Ad id externa remedia 59.
—— Clyſteres varii 60.
— Quare ſimul tunc, & copioſae potiones aquae, & vinum malvaticum conveniant 61.
— Quid ſentiendum de iis, qui refrigerantia tantum, & diluentia, non autem ſpirituoſa laudant in hac febre 62.
— Tertia ejuſdem acceſſio, progrediendi modus, & curatio 63. 64.
— Tunc iterum China China praeſcribenda 65. 66.
— Febris haec China China ſopita facile pluries recrudeſcit 67.
—— Aut in Chronicos ſaepe morbos deſinit 68.
— Ad haec peculiaris obſervatio 68. 72.
— In recidivis obſervationes aliae 69.
— Tunc fiunt quandoque Tonſillarum inflammationes 70.
— Ad id ſpecialis obſervatio in D. Maller Pedemontano 71.
— Quomodo hujus febris recrudeſcentia praedici queat 73.
In febribus tertianis contumacioribus an detur certa curationis methodus 74.
— Ad id ſpecialis proponitur methodus Auctori familiaris 75. 76. 77.
— Quare in hiſce ſanguinis emiſſio non ſemper conveniat 78.
— Aliquando tamen ſumme eſt neceſſaria; ut ex obſervatione habita in Excellentiſs. D. Marchione Divi Simonis inter Primates Gallici Exercitus 79.
Febrium tertianarum, & quartanarum, tum & Epidemicorum quorumlibet morborum cauſa a veterum Medicorum obſervationibus optime petitur 85. 86.

*Febris quartanae curatio proponitur, & primo ope emetici, aut purgationis* 81.
— *Secundo ope aperientium* 82.
— *Tertio ope Chinae Chinae, cujus peculiaris utiliſſima praeparatio Auctori familiaris exhibetur* 83.
— *Dum contumax magis eſt febris haec, alio modo China China propinatur* 84.
*Febres tertianae bilioſae ſimul & lymphaticae* 96. 98.
—— *Menſis Auguſti* 1735. *& earum curatio* 387.
— *Ipſarum varia indoles, & obſervationes* 388. 389.
— *Ad id illuſtris obſervatio in Nobiliſs. D. Paveſio* 389.
— *Earundem cauſa tum a bile, tum a lympha* 390.
*Febres tertianae ſpuriae ejuſdem menſis quomodo curatae* ibid.
*Febres erraticae menſium Octobris, & Novembris ejuſdem anni* 392.
*Febris Petechialis Cremonae tunc graſſantis principium, acceſſio, & progrediendi modus* 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 305. *&c.*
— *Ejuſdem exitus* 265.
—— *Sedes* 304.
—— *Fauſtus, vel infauſtus exitus unde patebat* 266. 267.
—— *Ex Alvi excretionibus* 267. 268. 271.
—— *Ex delirio* 268. 269.
—— *Perfecta ſolutio ſolis bilioſis excretionibus aut ſuperius, aut inferius habitis tribuenda fuit* 269.
— *Sudoris excretio raro tunc critica evaſit* 271.
— *Idem de urinis verum fuit, quarum conſideratio proponitur* 272.
— *In novo hujuſce febris ingreſſu quid actum fuerit, & quid agendum* 305. 319.
— *Febris haec Veris tempore anni* 1734. *graſſari primo coepit* 250. *inde vario modo progrediens uſque ad ſequentem annum protracta eſt* 252. 387.
— *Febres ejuſmodi vel a coagulatione, vel a diſſolutione oriuntur* 306.
— *Haec autem a diſſolutione potius oriebatur* 307.
— *Ejuſdem diſſolvens principium a bilioſo humore* 308. 309. 310. 316. 317. 305. 306. 307. *&c.*
— *Hinc tertianarum febrium indolem aemulabatur* 309. 310. 311. 312. 376. *&c.*
— *Unde orta fuerit, atque praeſertim a praegreſſa ſiccitate* 313. 314. 315. 316.
— *Ejuſdem cauſa diſtincte in Abdomine quaerenda* 348.
— *Quinam facilius ab hac febre corripiebantur* 310.
— *Ejuſdem curatio* 319. 344. 345. 346. 357. *&c.*
—— *Et primo per purgationem aliquando* 320. 324. *&c.*
—— *Secundo per ſanguinis emiſſionem, & quare, & quando* 320. 322. *&c.*
— *Quando hiſce duobus praeſidiis tunc utebatur Auctor* 321.
—— *Et praeſertim purgatione* 319. 321. 336. *&c.*
—— *Emetico; poſt cujus uſum, dum graviores ſtomachi paſſiones aderant, quid utiliter actum fuerit* 339. 324.

*Ante*

— *Ante purgationem merito ſanguis primo emittebatur* 324.
— *Validioribus tunc omiſſis purgantibus, quaenam in uſum revocata fuerint* 325. 326. 327.
— *Poſt purgationem quid actum fuerit* 328. 342. &c.
— *Praeter haec iteratae corporis frictiones univerſales utiles fuere, & quare* 347. 348.
— *Undenam de totali hujus febris ſolutione minus timendum* 361.
— *In ejuſdem remiſſione quando adhibitum eſt purgans* ibid.
— *Quid Auctor intellexerit nomine malignantis hujuſce febris* 303. 304. 299.
— *Ejuſdem cauſam a verminoſo principio aliqui derivabant* 375.
— *Quid de hoc Auctor ſentiat* 376.
— — *Cauſa remota non immerito ab eodem fonte derivanda, a quo rubiginis principium tunc emanavit* 385.
— *Quomodo febris haec vario modo graſſabatur ineunte anno* 1735. *& qui tunc moriebantur* 373.
— *Ad id ſpecialis obſervatio in Nobiliſs. D. Manna* ibid.
— *Alia obſervatio in Nobiliſs. D. Equite Roncadello* 376.
— *Aliae ultro obſervationes* 381. 382. 383.
— *Ab hac febre Religioſae praeſertim immunes maxime fuerunt* 375.
*Febres malignantes lymphaticae Autumnales* 364.
— — *Quibus ſymptomatibus ſtipatae* 366.
— — *Qui moriebantur* 367. &c.
— — *Hyemales* 370. 372. &c.
— — *Circa haſce, obſervationes variae* 370.
— — *In hiſce eductus ſanguis pleuriticum corticem oſtendebat* 370. 372.
*Febres ſynochae anni* 1735. 384.
*Foreſtus cit.* 277. 279. 203.
*Frictionum univerſalium, & inunctionum mira utilitas in Petechialibus febribus* 358. 351. 360. 347. 348.
*Freind clariſs. cit.* 300. 350. &c.

## G

*Gabellus Franciſcus Maria Medicus Cremonenſis* 199.
— — — *Primitius Medicus* ibid.
— — — — *Franciſcus Medicus Junior* ibid.
*Gallaratus Auguſtinus, ejuſdemque obſervationes circa Petechialem recenſitam febrem* 300.
*Gangraenae, quae ibi fiunt, ubi veſſicantia apponuntur, non ſunt malignantium humorum effectus* 359.
*Gangraenae in Apice Naſi, atque extremitatibus Pedum obſervatae inenarrata Petechiali febre* 370.
— — — *Heae, quibus facilius eveniebant* ibid.
*Gutta roſacea, ſeu morphaea rubra, ejuſque cauſa* 203.

## H

*HAEmorragiae narium copioſae in Petechiali febri criticae aliquando fuerunt* 278. 300.
— — — *Quandoque tamen inordinate, atque*

# INDEX.


*atque intempeſtive fluens ſanguis mali ominis fuit* 278.

*Hecquet Medicus Gallus citat. pluries, & maxime* 283.

*Hirudines naribus utiliter appoſitae in Petechiali febre, ad graviora capitis ſedanda ſymptomata* 350.

*Hoffmannus Frid. Medicus Germanus cit. pluries.*

*Humor, qui poſt appoſita veſicantia exit, quid vere ſit* 359.

*Humorum quatuor exiſtentia in Animali corpore non bene a Veteribus explicata, quomodo juxta Recentiorum opiniones intelligi melius poſſit* 85. 86.

——— *Ex hiſce quomodo ſingulos, juxta varias anni tempeſtates, ſpeciale ſortiri dominium, arbitrari merito poſſimus* 87.

——— *Primo de lymphae dominio, unde generalis hyemalium morborum theoria deſumitur* 87. 88. *&c.*

——— *Secundo de ſanguinis dominio, unde Vernales morbi derivantur* 90. *&c.*

——— *Tertio de Bilis dominio, ubi de morbis aeſtivis agitur* 91. 92. 93. *&c.*

——— *Quarto de Bilis craſſioris indole, ſeu de melancholico humore, juxta Veteres, unde autumnales oriuntur morbi* 95.


## I


*Jacotius Deſiderius cit. pluries.*

*In icteritia remedia adhibita* 368.

——— *Obſervationes* 369.

——— *Ejuſdem Theoria* 94.

*Idea totius hujuſce Operis XXII. XXIII. XXIV.*

*In Iliaca paſſione cur Inteſtinorum inflammatio eveniat* 51.

*In inflammationibus internis quibuslibet non ſemper incraſſantia, & attemperantia proſunt* 62.

*Iſchuria in Petechiali enarrata febre familiaris, praeſertim poſt adhibita Veſicantia* 300.

——— *Alio modo etiam, ob alias cauſas, imminuebatur tunc maxime urinae fluxus* ibid.

*Judicium in Medicina difficile, maxime ſi de remediorum actione in animali corpore diſſerere velimus* 214. 355. *&c.*

*Jugularium venarum ſectio fruſtranea credita, ad graviora capitis ſedanda ſymptomata in Petechiali dicta febre* 350.

*Julapia, aliave ejuſmodi remedia ex ſaccharo, aut melle parata, fruſtranea ſunt ad exſcreatum promovendum in Pectoris morbis; alia tamen ratione aliquando proſunt* 166.


## K


*Keilii Jacobi opinio de frigoris ſuſcepti cauſa* 119.

——— *Putat ipſe frigorificas quaſdam aeris particulas hyemis tempore maxime vigentes, atque in Corpus inſinuatas, hyemales maxime ſuſcitare morbos* 137.

——— *Sententia haec allatis ſupra ratiociniis noſtris non opponitur* 119.

*Knipſ-Macoppe* 127. *& alibi.*

# INDEX.


## L

*Labiorum ſciſſurae, & Narium quomodo haberi poſſint pro certo ſigno diſceſſurae febris Tertianae* 70.

*Lanciſius Medicus* 176. *&c.*

*Libri Theorici in Medicina nimis abundant, practici vero utiles maxime deſiderantur XXI.*

*Louver Medicus* 242.

*Lympha, quare Hyemis tempore majore in copia vigeat, atque peculiares ſuſcitet morbos* 88.

— *Si una cum bilioſo humore dominetur, inordinatas tertianas febres excitat* 96.

— *Cur in auſtrali maxime conſtitutione, aquilonari poſtea ſubſequente, graviores excitet morbos* 115. 116. 88.

— *Quomodo ejuſmodi morbi fiant, explicatur* 100. 101. 102.

— *Quare ſtagnet vitio ſanguinis* 386.

## M

*Malignitatis nomine, quid vere intelligendum fuerit in Petechiali enarrata febre* 303.

*Malpighius cit. pluries.*

*Marenchi Pater, & Filius Medici Cremonenſes* 199.

*Maroſticus Medicus Cremonenſis* 269.

*Maſinus quondam Medicus in Noſocomiis Pedemontanorum Cremonae* 367.

*Mazzinus Profeſſor Medicus Patav.* 359.

*Mazzucchellus Medicus Mediolanenſis* 378.

*Medicina vere utilis, praeter ſaniora ratiocinia, ab obſervationibus maxime petenda eſt XXI.*

—— *Quondam contempta I.*

— *Ob Medicorum imperitiam contemnitur III.*

— *Ejuſdem progreſſus impedimenta II. III.*

— *Difficilis admodum V.*

— *Ad ipſam quid contulerit Chymia VI. VII. VIII.*

— *Quid Matheſis XX. XXI.*

— *Quid Anatomia IX. X. XIII. XIV.*

— *Quid Philoſophia X. XI. XII. XIII. XIV. XV.*

— *Quid Optica XIII. XIV.*

— *Ad ipſam perficiendam, praeter haec, praxis diſtincte requiritur XV. XVI.*

— *Quomodo Theoria cum praxi jungenda ſit XVI. XVII. XVIII. &c.*

— *Circa Theoriam monitum XVII.*

— *Ut Medicina ad priſtinum reducatur decus quid requiritur IV. V.*

*Medicamenta maxime, non ratiocinia ſanant homines XVIII. &c.*

*In Medicina judicium difficile* 214.

— *ad ipſam quantum conferat praxis XXI. XXII.*

*Medicorum praeſtantia a ſolis morborum eventibus male judicatur I. II. III.*

— *Quid in Medico requiratur IV.*

— *Antiquorum, & Recentiorum ſtudia, atque obſervationes uſque in hunc diem Medicinam non perfecerunt VI.*

— *Sciolorum quorundam delineatio ab Hecqueto propoſita XIX.*

— *Quid Medici in obſervationibus agere debeant XXII.*

*Medicus eſſe debet Naturae auditor aſſiduus* 319.

*Medici nomine quidem multi, reipsa perpauci IV.*
*Melancholicus humor quid sit 95.*
*Migliavacca Pater, & Filius Medici Cremonenses 199.*
*Mixtura Stomatica Auctoris 38. 58.*
*Morbi omnes plerumque ad triplicem reducuntur classem XXII.*
— *Eorum immediatae verae causae prorsus latent 317. 318.*
*Morgagnus Anatomicus Primarius Patav. 176.*
*Moor Bartholom. cit. X. XX. &c.*
*Musculorum actio juxta Recentiores XIII.*

## N

*NArcoticorum praeproperus usus in Lypiria damnatur 56.*
*Natura est optima morborum medicatrix 319.*
— *Ex se crises molitur 343.*
— *Ipsius actiones temere pervertit Medicus nimis operosus* ibid.
— *Ipsi conforme magis est paucis, & simplicibus remediis uti 222.*

## O

*OBservationes primum fuerunt, & erunt semper medicinae fundadamentum, tum & tutioris cujusvis ratiocinii XVI.*
— — *Ipsae tamen absque congruis ratiociniis Medico sufficere nequeunt XVII*
*Oedematosi Pedum tumores post Petechialem febrim occurrentes explicantur 296. 297. 298.*
— — *Iis facilius tunc occurrebant, quibus copiose magis sanguis eductus fuerat, aut contumax evenerat diarrhoea 298. 299.*
*Oleum amygdalarum dulcium quid vere egerit in Petechiali dicta febre 341.*
— — *Quando merito tunc exhibitum fuerit 344. 345.*
*Optica quid ad Theoriam medicam vere conferat XIII.*
— — *Ad Praxim XIV.*

## P

*PEctoris morborum ineunte anno 1734. grassantium causa 115. 116.*
— — *In ipsis sententia fluxionis a capite refellitur 116. 117.*
— — *Hisce quare facilius afficiebantur illi, qui conformes alias morbos passi fuerant 118.*
— — *Eorundem differentiae ab affecta parte petitae 119.*
— — *Alii grassantes mense praesertim Decembris 1733., quos plerumque invadebant 107.*
— — *Quare ab iis facilius, & gravius afficiebantur tum Rustici, tum Milites 108. 109. 110. &c.*
*Pedrattus Medicus Cremonensis 367. 394*
*Perniones cur Hyemis tempore occurrant, Pueros maxime afficiant, & quomodo fiant 140.*
*Petechiae in Petechiali dicta febre infaustum omen afferebant 279. 300.*
— *Tertianas etiam febres aliquando comitantur 13. 288.*
— *Alias criticae evasere, asserente clar. Ramazzino 280.*
— *De hujusce Auctoris opinione quid sentiendum 281. 290.*
— *Medicorum quorundam cautiones ad Pete-*

*Petechias promovendas in hiſce febribus* 282.
— *Contra ipſos Auctor invehitur* 285.
— *Quid vere ipſae ſint* 281.
—— *Juxta Hecquet* 283.
—— *Juxta Cirillum, Villiſium, & Homobonum Piſonem* 283. 284.
— *Ipſas explicat Auctor, exemplo deſumpto ab Echymoſibus in cute ortis prope vulnus a Phlebotomo inflictum pro detrahendo ſanguine* 285.
— *Sive dum cutis aliquo modo comprimitur* 286. 287.
— *Earum eadem eſt ratio productionis, ac aliarum fere macularum, quae in ſcorbuticis fiunt* 287.
— *In quo iſtae ab aliis vere differant* 288.
— *Genuinae quomodo fiant* ibid.
— *Non oriuntur a prava humorum qualitate, maligna dicta* ibid.
— *Ad ipſas promovendas, qui inciſivis, & volatilibus utuntur remediis, morbum plerumque augent* 289.
— *Earundem occaſione, ſtaſes quoque in internis partibus fiunt* ibid.
— *Earum colores varii explicantur, qui quidem a malignitate, ut aiunt, febris cauſa non fiunt* 291.
*Per Peyerianas Inteſtinales glandulas aliquando, ope remediorum purgantium, Lymphae fluxus ad ſuperiores partes praepeditur, & quare* 70.
*Phthyſis origo, & explicatio juxta Deſault* 200.
— *In ejuſdem curatione, ſicuti & in internis aliis pleriſque morbis, cauſae primariae magis, quam effectibus, ſeu ſymptomatibus attendere debet Medicus prudens; unde balſamica praecipue magis, quam alia remedia conveniunt* ibid.
— *Quare in hoc morbo facile diarrhoea eveniat* 201.
— *Hujus morbi ſolutio, pure cum urinis prodeunte, ut in Nob. D. Com. Rebuffo* 197.
— *Alia ad id obſervatio in Domina Verzuma, cui maxime tunc profuit Balſamum de Copaiba* 199.
— *In hoc morbo temere reprobatur uſus Balſami de Copaiba, quod quidem ipſi merito convenit* 200.
— *Attamen, praeter hoc Balſamum, non omittenda ſunt nutrientia, attemperantia, aliaque remedia, quae ſymptomatibus ſedandis conferant* ibid.
*Philoſophia Medicinae parens, ſi Theoriam ſpectes, non vero Praxim X.*
—— *Recentiorum Medicinae quantum contulerit XI. XII. XIII. XIV.*
*Piſo Homobonus* 13. 284. 288. 359.
*Pleuritidum omnium generalis diviſio in Lymphaticas ſimplices, Lymphatico-ſanguineas, Lymphatico-bilioſas, & ſanguineas ſimplices* 119.
*Pleuritis Lymphatica ſimplex, quomodo ab aliis differat, quomodo procedat &c.* 120.
— *Quos plerumque invadebat* ibid.
— *Ejuſdem curatio* 121.
— *Lymphatica ſpuria; quomodo ab aliis diſtinguenda, quomodo curanda* 122.
— *Inunctiones in hiſce morbis plerumque fruſtraneae: quod ſi heae conveniant, quomodo adhibendae* ibid.
— *Hujuſmodi Pleuritidum alia ſpecies magis funeſta* 123. 124.
— *Ad id obſervationes in cadaveribus habitae proponuntur* 124.
— *In hiſce cur ſanguinem largius expediat*

pediat mittere 125.
— Hiſce aſſociantur concretiones polypoſae in vaſis ibid.
— Aliquando comitem habent inaequalitatem pulſus in alterutra parte: & quomodo id fiat 126. 127.
— Eadem ratione fiunt quandoque in alterutro ex brachiis dolores, tremores, atque oedematoſi tumores; & quare 128.
— Ad id ſpecialis obſervatio in Nob. D. de Muſſis ibid.
Pleuritica cruſta in educto ſanguine in hujuſcemodi Pleuriticis ſemper apparebat 129.
— Quanti facienda ſit tempeſtiva iſtius cruſtae apparitio 130.
— Cruſta haec in quanam vere Pleuritide appareat 131. 132.
— Iſta tum in hac Pleuritide, tum in lymphatico quovis morbo, ac maxime in Rheumatiſmo videtur 132.
— In ejuſmodi tamen Pleuritide ſemper, & neceſſario, plus minuſve occurrit, & quare 133.
— Non autem in Pleuritide vera ſanguinea 134.
— Hinc emergunt congrua tutiora ſigna ad diſtinguendam ſanguineam Pleuritidem a Lymphatica 135.
— Praedicta cruſta in ſanguine detracto apparens eadem eſt, ac illa, quae Pleuram, & Pulmones in hiſce morbis obſidet, eademque ac glutinoſa lympha illa, quae concretiones polypoſas dictas efficit 136. 157.
— Quod haec cruſta a glutinoſa vere lympha fiat, ſatis teſtantur peculiares obſervationes in emiſſo tunc ſanguine habitae 138.
— Probatur hinc, quomodo ab eadem cauſa concretiones dictae in vaſis fieri ſoleant 139.
— Sydenhamii ſententia, atque animadverſiones circa hanc cruſtam proponuntur ibid.
— Ad ejuſdem cauſam referenda etiam eſt ſpecialis conditio Aeris: quod probatur exemplo Pernionum: unde hinc aliae ejuſdem Sydenhamii obſervationes, & ratiocinia de hiſce exhibentur 140.
— De hiſce quid Auctor ſentiat 141. 142.
In Pleuritide hujuſmodi, & aliis, ex hiſce probatur cur ſanguis pleno gurgite ſit mittendus 142.
— Ad id Pitcarnii opinio de emittendo ſanguine ab oppoſita parte 143.
— Ad id Hollerii ſententia, dum Veſalii oppoſitam opinionem evertit 144.
— Ad id Auctoris ſententia, qui & de ratione emittendi inſuper ſanguinem ex Pede diſſerit, tum & de uſu cucurbitularum 145.
— Sanguinis inde emiſſio tanquam praecipuum auxilium probatur, dummodo tamen nimium liberaliter non adminiſtretur: ubi & reliqua hujuſcemodi Pleuritidum curatio, ope aliorum remediorum diſtincte proponitur 146.
Pleuritis lymphatico-bilioſa 147.
—— In hac emiſſus ſanguis flavam, aut flavo-virentem cruſtam exhibet ibid.
—— Hinc ſputa, & lymphaticae internae concretiones, & ſupradicta cruſta ejuſdem eſſe penitus indolis reperiuntur ibid.
—— Unde haec Pleuritis oriri ſoleat, quos facilius invadat, qua ratione procedat ibid.
—— In hac quomodo bilioſus humor in Pectore conſiſtat 148.

Ejuſdem

—— *Ejuſdem curatio proponitur; & primo per ſanguinis emiſſionem, itaque per Emeticum* 149.

—— *Quandoque exhibito emetico ſymptomata quaeque remittunt, & quare* 150. 151.

—— *Non omnibus tamen eadem methodus ſemper convenire poterat* 152.

—— *Reliquae curationis ratio proponitur* 153.

—— *In hoc morbo diſtincte quaenam plerumque ſymptomata attendebantur* ibid.

—— *Cur gravius ſaeviret* 154.

—— *Verum Pleuritis haec, ſicuti & aliae, non eodem modo in omnibus ſemper ſaevit, ſed habita ratione diverſae partis, quam diſtincte in Pectore obſidet, varia ratione progreditur* 155.

—— *Signa ad dignoſcendas lymphatico-bilioſas ſtaſes in Pulmonibus ſpecialiter factas* 156.

—— *Hinc Pulmo affectus plerumque Pleurae fortiter alligatur* ibid.

—— *Circa huiuſcemodi adhaeſiones Pulmonum cum Pleura obſervationes exhibentur* 157.

—— *Hinc patet cur Pulmo ſenſus particeps ſpecialiter eſſe poſſit, contra Veterum opinionem* 156.

—— *Dictae adhaeſiones Pulmonis cum Pleura quomodo inter ſe differant: cum aliae fiant in decurſu morbi, aliae vero antea exiſtant* 157.

—— *Quae ante morbum exiſtunt, quaenam vere ſint* 158.

—— *Explicatur ultro, cur in hiſce morbis aliquando cruſta pleuritica appareat, aliquando vero non* 157.

—— *Praedictae adhaeſiones naturales, ſeu ante morbum habitae nihil reſpirationi officiunt* 158. 159.

—— *Circa haſce, obſervationes peculiares habentur* 159.

—— *In Pleuritidibus hiſce, & aliis etiam, juxta Pulmonis partem ſpecialiter affectam, varia eveniunt ſymptomata, variique exitus* 161. *&c.*

—— *Si Pulmonum intima ſubſtantia laeditur, ſive ſuperius, ſive inferius, quid eveniat* 162.

—— *Ad id varia ex ſputis ſigna proponuntur, quae tum ad diagnoſim, tum ad prognoſim in hiſce morbis quammaxime conferunt* ibid. *& a* 163. *ad* 170.

—— *Circa ſtaſim extra Pulmones in hiſce morbis factam variae, & peculiares obſervationes proponuntur* 171.

—— *Hinc varia alia ſuſcitabantur ſymptomata, ſi extima Pulmonis pars, ſive ſuperior, ſive inferior afficiebatur, ſive in parte cava &c.* 172.

—— *Circa ſtaſes in Pleura ipſa factas propriae extant obſervationes* 173.

—— *Tunc humor pleuriticus quandoque ad intercoſtales muſculos, aut aliter ad externas partes, ſub integumentis, permeabat* ibid.

—— *Staſes variae aliquando fiunt inter appendices membraneas Pleuram cum Pulmone vincientes* 174.

—— *Ob lymphaticas haſce, aut lymphatico-bilioſas ſtaſes quovis modo factas, abſque ulla ſtagnatione ſanguinis, ſuppuratio nunquam ſuboritur; unde & facilius ſolvitur plerumque morbus* ibid.

—— *Maximum tamen inde vitae periculum imminet, ob concretiones pſeudo-polypoſas in conſiniis cordis factas* 180.

—— *Caeterum quocunque modo ſtaſis extra pulmones conſiſtat, non tam facile eſt captu, quomodo Pleuriticus humor ſubire Pulmones poſſit, ut inde per exſcreatum educatur. Ad hoc tamen variae proponuntur conjecturae magis veriſimiles, partim ab auctoritate, partim ab Anatomia petitae a* 174. *uſque ad* 179.

—— *Ad concretiones quod ſpectat Polypoſas, ſeu Pſeudo-polypoſas, explicatur cur heae potius in venis, quam in Arteriis, in dextero potius cordis ſinu, quam in ſiniſtro fierent, & facilius* 180.

*In Pleuritide vere ſanguinea, aut mixta, ſtagnante quomodocunque ſanguine, aut effuſo, ſuppurationes plerumque fiunt* 181.

— *Si ſuppuratio in Pulmonis intima parte fit, facilius per exſcreatum educitur* ibid. *&* 190.

— *Secus evenit, ſi Pus in folliculo omnimode clauſum ſit, ad quod ſpecialis affertur obſervatio* 182.

— *Si Pus diutius in Pulmonibus, quam par eſt, conſiſtat, ulcera ibidem occurrunt, atque inde Phthyſis* 181. 191.

— *Si Pus per exſcreatum educi immediate nequeat, refluit in ſanguinem, atque cum ipſo in circulum agitur, unde & ad Bronchia tranſire aliquando poteſt* 183. 184.

— *Dum Pus in ſanguinem refluit, exacerbatur febris* 191.

— *In quacunque ex hiſce Pleuritidibus, ſi Pus ad bronchia aditum non obtineat, ut per exſcreatum prodeat, atque ſecus in cavitatem Pectoris effundatur, Empyema ſuboritur ſtatim* 184. 185. 235.

— *Ad ſuppurationes dictas dignoſcendas congrua proponuntur ſigna* 185. 186. 187. 188. 189.

— *Pus extra Pulmones conſiſtens per appendices dictas, ipſos cum Pleura vincientes, Bronchia aliquando ſubit, & per exſcreatum educitur* 190.

— *Pus aliter, aut in cavitatem Pectoris effunditur, aut externas ſubit Pectoris partes, aut ad remotas alias etiam demittitur* 191.

— *Pus plerumque quando in cavitatem Pectoris tunc facilius effundatur, veriſimilius explicatur, propriiſque ſignis oſtenditur* 192.

— *Agitur de modo, quo Pus in cavitate Pectoris conſiſtens Pulmones ſubire poſſit, & primo Helmontiana ad id opinio proponitur* 193.

— *Propriam ad id ſententiam Auctor explicat, dum putat, purulentam hanc materiam aut a laceratis Pulmonibus exſugi, aut in ſanguinem refluere, ut poſtea Pulmones ſubeat* 193.

— *Primum veriſimilius explicatur, & facilius* 193. 194.

— *Secundum impoſſibile non eſt, licet difficilius quidem* 195.

— *Secundum probatur, cum aliquando Pus uſque ad Renes, & Alvum tendat* 195. 196. *&c.*

— *Hinc explicatur Hippocratica illa ſententia:* ſuppuratis a Pulmone pus per ventrem ſecedere lethale 201.

— *Explicatur modus, quo Pus a cavitate Pectoris ad Alvum tendere poſſit, quare ad id clar. Boerhaave ſententia perpenditur* 201.

— *Dum Pus in ſanguinem refluum ad Pulmones nequit tendere, neque per*

*Renes*

*Renes, aut Alvum eliminari, variis in partibus conſiſtit, atque abſceſſus efficit varios* 202. *ad* 211.

—— *Deſumpto ab hiſce abſceſſibus ratiocinio, atque ab eorundem fauſto aliquando exitu, Clinici plures Medici cum Baglivio neceſſaria, & quidem maxime utilia cenſent Veſicantia, inferioribus partibus admovenda in hiſce morbis* 212.

—— *Sententia haec de veſicantium uſu perpenditur, & refellitur a* 213. *ad* 222.

—— *Puris refluxum in ſanguinem indicant dolores in articulis vagi &c.* 206.

—— *Quo ad curationem iſtarum Pleuritidum emollientia, & laxantia, tum interna, tum externa caeteris palmam praeripere oſtenditur, ſicque tota curationis reliqua ratio breviter exponitur* 221. 222. 223. 224. 225.

*Pleuritides ſanguineae verae ad duplicem reducuntur pariter claſſem; ad eas nempe, quae in Pulmonibus conſiſtunt, atque ad alias, quae extra; Inſuper aliae Eryſipelatodes, aliae Phlegmonodes dici merentur* 226.

—— *Per quid differant iſtae a Lymphaticis* 227.

—— *Sanguinearum hujuſmodi Pleuritidum principium proponitur, atque explicatur* 228.

—— *Quare heae potius, quam lymphaticae ſimplices, aut aliae dictae mixtae, datis temporibus occurrant* 228. 229.

—— *Quare unum potius, quam alterum corripiant* 229. 230.

—— *Signa eas dignoſcendi, & maxime ex ſputis, dum ipſarum veridica immediata ſimul cauſa exhibetur* 230. 231.

*Pleuritis Eryſipelatodes deſcribitur, & ejuſdem cauſa* 232.

—— *Signa, ut pateat, utrum ipſa in Pulmone conſiſtat, an extra ipſum* 233.

—— *Ejus exitus* 234.

—— *In ejuſdem curatione praecipuum remedium eſt ſanguinis emiſſio, indeque laxantia quaeque tum interna, tum externa conveniunt* 234.

*Pleuritis Phlegmonodes vera plerumque in Pulmonibus ipſis conſiſtit* 235.

—— *Duplici modo ſolvitur* ibid.

—— *Ejuſdem ſigna tum ex decubitu, tum ex ſputis &c.* 236.

—— *Citius, quam aliae, utplurimum ad exitum tendit, modo per ſuppurationem, modo ſecus, nunc fauſto, nunc infauſto omine* 237.

—— *Ad id ſpeciales obſervationes Nob. Dom. Tereſiae Cazzanighae* 238.

—— *Rev. Religioſae, & R. Patris Correctoris Minimorum* 394.

—— *In hac Pleuritide quae ſint fauſti ominis ſigna* 239. 240.

—— *Non raro dum ad remiſſionem tendit, nova facta ſuppuratione, recrudeſcit* 240.

—— *Quomodo recrudeſcentia haec praenoſci queat; dum laudabiliora ſimul puris ſigna proponuntur* ibid.

—— *Signa alia ad cognoſcendam ſpecialiter futuram ſuppurationem, ejuſdemque quaslibet viciſſitudines* 241.

—— *In hac Pleuritide quid ſpecialiter obſervatum fuerit* ibid.

—— *Quandoque lymphae etiam ſtaſes ſubſequuntur* 242.

—— *Tunc ideo Pleuritis ſanguineo-lymphaticam naturam profert, ex propriis ſignis attendendam* 243.

—— *Sanguineae Pleuritidis curatio proponitur, omiſſa purgatione penitus,*

*per ſanguinis emiſſionem, frictiones, fomenta, anodyna remedia &c.* 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250.

— *Pleuritidis hujuſce exitus duplici tantum ratione habetur: nempe aut per reſolutionem, ut ajunt, aut per ſuppurationem, ſicuti & in externis Phlegmonibus evenire adnotant Chirurgi, a quibus ideo & in internis curationibus genuina ratio eſt deſumenda* 244.

— *Primo itaque quaerenda reſolutio: ſin minus ſuppuratio promovenda* 247. 248.

— *Improbatur hinc illorum methodus, qui large nimis ſanguinem in hiſce morbis emittunt* 246.

— *Suppuratione facta, ad Puris excretionem promovendam quomodo attendendum* 249.

— *Qua ratione purgatio uſurpata fuerit* 328.

*Purgationem initio acutorum ſemper condemnandam eſſe aliqui putant* 329.

— *Praecipue ex Hippocratis Aphoriſmis, quia deeſt humorum debita coctio* 330. 331. 334.

— *Explicatur quid vere ſit haec coctio, & cruditas* 332. 333.

— *Aliae contra purgationem objectiones proponuntur, & ſolvuntur* 340. 341

— *Oleum amygdalarum dulcium tantum ad id fruſtra adhibitum in Petechiali dicta hac febre* 341.

— *Purgantia leviora tunc in uſum revocari conſueverunt, & quanam ratione* 334. 335. 336. 337.

— *Purgantia haec equidem tunc utplurimum neceſſaria maxime fuerunt* 338.

— *Emeticum quoque propinandi ratio* 338. 339.

— *Quaenam, omiſſo emetico, mala occurrerent, quando illud morbus poſtularet* ibid.

— *Remittente hac febre quanam ratione purgatio adhibita fuerit* 361.

*Practicus bene expertus Medicus, abſque ulla Theoria quandoque AEgrotis ſatis utilis reperitur XVIII.*

*Praxis medica ſine Theoria, neque Theoria ſine praxi medico Clinico ſufficiunt, ſed utraque ſimul requiritur XVI. XVII. XVIII. XIX.*

*De Purgatione, & venae ſectione in Petechialibus febribus cautelae Clinicae* 300. 320. 321. 322. 323. 324. 325.

*Puris cum urina excretionis obſervatio peculiaris in D. Parravicino, qui abſceſſu in Brachio laborabat* 198.

## R

*Raina Medicus Taurinenſis* 79. 386.

*Ramazzinus cit. pluries. Ejuſdem obſervatio de critica, ut ipſe ait, petechiarum excretione in Petechiali febre* 280.

*Recidivae tertianae febres quomodo praenoſcendae* 73. *&c.*

*Recrudeſcentium facile poſt diuturnum tempus morborum Pectoris ratio proponitur* 118.

*Rhabarbarum Chinae Chinae admixtum quantum tertianis febribus prodeſſe poſſit* 37. 407.

*Rheumaticarum quarumlibet affectionum Theoria* 100. *in hiſce purgantia aliquando utilia* 391.

—— *Earundem ſeries* 99.

—— *Procedendi modus, & curatio* 103.

——— *Autumno anni* 1733. *graſſantium cauſa* 96.
——— *Ineunte anno* 1734. *graſſantium* 111. 112.
——— *Earum cauſa* 116.
*Rinaldus Chirurgus Pedemontanus, ejuſque mors* 381.
*Robuſta corpora & facilius, & gravius Pectoris morbis laborant* 90.
*Rubigo ſegetum anni* 1735. 385.

## S

*Sanctorius cit. pluries.*
*Sanguinis emiſſio in morbis caute eſt ſemper uſurpanda* 322. 321.
— *Nimis liberalis in morbis Pectoris damnanda* 246.
— *Ita & in Petechialibus febribus, & quare* 298. 299. 300.
— *Stillicidium e naribus malum in his protulit omen* 278.
*Sanguinis retardatum motum, ejuſdemque ſtagnationes, lymphae quoque ſtagnatio, aut effuſio ſubſequitur in Pectoris maxime morbis, tum & in aliis etiam* 242. 386.
*Scorbuticorum maculae quomodo fiant, & cur differant a Petechiis* 287.
*Semen, praeter generationis negotium, quid agat in Corpore* 299.
*Signa ad praenoſcendam futuram ſuppurationem in Pectore* 187. 188. 189.
— *Suppurationis factae* 186. 189.
— *Non omnia tamen ſemper eadem ſunt* 190.
*Silva Joannes Baptiſta Medicus Gallus* 350.
*Solida in Corpore noſtro attendenda maxime ſemper ſunt a Rationali Medico, maxime ſi verum ſit, juxta Hecquet, quod ipſorum vis ad vim fluidorum ſit ut* 1000. *ad* 1. 295. 296.
— *In gravioribus morbis, ut in convulſionibus, Phrenitide, rigida magis, & elaſtica evadunt, & remittente morbo laxa fiunt; unde corporis robur primo augetur, & poſtea decreſcit* 296.
*Sonſis Jo: Medicus Cremonenſis* 102. 269. 371. 374. 389.
*Sputa quomodo fauſtos, vel infauſtos morborum Pectoris exitus praedicere queant* 239.
— *Quo citius apparent, eo magis morbum breviant* 162.
— *Quomodo ſanguinolenta evadant* 163.
— *Anacatharſis quomodo promovenda* 163. 164.
— *Ad id emollientia tum interna, tum externa proſunt* 164. 165.
— *Ad id Julapia, aut alia hujuſmodi non modo inutilia, verum & nocua ſunt* 166.
— *Ad id ſperma Ceti cum camphora prodeſt* 167.
— *Sputum initio morbi pauca bile tinctum quid indicat: tum ſi bile admodum ſaturatum, aut aeruginoſum ſit* 168. 169.
— *Si ſtaſis extra Pulmones conſiſtat, ſputa nil certi proferunt* 170.
*Staſis lymphatico-biliosa, ſic & aliaquaevis, ſi Pulmones occupet, facilius, citiuſque ſolvitur, quam ſi extra Pulmones quomodolibet conſiſtat* 175.
— *Si in Pleura lateat, quanam ratione per exſcreatum educi queat* 176.
— *Ad id ſententia clariſs. Lanciſii perpenditur* 176. 177.
— *Alio modo id melius explicatur* 178. 179.

*Surdi-*

*Surditas in Petechialium febrium remiſſione occurrens, cur fauſtum proferat omen* 294. 295.

—— *Quomodo tunc fiat, ubi & bombi, & tinnitus ratio proponitur* 292. 293. 294.

*Sydenhamius cit. pluries.*

—— *Ejuſdem opinio de origine pleuriticae cruſtae in ſuperficie emiſſi ſanguinis apparente* 139.

## T

*Taglini Carolus* 409.

*Temperamentum cujuſcunque hominis eſt morbus, ſeu ſpecialis ad aegrotandum diſpoſitio* 231.

*Theoricae ſubtiliores ſpeculationes nimis abſtractae, ſicuti mentem maxime alliciunt, ita Medicum a practicis neceſſariis obſervationibus maxime avertunt XVII.*

*Theoricus excellens Medicus abſque congrua praxi, quo magis eſt doctus, eo minus AEgrotis prodeſt XV.*

*Ad Theoriam medicam quid Chymia contulerit VII. VIII.*

*Theriaca extrinſecus adhibita in Pleuriticis doloribus parum utilis, quibus ideo fomenta, & frictiones magis proſunt* 122.

*Tonſillarum inflammationes poſt tertianas contumaciores febres quomodo fiant, & quid indicent* 70.

—— *Ad id ſpecialis obſervatio in D. Maller Pedemontano* 71.

*Torti Franciſcus Medicus* 41.

*Tournefortius Medicus Gallus* 359.

*Tozzi Lucas* 123.

*Tumores faciei, manuum, brachiorum, in Petechiali febre quare fiebant* 296.

—— *Pedum eadem occaſione facti explicantur* ibid. & 297.

—— *Iſti cur in Plebeis potius, & Militibus fiebant, maxime poſt diarrhoeas contumaces, aut poſt copioſas nimis ſanguinis emiſſiones* 298. 299.

## V

*Valleſius cit. pluries.*

*Valliſnierius* 359.

*Vermes per vomitum, & per Alvum ejecti in Petechiali febre* 270.

*Vermiculorum in ſanguine ſuppoſitorum ſententia perpenditur, ibique probatur illorum apparentes motus plerumque nihil aliud eſſe, quam perturbatum motum particularum ſanguinem conſtituentium* 377. 378.

—— *Iſtorum ſententia ad contagioſos explicandos morbos* 375.

—— *Sententia haec, juxta celeber. Medicum Curtium, Peſtis quidem verae cauſam reſpicit, non autem Petechialium, aut epidemicorum aliorum morborum* 376.

—— *Quaenam veriſimilis ſtatui poſſit ratio in Petechiali dicta febre ad contagium explicandum* ibid.

*Vernalium morborum origo* 89. 90. &c.

*Veſicantia non ſemper inutilia, ideoque non ſemper ſunt reprobanda* 351.

—— *Eorum loco tutius, & utilius frictionibus, aliiſque remediis utebatur Auctor in Petechiali febre* ibid.

—— *Haec, ob abſceſſus quandoque ad inferiora utiliter a Natura ipſa factos, congrua cenſentur in morbis Pectoris, ſi Tibiis admoveantur, juxta clariſs. Baglivium* 212.

—— *Quid autem tunc agere putentur* 213

*Ipſo-*

— *Ipſorum inutilitas oſtenditur* 213. 218. 220. 221.
— *Ideo Baglivii opinio perpenditur* 215. 216. 217. 218. 219.
— *In Pectoris morbis nocua potius ſunt* 219.
— *Etiam in Petechiali dicta febre inutilia evaſere, maxime cum eorum loco, alia tutius adhibita ſint remedia* 347.
— *Nec tantum inutilia, verum etiam nocua tunc comperta fuere* 352. 353. 354.
— *Auctor ideo reſpondet illis, qui abſolute aſſerunt, quod eos nunquam fefellerit veſicantium uſus in morbis hiſce* 355.
— *Probatur ultro haec neceſſaria non fuiſſe in dicta febre* 356.
— *Juxta ipſorum fautores, etiamſi cauſae morbi non rite conveniant, effectibus tamen proſpiciunt* 357.
— *Hiſce reſpondet Auctor* 358.
— *Duodecim rationes a Valliſnierio clariſs. deſumptae contra veſicantium uſum proponuntur* 359.
— 1. *Quia febrem augent* ibid.
2. *Quia vires enervant* ibid.
3. *Quia gangraenas excitant* ibid.
4. *Quia humor, qui a veſicatoriis extillat, lympha tantum nutritia eſt, non autem ſomniatus ille malignus humor* ibid.
5. *Quia nihil, vel inutiliter agunt* ibid.
6. *Quia coctionem humorum cohibent* ibid.
7. *Quia criſes impediunt* ibid.
8. *Aut divertunt* ibid.
9. *Quia eorum cauſa AEgri ſanguinem aliquando mingunt, aut urina ſuppreſſa, ſuccedente inflammatione, aut immoderatus urinae fluxus promovetur* ibid. & 300.
10. *Quia morbi cauſam fovent* ibid.
11. *Quia cuique indiſcriminatim non conveniunt* ibid.
12 *Ideo tanquam inventum diabolicum cenſentur* ibid.
*Vini Malvatici uſus in Petechiali dicta febre* 345.
— *In Lypiria* 59. 61. 397. &c.
*Urinae ſanguineae ſaepe obſervatae in R. D. Zaccaria Vacchello* 11. 12.
*Urinarum fallax judicium in Petechiali febre* 259. 273.
— *In ipſis quid attendendum merito ſit* 273. 274.
— *Quare variae videbantur, tum quo ad colorem, tum quo ad ſubſtantiam &c.* 275. 276.
— *In hac febre, praeſertim juxta clariſs. Gallarati obſervationes, urinae parce admodum plerumque excernebantur, & quare* 300.
— *Quid ſentiendum ſit de Uromantia, & Uroſcopia* 270.

# BENEVOLO LECTORI
## AUCTOR. S.

*Posteaquam Dissertationem Praeviam typis jam tradideram, aliorum exemplo, & consilio, operae pretium me facturum existimavi, si in toto Opere omnia verba barbara, aut a latino idiomate quomodocunque aliena, quibus, pro materiae agendae necessitate, ad majorem assumptorum explicationem, uti coactus fuissem, diverso ab aliis charactere imprimi curarem. Verum non haec tantum alio modo sic excussa volui, verum etiam nomina quamplurima, & vocabula, quae, etsi a Latinis adhibita, aliunde tamen congruam ab aliis distinctionem jure exposcere mihi videbantur, tum ut clarius, tum ut commodius percipi omnia possent. Enim vero, quamvis id omni, qua potui, diligentia praestare fategerim, non pauca irrepserunt verba a latio prorsus remota, quae fortuito sic distincta nunquam fuerunt. Sic alia invenientur nunc uno, nunc altero modo adnotata. Verum hoc aequo animo feres, spero, Lector benevole, si potius materiam spectaveris, in qua propositarum rerum exarandae magis veritati, quam verbis ipsis, aut scribendi rationi fas erat attendere; maxime cum, ob assiduas praxeos curas, pro transcribendo chirographo, Amanuensi uti debuerim. Plura insuper corriges errata, quae hic habes a me tumultuarie inventa, atque adnotata. Reliqua, si quae erunt, gratiose ignoscas, atque tu ipse emendabis. Vale*

### In Dissertatione Praevia.

Pag. 1. l. 26. cum quis *cor.* cum quispiam. P. 9. l. 36. proficuum *cor.* utilem. *& sic alibi.* P. 12. l. 36. easdem *cor.* eosdem. P. 13. l. 23. varis *cor.* variis. P. 15. l. 15. perspecte *cor.* perspectae. P. 22. l. 2. pronunciando. *cor.* pronunciando,. P. 23. l. 9. ineunte *cor.* progrediente, *& sic alibi in eodem sensu.*

### In reliquo Opere.

Pag. 1. colum. 1. lin. 22. illorum *cor.* istorum. P. 4. c. 2. l. 41. in initio *cor.* initio, *& sic alibi.* P. 6. c. 1. l. 22. Limonum *cor.* Mali medici. P. 6. c. 2. l. 35. caestus *cor.* aestus. P. 6. c. 2. l. 19. *proferique* cor. *proferrique*. P. 10. c. 1. l. 1. multo longius *cor.* multo tardius. P. 10. c. 1. l. 7. quorum *cor.* quarum. P. 18. c. 2. l. 7. victu *cor.* victui. P. 21. c. 1. l. 1. bulleinte *cor.* bullinente. P. 40. c. 1. l. 37. prascripsi *cor.* praescripsi. P. 55. c. 2. l. 21. crassior *cor.* crassior. P. 65. c. 1. l. 31. firmarentur *cor.* consisterent. P. 66. c. 1. l. 37. frigido, quam *cor.* frigido potius, quam. P. 71. c. 1. l. 1. remorata *cor.* residens. P. 94. c. 2. l. 30. *aequivocationem cor.* ambiguitatem. P. 105. c. 2. l. 6. exitum *cor.* exitium. P. 107. c. 1. l. 16. lymmpha *cor.* lympha. P. 108. c. 2. l. 27. evenite tiam *cor.* evenit etiam. P. 114. c. 1. l. 28. antecedente *cor.* praegresso. P. 120. c. 2. l. 4. astipulari *cor.* adstipulari. P. 129. c. 1. l. 28. diturnam *cor.* diuturnam. P. 137. c. 2. l. 28. cutius. *cor.* citius. P. 152. c. 1. l. 1. ad id faventes *cor.* ad id conducentes. P. 198. c. 2. l. 17. suscitari *cor.* suscitare. P. 212. c. 1. l. 9. alkailum *cor.* alkalium. P. 214. c. 2. l. 6. nullis unquam remediis *cor.* nullis remediis. P. 220. c. 2. *ad fin.* totius *cor.* toties. P. 235. c. 2. *versu* 5. *sive instent* cor. *sive instet*. P. 241. c. 1. l. 17. indicabat *cor.* indicaret. P. 246. c. 1. l. 2. & 3. fic-ficitate *cor.* ficcitate. P. 246. c. 2. l. 5. suboluisse *cor.* suboleviſſe.

AUREA

# AUREA METHODUS

## VETERIBUS INCOGNITA

*Ad profligandas expeditiſſime febres*
*Tertianas tum intermittentes,*
*tum per ſubingreſſum*
*continuas,*

BREVISSIME LUCUBRATA

## A FLORENTIO AUGUSTINO GALLARATO

*Ex Colleg. Nob. Phyſ. Papiae, ibique in Reg. Caeſ.*
*Univerſitate Practicae Primario.*

# AUREA METHODUS

VETERIBUS INCOGNITA

BREVISSIME EXCUSATA

A FLORENTIO AUGUSTINO

GALLARATO

Nter caetera morborum genera, quibus plerumque humanum Corpus extorquetur, ea ſaepius communi damno cenſentur evenire, quae vulgari titulo Febres vocitantur. Iſtae tamen non aeque ſemper pari paſſu incedunt, diverſoſque utplurimum exitus ſortiuntur. Ideo aliae de charactere *ſalubri* ſunt, aliae vero de *inſalubri*, aliae *breves*, aliae *diuturnae*, aliae *eſſentiales*, aliae *ſymptomaticae*, aliaeque quamplurimae variae indolis obſervantur. Porro tamen inter hujuſcemodi genera febrium nulla alia manifeſtatur, quae tanto impetu, tantaque frequentia undecunque affligat, quam ipſa *Tertiana* febris, quae nulli aetati, temperamento, regioni, vel ſexui parcit. Quamobrem peculiarem expeditiſſimae curationis methodum ipſi omni jure congruentem, iteratiſque experimentis comprobatam, paucis hic exarare decrevi.

Proh infelix elapſi temporis conditio! cujus medendi norma, vix primis ingruentibus *tertianariis paroxyſmis*, tum ſolvente pharmaco, tum ſæpe mandata quoque *phlebotomia*, iiſque non raro repetitis, AEgrotos peſſime, inutiliterque extorquebat. Etenim, enervatis maxime viribus, atque diu fruſtra expectata febris ſolutione, aut in oneroſum *convaleſcentiae* vinculum, aut in pertinacia *naturalium* viſcerum *infarcta* Patientes incidebant. Plurimi namque iis nituntur principiis, quod, niſi dempta prius per *evacuationes* cauſa *materiali* ipſius febris, nunquam per alia remedia ſedantia inordinatum motum *fermentativum*, ſimulque febrilem *fermentorum* mixturam extricantia, tuto febris evinci poſſit; prout innuit *Humoriſtarum* opinio, quorum falſas hypotheſes, per ſomniatam *bilis putreſcentiam* in primis ductibus, *tertianarios paroxyſmos* de genere *intermittentium* decernere intendit.

Verum ſi genuinam, atque veriſimilem magis hujuſce febris cauſam paucis hic proponere velimus, neglecto prorſus diſſertationum theorico faſtu (cum de hiſce ſatis medullitus, diſerteque conſcriptum ſit a tot Viris in AEſculapica facultate clariſſimis) ſatis erit innuere, *materiale* pabulum dictas febres excitans, & fovens, ex lege *chymico-mechanica* a doctiſſi-

mo

mo Friderico Hoffmanno ſpecialiter illuſtrata, petendum merito eſſe. Quamplurimae enim *ſalivales*, ac viſcidiores particulae, ob depravatam maxime digeſtionem, in ſanguine congeſtae, atque cum *ſucco Pancreatico* immixtae eundem reddunt in motu lenteſcentem; unde acidior factus, atque in Inteſtino duodeno ſecretus, exuberantem ibidem init *fermentativum* motum cum *bilioſo ſucco*, atque latice aquoſo, adeo ut ex hiſce tribus male *fermenteſcentibus* quartum quid *excrementitium* reſultet *ſalino-ſulphureum*, & acre, quod, *circulans* in tubulis *glanduloſis*, aliiſque partibus primae regionis, iiſdem adhaeret, eaſque obſtruendo minus *tranſpirabiles*, flexiles, atque *ſyſtalticas* efficit. Dum vero ſe exerere incipit, ad *paroxyſmi* febrilis motum, tunc fibras nerveas dictarum partium *glanduloſarum* irritat, eaſque *ſpaſmodico* impetu, veluti convulſivo, quatiens, tubulorum diametros arctat, ſuccorumque ibidem *circulantium* motus cohibet, ſolidorum elateres retardat, moraturque *undulationes*; unde, *ſpaſtica diatheſi* in iiſdem partibus plus, minuſve concitata, frigus, vel rigor, vel horror, vomitus, anxietates, pulſuum parvitas, caeteraque alia *ſymptomata* tertianarum febrium familiaria ſubſequuntur. Hinc *excrementitium* iſtud febrile per vaſa lactea ſucceſſive ad ſan-

guinem defertur, turbatque fluidorum cum ſolidis commercia, placidoſque eorundem oſcillatorios motus; unde, adaucto *ſyſtaltico* Cordis, & Arteriarum motu, maſſae ſanguinis, fluidorumque omnium progreſſus intenditur: ſicque celerior, & concitatus magis evadit pulſus, atque moleſtus, maximuſque in toto Corpore calor emergit. Haec autem omnia eo non deſunt, quo uſque, laxatis *excretoriis* fibris, febrile illud principium *excrementitium* per cutis meatus, alioſque *ſecretoriarum*, atque *excretoriarum* partium ductus ejiciatur; tuncque inſultus ceſſat, donec, nova *ſpaſtica diatheſi* inducta in iiſdem primae regionis partibus a novo motu ejuſdem *excrementitii* ibidem ſtabulantis, nova denuo ipſius quantitas ad ſanguinem fuerit translata, indeque febrilis alter ſuboriatur *paroxyſmus*.

Quamobrem, *cauſali* breviter innuta, *diagnoſis* & *prognoſis* vulgatae notionis comitantur: unde merito expedit Tertianas febres diſtinguere in *Vernales*, *Autumnales*, & *AEſtivas*.

Quod vero ad curationem ſpectat, earum praeſertim, quae potiſſimum AEſtate, vel paulo ante, vel paulo poſt invadunt (quidquid ſit, velintque opiniones ex varietate *ſymptomatum* elucubratae) expeditiſſimum cenſetur, juxta dogmaticae Medicinae leges, tuto, cito, & jucunde

jucunde dictas febres profligare; quod quidem curationis genus maxime completur per appropriata ſpecifica, ſive per ea, quae vulgo *antidota* nuncupantur, quibus morbos feliciter jugulatos paſſim admiramur. Qua de re dictarum febrium hoſtile *fermentum febrifuga*, & peculiari *Quinquinae* energia protinus infringendum eſt, prius quam *fermenti* fomitem alio quovis remedio educere aggrediaris. Etenim praefato temporis aeſtu, concitatis activioribus AEtheris particulis, fit, ut ſaepiſſime a ſolventibus, quamvis levioribus, parique paſſu a *phlebotomia*, confeſtim irritato tertianae febris *fermento*, iſtud ad furorem facillime redigatur; unde in hujuſmodi febribus, quoties, primum adminiſtratis nedum utriſque, ſed etiam ſingulis hiſce Medicinae inſtrumentis, quoties, inquam, lethales *Cardialgiae*, *Cholerae*, ac *Lypiriae* inopinato ſubiere? Quoties enunciatae febres de ſtatu *ſimplici* ad *duplicem* devenerunt? Quoties de periodo *intermittenti* in *continuam*, plerumque fatali AEgrotorum pernicie, demigrarunt? Veluti, praeter crebrum experientiae teſtimonium, ſatis ſuperque oſtendunt quamplurimae obſervationes a clariſſimo Franciſco Torti in ejus libro, *Therapeutices ſpecialis*, propoſitae. Quamvis autem in profligandis hiſce febribus alii alia ſentiant,

noſtra tamen opinio iis innititur Authorum principiis, eorumque ſententiis invaleſcit, quod ſatius, utiliuſque tunc ſit, omiſſis prorſus aliis remediis, illico ad *Chinam Chinam* plerumque confugere, juxta illud in libro, Febris *China Chinae expugnata. Cap. Remedii in uſum ducendi ratio: Parag.* 22., ubi habetur quod *in hoc minime conveniunt Auctores, alii enim ſtatim ad uſum Quinquinae deveniendum aſſerunt, nulla praemiſſa corporis praeparatione, nequaquam ſcilicet ſecta vena &c.* Verum, iis tantummodo innutis temporum circumſtantiis, tali norma ſtricto jure procedendum eſt. Caeteris vero anni temporibus communis, ac vulgata curandi methodus, tanquam nocua nequit condemnari: niſi fortaſſe vel *temperaturae* gracilitas, vel aetatis conditio, vel gravia *ſymptomata tertianaria*, vel urgens caſus individualis, vel alia hujuſmodi emergerent, propter quae illico ad dictum *febrifugum* eſſet confugiendum.

Quod ſi ulterius de ea, qua uti poſſis, *febrifugi* norma aliquid aſſerendum ſit, hanc expeditiſſimam habebis, ſi, percepto dictarum febrium inſultu *in eſſe intermittenti*, aut *a fortiori in eſſe febris continuae*, ſed de genere ſimpliciter *tertianario*, ex quo *continua per ſubingreſſum* denominatur (quatenus, etſi continua, *ſymptomatibus* tamen proprie *tertianariis*

ſtipata

ſtipata invadit, imo etiamſi aliquando aggrediatur ſine rigore, horrore, aut refrigeratione, retinet tamen in reliquis veram tertianariam indolem, cum Corporis aeſtus, & pulſuum celeritas obſervetur; inſuper, ineuntibus acceſſionibus, nauſea, vel vomitus, vel ſaltem in earundem remiſſione ſudores, plus minus leves per Alvum dejectiones apparent: non vero deeſt, quod in ea latitent ſemina, ac rudimenta futurae acutiei, quae in progreſſu acceſſionum cum periculo manifeſtantur ſaepiſſime, quando aut neglecta ſit, aut a ſolventibus, vel *phlebotomia* latitantia dicta ſemina in motum cieantur) ſpecifico ſtatim remedio utaris; ita ut in dictis febribus *intermittentibus*, aut *continuis per ſubingreſſum*, *Enemate* praemiſſo, ubi res ipſa tantum poſtulet, *Chinam Chinam* de eſſe genuino, ac legitimo ad ſcrupulos quatuor ſtatim a principio exhibeas, fluida, aut ſolida forma, prout facilius AEgroto reſpondeat: melius vero, ſi fluida forma, ut aqua appropriata, aut etiam communi ſufficienter dilutam. Hoc tamen adamuſſim praeſtabis, niſi dictae febres *diarrhoeam* adnexam afferant immodicam; tunc enim tutius in forma ſolida utendum ipſa erit: miſcendo nempe *febrifugum* cum *electuar. Diaſcord. Fracaſt.*, *& Sirup. de Abſynth.*, addita pau-

ça

ca doſi Mucilaginis Gummi *Tragacanthi*. Utroque tamen *exhibitionis* modo ſemper poſt tres, quatuorve horas ſucceſſive procedendum eſt, quo uſque ſaltem uncia una, & ſemis, ad ſummum unciae duae hujuſce ſaluberrimi remedii a febricitantibus hiſce ſint ingeſtae. Nec obſtant gravia *ſymptomata* tempore febrilis circuitus occurrentia, veluti dolor Capitis, delirium, vigiliae, Corporis jactatio, atque alia hujuſmodi, quorum ratione ad *Phlebotomiam* fortaſſe vulgo eſſet deveniendum, cui profecto nedum reluctatur ſententia ipſius Avicennae, *quod ſanguis eſt fraenum bilis*, quin immo praeſidium iſtud *ſimpliciter*, & *per ſe* in hoc caſu non indicatur. Etenim haec omnia a nimis effero *Tertianariae fermentationis* motu *de genere intermittenti* promoventur; quare hoc ipſo citiſſime ſedato ab activa virtute *febrifugi* ſaepe ſaepius iterati, ſimul etiam alia quaeque in hac febre urgentia *ſymptomata* compeſci ſtatim videntur. Tandem AEgroto jam ad perfectam inde integritatem redacto, ſi jam ope *febrifugi* modo ſupradicto ſedulo uſurpati, nempe ob ejuſdem vim, ut ajunt, praecipitantem; ſi, inquam, juxta Corporis temperiem, victuſque conditiones, ſatis ſuperque per ſudorem, per urinam, vel potiſſimum per Alvum, ut ſaepe contingit AE-

grotorum

grotorum utilitate, *febrilem fomitem* opportune, & pro ratione a tota ſanguinis maſſa ſecretum, atque e Corpore eliminatum judicabis; tunc temporis ea utere, nunquam ſatis commendata, Hippocratis ſententia in Aph. 20. Sec. 1. videlicet: *Quae judicantur, & judicata ſunt integre, neque movere, neque innovare aliquid.*

Hiſce poſitis, *curativam* generice normam in dictis febribus exploratam habes; ſicuti infra *praeſervationis* methodus exarabitur. Verum, cum ex hujuſmodi febrium germine non raro *perniciosae* quaedam tertianae prodeant, lethale paſſim, & celerrime AEgrotorum fatum deferentes (veluti ſunt tertianae *cardialgicae*, *lypiriae*, *ſyncopales*, ulterius *Algidae*, *Lethargicae*, tum etiam *cholericae*, *bilioſae*, & *ſubcruentae* ad modum *fluxus hepatici*, caeteraeque aliae pravae hujuſcemodi indolis, quarum dira, & mortifera *ſymptomata* in acceſſionis principio utplurimum aggrediuntur, atque in ea febrili periodo AEgrotum pollent jugulare) in hiſce, inquam, caſibus obſtat brevitas temporis, quod ſupereſt uſque ad futuram febris acceſſionem; quare celeriore uſu dictus cortex praeſcribendus eſt, & quidem quo longe magis a principio, eo melior, ac tutior de fatali inſultu victoria; ſin minus ad ipſum

ſaltem

ſaltem confugere expedit ante viginti quatuor horas futuri *paroxyſmi*, facto etiam calculo ejuſdem *anticipationis*, hac nempe ſervata norma, quod pro prima doſi aſſumatur dimidia uncia *febrifugi in ſubſtantia*, & reliquis horis *repartita* ejuſdem uncia una, donec tota doſis unciae unius, & ſemis horis circiter duodecim ante futuram febris acceſſionem fuerit aſſumpta. Porro tamen ſi unquam contingeret, quod exitialis *paroxyſmus* vix quindecim, aut duodecim circiter horas diſtaret; tunc occaſio praeceps admodum eſſet. Tunc ideo hac temporis anguſtia ſtatim ad drachmas ſex *Chinae Chinae in ſubſtantia* confugiendum eſſet, quin immo tutius ad integram unciam unam in libra una circiter aquae dilutam: & profecto immediate pro prima doſi eo tutius licebit tranſcendere, quo magis ejuſdem corticis vires noſtris temporibus paululum fractae obſervantur. Hinc duabus, tribuſve elapſis horis alias dicti Corticis drachmas duas, unciis quatuor aquae ſolutas expedit propinare, ſicuti & ejuſdem drachmam unam pro ſingula hora uſque ad tres ſucceſſive, donec detur locus cibum exhibendi tribus, quatuorve horis ante *paroxyſmum*.

Verum, quia, inter alia febrium genera, illae praeſertim, quae ſub *tertianaria intermittenti*, aut

*quaſi*

*quaſi intermittenti* periodo continentur, facillime, & pluries recrudeſcere ſolent: Hinc ad cautelam quarto quoque die circiter, donec quadrageſima elapſa ſit, *Quinquina* ad ſcrupulos quatuor ſalubriter exhibetur. Ulterius etiam, loco *Chinae Chinae*, *mixtura* potiſſimum *febrifuga* ex Pillulis adverſus febrem tertianam RR. PP. Societatis Jeſu in eorum Collegio Mediolani paratis, cum pro actuali curatione, tum etiam pro ipſa *praeſervatione*, tanquam mirandum, expertumque remedium celebratur. Sic etiam *Chinae Chinae* recens *extractum*, atque ad ſolidam conſiſtentiam redactum, pondere unius drachmae pro ſingula doſi, *praeſervativum Alexipharmacum* praxis edocuit. Interim autem, recto ſervato regimine, & praeſertim longe a fructibus, a lacte, nec non etiam ab acidis auſteris, quiſque ex hiſce AEgrotis proprio munere fungi poterit: dum operationes naturales, ſive conſueta exercitia hoc *praeſervationis* decurſu tolerantur.

Quando autem a *febrifugo*, ut ſupra in principio morbi exhibito, erepta quidem febris evadat, ex eo tamen nihil plane, aut parum ſaltem materiale morbi pabulum per conſuetas *excretiones* fuerit eductum (quamvis iſtud virtute *febrifugi* a ſua *fermentativa* compage jam diſſolutum evadat) tunc, ad *ſcoriam febrilem*

ſub-

ſubducendam, unum ex placidis evacuantibus cum Rhabarbaro immixtis propinandum erit, nonniſi tamen tranſacta quinta, vel ſeptima die a poſtremo febrili *paroxyſmo*, ita ut etiam ipſa *evacuationis* dies vel intermittenti reſpondeat, ſi tertiana ſimplex, vel remiſsiori, ſi duplex extiterit. Poſteaquam tamen congrua ſic habita fuerit purgatio, juxta Patientis habitum, ejuſdemque victus rationem, illico die ſequenti *China Chinae* denuo propinanda eſt eo temporis intervallo, iiſdemque modis, & formis, ut ſupra, expreſsis, ubi ad cautelam, & *praeſervationis* gratia commendatur.

Ita profecto Medicae facultatis praecauta docet ſolertia. Nam, ſi minima particula *tertianarii fermenti*, quamvis ſublata febre, intus adhuc deliteſcat, ſe habet veluti neglecta ignis ſcintilla novum excitans incendium. Quare ab interpolato uſu *febrifugi praecautive* ſuperius expreſſo, ſi forte iners quidpiam febrilis *fermenti*, novo *fermentationis* motu, ſit deinceps aggreſſurum, celeriter enervatur. Hinc evenit, ut fere ſemper citiſsime, tutiſsimeque convaleſcant AEgroti, abſque conſueta, & moleſta morbi extenſione, activaq; remediorum ubertate, a quibus alias fractae vires diu admodum evadebant.

Quotieſcunque tamen, *praeſervationis* decurſu AEgroti,

groti, bene riteque caeteroquin nutriti, non reſtaurentur (quod quidem raro contingit) aut in recto regimine errata quaelibet praeceſſerint, indeque nec appetentia redeat, quin immo nauſea, ſitis moleſta, nocturnae agitationes, aut vigiliae urgeant; praeſertim cum Hipochondriorum tenſione; tunc *Chinam Chinam*, cum tinctura Rhabarbari, Sale Tartari in aqua Agrimonii extractam, aut mixturam ex Rhabarbaro, & *Chinae Chinae* ſubſtantia, una cum Tartaro Vitriolato *epicratice* exhibitam, ſalutarem admodum experieris. Hujuſmodi ſiquidem curationis norma rationi, & Praxi conſona, diuque fauſto eventu comprobata, omni conſulta brevitate libentiſſime commendatur.

*FINIS.*